Frappontina

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
52 E
17
3422

f 20

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CATANA SACRA.

Digitized by Google

CATANA

SACRA.

Digitized by Google

1 Grossi, 2 Girolamo 3 Battista 8.52.E.4

CATANA SACRA

SIVE

DE EPISCOPIS CATANENSIBVS

REBVSQVE AB IIS PRAECLARE GESTIS

A CHRISTIANÆ RELIGIONIS EXORDIO

ad noſtram vſque ætatem.

OPVS SINGVLARE

Quo Vniuerſus Catanenſis Eccleſiæ Status, Inſtitutio, Iura, Priuilegia, Principum Donationes, recondita tandem monumenta diſtinctis annorum epochis in lucem proferuntur.

AVCTORE.

DON IO. BAPTISTA DE GROSSIS

S. T. & V. I. D. PROTHONOTARIO APOSTOLICO,

AC REGIÆ ET INSIGNIS ECCLESIÆ COLLEGIATÆ B.M.

de Eleemoſyna Canonico

Transpne

1) CATANÆ in Aedibus Illuſtriſs. SENATVS,

2) Ex Typographia Vincentij Pe tronij M. DC. LIV. Superiorum permiſſu.

3) 1654

Digitized by Google

CATILINA SACRA

SIVE

DE EPISCOPIS CATILINARIBVS

DISSERTATIO

HISTORICA.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

D. MARCO ANTONIO GVSSIO

CATANENSIVM EPISCOPO,

MASCALARVM COMITI, REGIO CONSILIARIO,

Almi Catanenſis Gymnaſij Cancellario &c.

IOANNES BAPTISTA DE GROSSIS.

ARripui tandem quod optaueram diu (Illuſtriſſime Præſul) eo Opuſculo te venerari, nomenq; tuum præfigi volumini, quod in præceſſorum Catan. Antiſtitum Notitiam, te ita volente, manuſq; dante, prodit in lucem: argumẽtum meæ erga Te obſeruantiæ, ſtudij, ac famulitij. Tuæ Catanenſis Eccleſiæ Sacra Agathæ Tutelari Catanenſium Numini ſacro iamprídem ſacraueram: Præſulũ modò ſeriem, qui eidem ab adnaſcentis Vniuerſalis Eccleſiæ exordijs ad hæc vſq; tempora præfuere, Tibi Catanenſium Præſuli ſacro. Agnoſces in hoc Libello pleroſq; tui non abſimiles, eorumq; exempla addent tibi peracres ad virtutem ſtimulos; habes in eorum virtutibus ac geſtis quid imiteris: habebunt in Te poſteri tui quid imitentur ad prudentiam, ad pietatem, ad gloriam. Agnoſces ibi licet integerrimam Sponſæ nobilitatem, quæ Præſulatus honore nulli ferè eſt in orbe Antiquitate ſecunda, ſimul & perſpicies quales Cœlis Terriſq; dederit gloriosos Heroas, qui longo ordine ad tuæ Eccleſiæ gubernacula adſederunt. Imple igitur omnium deſideria; & qui paterna ſoles charitate cuncta fouere, haſce creditæ tibi Eccleſiæ Notitias indefeſſo ſtudio, ſummis vigilijs, ex incorruptis publicarum Tabularum Scriptorumue monumentis elaboratas, qualeſcumq; illæ ſint, benignus excipe, hilari cape ſupercilio, eo ſaltem nomine, quòd obſequium tibi conantur offerre. Ita enim fiet, vt multiplici tui nominis lumine illuſtratæ, minus obuiæ liuori, & honori aptiores per doctiorum hominum manus deferantur, illoſq; hauriant nitores, quibus ad eruditiſſimos noſtri œui viros illuſtriores reddantur. Ad Aram ergo tui Nominis illas reuerenter appendo; munus quidem exiguum re ipſa eſt, & exile, tuoq; nomini ſatis impar; ſed memini quod Socrates dicere ſolebat: Dijs ipſis minimo impendio litandum, quòd Dij vt hominum non egent rebus, ita magis ſpectant immolantium affectum, quam diuitias, & apparatum. Felix interim viue, ac publico omnium bono diutiſſime Vale.

†

LE-

LECTORI OPTIMO S.

IN publicum rurſus prodeo, Patriæ commodo litaturus: ſanè nil dulcius Patria probè monuit probus Auctor *Homerus in* 1. *Odyſſ.* Neſcit ideo calamus noſter feriari, quia Patriæ dulcedine allectus ferias agere ignorat. Vix patrium *Catanenſe Decachordum* abſolui, cum ſenſi me ad *Cataniæ Sacra* iterum rapi extimularique, vt vnius voluminis limes limẽ alterius fuerit. Arripui igitur Argumentum ad quod rapiebar, argumento quia reſpondere pro dignitate non potui, reſpondi voluntati, quæ hoc volebat, reſpondi affectui, quo filius erga matrẽ ferebatur, & me ferebat.

Vt igitur de Operis argumento certior fias optime Lector, libri Titulus ita conceptus eſt, *CATANA SACRA*. Iure id & cohærenter factum exiſtima. Patriam namq; meam apud non contemnendi nominis Auctores, Apoſtolica Diplomata, Regia Reſcripta, publica tandem Monumenta, Catanam modò, modò Cataniam indiſcriminatim appellari, adeò eſt certum, exemplisq; firmatum, vt facile fidem vel nudæ ſit aſſertioni quiſque daturus, plura ideò ad id ſtabiliendum adducere hominis eſſet miſerrime diligentis. *SACRA* porrò Epitheton id ex induſtria monet, in hoc Libello Sacra dumtaxat, quæue ſacrum Catanenſis Eccleſiæ ſtatum, ac Politiam ſpectant, perſtringi. Singula inquam, quæ vel ab initio noſtræ naſcentis Eccleſiæ ab Apoſtolorum Principe Sacratius inſtitutæ anno gratiæ 42. vel vt alijs arridet 44. in ſacra illius Præfectura per S. *Beryllum*, quem idem *D. Petrus* primum præfecit Epiſcopum, ſalubriter geſta ſunt, quæue per ſucceſſores Epiſcopos Sacrorum ſtatui proſpicientes, conſecutis temporibus ad hæc viq; tempora, acta ſunt, eorumdem item nomina, genus, paſtorales actiones, quæ de ijſdem apud Auctores fama, quæ ad ipſos tranſmiſſa, à Pontificibus Diplomata, vel è Siculis Regibus in eorum gratiam ſcripta ſunt, vel ipſi dedere Præſules, Pontificum tandem, Regumue munera illis collata, quibus eorum memoria per ſecula conſeruetur, ſummis ſtudijs, ſummiſq; vigilijs elaborata, ſummis etiam laboribus vndiq; conquiſita in hoc Libello compingimus. Prophana ideo, quæue ſecularem ſtatum concernunt, procul hinc amandauimus, conſultò prætermiſimus (ne extra chorum ſaltaſſe videremur) ea in *ANNALIBVS CATAN.* quos ſi Deus annuerit, quamprimum dabimus, diſtributis annorum epochis conſignantes.

Ad

Ad hanc porro Prouinciam obeundam me vel maximè compulit altum de Epiſcopis noſtris, eorumdemq; geſtis apud noſtrates ſilentium, quod multarum rerum ignoratione nos detinet. Addidit calcaria Veritatis ſtudium; dolebam etenim omnia de noſtræ fidei parentibus in tenebris delitеſcere conſepulta, pleraque è contra mendacijs circumſepta, hiulca, atq; exſucca nuperime euulgata circumferri, quibus vt laruam calamo detraherem, nullis peperci laboribus, omnes MM. SS. Codicum latebras adiui, omnes penetraui Tabulariorum cuneos, ac penetralia, vt vel ſic quæ ad rem meam facerent expiſcarer; praua ponerem in directa, & amandatis erroribus Veritas in ſuo veluti conſideret Throno, ac pro maieſtate triumpharet.

At, inquies, caſſabundo hæc excogitata conſilio: quãdo *Abbas Rocchus Pirrus* ſingularum Siculienſium Eccleſiarum, ſed Catanenſis in primis Notitias nuperrimus euulgauit, Epiſcopos omnes, quæue ab ijſdem ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ normam vel acta ſunt, vel inſtituta, literis conſignauit, ordineque conſcriptos in librum digeſſit: actum igitur denuo agi, & quod alter fæliciter abſoluit, irrito conatu, nec abſque nauſea replicari.

Ita eſt, ſi rem extimè ſpectes: at ſi acrioribus internæ mentis obtutibus introſpicias, plura obuerſabis, quæ Auctor iſte, lectionis licèt plurimæ vir, & eruditionis, & cui Sicilia omnis plurimùm debet, vel inſcius omiſit, vel ſcitus prætermiſit, vel tandem Panormi ſtudio abripi ſe paſſus vmbras poſuit in lucem. Plura ideo dare oportuit, vt veritas in apertum proſiliret, omnem mendacij diſiectura caliginem, perq; aduerſa omnia vel multa eluctandum fuit, ne veteri Catanenſis Eccleſiæ gloriæ periculum fieret, aut piaculum.

Nec me in re non ſeria ſerio operoſum crimineris, qui ea omnia, ac ſingula, quæ *Chorda X. Catan. Dechacherdi* expromenda paraueram, iterum hic promenda contendam, caſſoq; labore ex libris libros componere ſtudeam, mutatoq; dumtaxat libelli titulo, eadem ferè ijſdem penè verbis expreſſa auſpicer, obſignemque.

Sed non ita eſt; Audi. Quæ *Chorda X.* communi ciuium commodo parata iam habebam, compendio fuerant promenda, laxiori ſyrmate hic ſingula produco; limites ibi contraxeram, quos magnos hic res ipſa porrigit: exhibetq, Multa hic conſultò addidi, quæ ibi ſcitè ſuppreſſi, ſpatioſiorem Campum hic excurro extra illas anguſtias factus, quibus *in Chorda X.* veluti quibuſdam vinculis alligabar, vt plura licuerit explicare, plura libuerit illuſtrare.

Dicendi genus id erit, quod rẽ deceat, doceatq; Sermonis elegantiã cultæq; dictionis paraturam ne expetas, nec expectes: verborum fucũ neglexi, vtilia dare ſtudui, non arte fabricata: rerum ſuauitati vtilitatiq; nil officit ſermonis vilitas, nuditas, neglectus; Quod de quodam ſuo opere dixit *S. Auguſtinus lib. 1. de Mendacio cap. 1.* hoc aptiùs imò veriùs de noſtro poſſumus dicere. *Eloquium nobis quærere, multum enim de rebus laborauimus, vnde hactenus ac prope nulla fuit nobis cura verborum.*

Videātur ideò licèt aliqua curiosè quæsita, & compti is posita, quàm liberioris scriptionis cursus ferat, occurrerunt illa mihi, non ego anxiè post illa cucurri; exciderunt à calamo, sub calami crena, vt ita loquar, enata.

Aliorum sententijs in hoc quoq; Opere vtor, Auctorū dicta meis dictis inserui; vt vel sic quæ dico ex aliorum fide fidem sibi vendicent, & auctoramentum. Siluestres arbores & infructiferas mitioribus feliciorib⁹que inoculatas, vt à nexu, & insitione fructus, qui nascuntur, insertis surculis sese aptent, eorumq; naturam referant, experientia monet; ita quę insipida aliàs, insulsa, aut vilia sapere audireque possent a me dicta, aliorum testimonio adiecto, sapida fiant, euadant consulta, audiant nobilia.

Scriptorum verba, quibus in testimonium vtor, ipsissima fideliter produco; loca, vnde sumpta sunt, ex more designo; sententias tandem integras exscribo, vt qui velit, fidem explorer: ea vel publici iuris sunt, vel è publicis tabularijs petita, quorum authographa petere cuiq; peruium erit, & promptum. Cetera semper illud Augustini pro comperto sunt. *Dum homo aliquid dicit vt homo, & non vt Spiritus Sancti organum non ideo Verum est, quia dicit, sed ideò dicit, quia verum esse vel scit, vel putat.*

AVCTORIS GENIO, VEL POTIVS INGENIO,

CATANAE

Sacrarum rerum Referatori

Pro meritis exſoluendis

D. IOANNES RAYNERIVS ET BELLVTVS

TABELLAM HANC

In Æternitatis ſacrario duraturam P.

CEdant priſca tuis Cataneia Scripta Virorum
GROSSE, velut cedunt ſæcla profana pijs.
En, impollutis labijs ſi Sancta referri,
Et Sacra ſacrato pandier ore decent,
Iam tuus in Patriam ſacro dum flagrat amore
Eſaiæ factus calculus eſt Calamus.

EIVSDEM

In Authorem.

Exaſtichum.

DVm Patriæ ſcriptis nimium ſe reddit Amantem,
Tot Catanæ referans Sacra vetuſta ſuæ,
Quis non BAPTISTÆ, ſacrata in Voce, IOANNI
GROSSVM ſcribentem dixerit eſſe parem?
En, velut Ille Patris, Matris ſic abdita pandens
Iam tacitum ſæclis lumine pangit Opus.

V. I. D.

ANDREÆ MANDALÀ A. & M. D.
In Patrio Catanensi Gymnasio Naturalis Philosophiæ primario Interpetris

In Exacti Operis Eruditissimum Auctorem

Distichon.

EThnica si Catanam celebrarunt Scripta VETVSTAM,
Hanc magis extollunt nunc tua Docta SACRAM.

V. I. D. D. IOSEPH AZZARELLI

Ad Auctorem Patriæ monimenta scribentem.

Epigramma.

COnciuis Clarus iam cerneris esse IOANNES
Expendens Patriæ cuncta peracta Sacræ.
Quid, nisi clarificans Vrbis Monumenta, per Orbem
Clarior in Scriptis redderis ipse tuis?
Nec solùm hoc præstas Catanæ Sancita repandens,
Ast etiam miscens Legibus Historias.

DON IOANNIS BRVNZI V. I. D.

Ad Auctorem.

CLaram Vrbem, vt Cœlum, reseras dum GROSSE Sacratam,
Sydera tot promis, quot monumenta refers.

Al Sig.

Al Sig. Canonico Dottor D. GIO. BATTISTA GROSSI
Sopra la CATANIA SACRA.

SONETTO

Del Sig. Fra D. MARIANO PERRELLO Caualiero Geroſolimitano.

SAgro Scrittor à te fù dato in ſorte
Con tua penna formar eterni accenti,
Ch'ammiraranno le future genti
A diſpetto del Tempo, e della Morte.
Hai rauuiuate l'Attioni ſmorte
Dè Sagroſanti Eroi gia Morti, e Spenti,
Che del'oblio ſi haueau portato i Venti,
E à tutti gli Scrittor chiuſo hai le porte.
A le tue dotte carte è ſol permeſſo
Dar Vita, mà ſi ben Vita immortale,
Vita à gli eſtinti, e pur Vita à te ſteſſo.
Non temer più del'empia Parca il ſtrale,
Ne dela ſorte à te nemica ſpeſſo,
Per lo Ciel dele glorie impenna l'Ale.

Al Sig. Canonico Dottor D. GIO. BATTISTA GROSSI
Per la CATANIA SACRA

Il Dottor in Medicina GASPARE BATTAGLIA.

ERelſe il Sereniſſimo Rogiero
Queſta ſagra Magion alta, e ſublime,
Che di Triquetra non hà altra ſimile
A gloria del ſuo diuin guerriero.
GROSSI col'aureo ſtil perfetto, e Vero,
E col'ingegno tuo tanto ſottile
Eſſa reſo hai immortal da Battro à Thile,
Saggio, e dotto Scrittor, Sagro, & Intiero.
Non ſdegnar queſte rime, s'io trà tanto
Snodo con lingua affettuoſa i tuoi
Fregi di gloria, e dela fama il canto:
Dal cieco oblio tratto hai ſolo fra Noi,
E rinouato con eterno Vanto
La Vita à quelli ſagri eſtinti Eroi.

SO-

SONETTO
DI NICOLO CATANVTO
All' Autore.

SCriui deh ſcriui con ſublimi penne
Spirto gentil del tuo diuino ingegno,
Di tua Patria ſplendor, gloria, e ſoſtegno
Trà le Mitre qual luogo ella ſoſtenne.
S'altro Scrittor alzò di fama antenne;
Aurato il Volo nel Sicanio Regno,
La tua fama inoltrata à più gran ſegno
Si rende ſopra tutti alta, e perenne.
Come co'l Sol dela ſtagion felice
Tra acceſi aromi de' tuoi gran ſudori
Da ceneri riſorge altra Fenice,
Così vedranſi li riſorti honori,
Che dala penna tua ſalda radice
Da diſperſe Memorie han Vita, e Allori.

SONETTO
Del Dottor GASPARE MEDICI
All' Autore.

BEn s'ode il Nome tuo famoſo, e degno,
Mentre ſaggio Scrittor le glorie altere
Dela SACRA CATANIA antiche, e vere
Spieghi, reſo immortal per tutto il Regno:
Ah, che ben corriſponde al dotto Ingegno
Chiaro Stil, Dir ſouran, raro ſapere,
Se già l'Hiſtoria tua dall'alte ſfere
Sceſa, d'eterni honori è giunta al ſegno:
Queſto, che il Mondo ammira à tutti noto
M'inuita sì, ma lo ſtupor è tale,
Che riman toſto ogni mio ſenſo immoto;
Parli il ſilentio, e ſi conoſca frale
Anco il penſier, perche non può diuoto
Opre Sacre lodar Corpo mortale.

CA-

CATANA SACRA

A

D. IO. BAPTISTA DE GROSSIS

DESCRIPTA.

CATANA Vrbs Clariſſima ad eam *Trinacriæ* plagã, quę Ionio mari ablui tur, inter meridiem, & Orientem proſpectans, ad radices Ætnæ, cui ſubeſt, extenditur. *Siciliæ caput* Michaeli de Platia nuncupata, fęcunda ſummorum *R. E. Pontificum* parens, *Regum* item *genitrix*, eorumdemque *Regia*, *Domicilium*, *ac Refugium*; *Tutrix* tandem, & *Vrna*: Filiorum ſobole, Laureis, Thiaris, Corollis, Studijs tandem glorioſa: reliquarum Siciliæ Vrbium peruetuſtiſſima, *Cham* Noe filium ſuum ipſius agnoſcit Auctorem, Anno conditi Orbis milleſimo, ac ſepticenteſimo fundationis ſuæ deducens exordia.

Summo Proardiorum Magiſtratu nobiliſſima commendatur à Marco Tullio Cicerone; *Romanorum Prætorũ ſedes* Rocco Pirro, *Siculæ nobilitatis Fons & Scaturigo* Ferdinando à Marra Duci Guardiæ, Alberto Politio, Mario Cutellio, Ioſeph Cicala, alijſque. *Sapiẽtiæ ſedes* Torquato Taſſo. *Ampliſſimum Diſciplinarum omnium Muſæum* Georgio Braunio, Mario Aretio, Franciſco Maurolico, Philippo Ferrario, Camillo Borello. *Ingenuarum artium altrix* laudatis iam Auctoribus: & verè: ſiquidem Choreæ Plauſum, Bucholici carminis artificium, Rythmus, atq; ad Tibiam ſaltandi geſticulandiq; præſcriptum, Militarium inſtrumentorum adinuentum, Horologij machinamen, Frugum denique, Vitis, Olei, ac Frumenti vſum inibi adinuentũ perbellè teſtantur *Plinius*, *Polidorus Virgilius*, *Io. Rauiſius Textor*, *Georgius Braunus*, *Matthæus Siluagius*, *Ioſeph Perdicarus*, cæteriue, quos in re cunctis obuia facile lector offendet.

Reipublicæ forma inter Illuſtrimas Vrbes præcipua, accerſitis vndique teſtium monumentis, Auctorum, Numiſmatum, Inſcriptionum, Schedarũ deniq; teſtimonijs nuncupatur à Petro Carrera. *Tetrapolis* ſiue *Quatri-*

urbium, Petro Blundo; *Equestri militia, opibus, florētis deniq; populi frequentia Nobilis*, Pindaro in Nemeis; *Locuples, honesta, copiosa* tandem, Tullio Romani eloquij tubæ, qui & *Catanenses ciues viros locupletes, Populique Romani summo fœdere*, amicitiæq; necessitudine adstrictos asseuerat.

Illustrem denunciant Pomponius Mela: *Celeberrimam* Silius, Ausonius, & Cassaneus. *Prægrandem, opibus ac copijs conspicuam* Georgius Gualtherius. *Fortunæ ludum* Vgo Falcandus.

Amphiteatro vetustissimo iuxtà atque elegantissimo venerabilis commēdatur Maurolico, Mario Aretio, Petro Blundo. *Theatris* duobus situ conterminis, ac ferè contiguis, nigro, excisoq; lapide introrsus, & extrorsus affabre constructis. *Hippodromo*, alias *Circo maximo*, siue *Equorum cursu*, nigris quadratisq; compacto lapidibus. *Naumachia* ingenio non minus, quàm impendio celeberrima. *Thermis* splendidissimè extructis. *Arcubus* in Ciuium Triumphos erectis (partæ victoriæ monumentis) *Aquæductibus* Ætnæis excisisq; lapidibus intus forisque nobilissimis à *M. Marcello* magnificentius restitutis. Regum denique, Principum, ac Procerum Sepulchris Illustrissima nuncupatur laudatis Scriptoribus, quibus subscripsere *Fazellus*, *Georgius Brauius*, *Gualtherius*, *Laurentius Bolanus*, *Archangelus*, *Rocchus Pirrus*, *Petrus Carrera*, *Cæsar Pisis*: extantiū deniq; ruderū subsignant vestigia, rei ipsius obsignat Euidentia.

A

B

C

D

Situs amænitate, aeris temperie, aquarum copia, dierum iouialium, noctiumque serenarum inuicem succedentium cursu, agrorum fertilitate, frugum copia, nemorum opportunitate, camporum planicie, vinorum feracitate, suburbiorū conueni entia cōmendatur *Alphonso Regi*, *Petro Siculo*, & *Georgio Brauio*, Quæ omnia ac singula in fascículum quasi collecta perhibet peruetusta quędam Inscriptio in Constantiniano Palatio *Romæ apud Vaticanum*, Archangeli æta te marmori incisa.

Catana præpotens Ciuitas, fama celebris, opibus pollens, nobilissimis superba ciuibus, frugum fœcundissima, Ædificiorum structura mirabilis, semper Armorū ac Literarum studio, virisq; nobilium Artium Inuentoribus longè præstantissima.

Legum, ac Iuris, ceterarum deniq; disciplinarum Schola vna fuit & sola Catana: extatq; de Catanensi Gymnasio perhonorificum illud *Hieronymi Mercurialis* in libello, quem de Ratione victus inscripsit, lib. 1. cap. 2. *Hippocratis ætate tria tantum famæ celebritate præclara recensebantur Lycæa, Alterum Rhodi, alterum in vrbe Cariæ Cnido, tertium in Sicilia CATANÆ*. Illud bellorum turbinibus cum Vrbe agitatum postliminio restituit M. Marcellus quartò Consulem agens. Post Salutis verò seculum Alphonsus Siciliæ Rex denuò reitauraut, ac donarijs ad Doctorum Lectorumque stipendia con

munificentiſſimè conſtitutis amplissimis item Priuilegijs firmauit anno 1444. *Academia nobilis* dicta eſt à Philippo Ferrario; *Notabilis* à Georgio Braunio; *Famoſa* à Franciſco Maurolico, *Antiquiſſima* tandem à Camillo Borello, & Thoma Fazello: In hac ſiquidem Academia totius Sicilię doctiores publicè profeſſi ſunt, qui in omni memoria ſimiles produxerunt alumnos.

Religionis tãdem merito, vel ex eo Scriptoribus ferè cunctis, *Petro Blando* vel maximè, commendata, quòd *Deorum Sacrarium*, (quando in tenebris ambulabat Gentilitatis, nec dum ortum aſpexerat ſurgentis Auroræ) fuerit appellata. Poſtquam verò Chriſtianæ fidei ſplendor in lumen effulſit, omnium prima Diuini ſeminis grana per Sanctiſs. Epiſcopum *Berillum* ab Apoſtolorum Principe *Catanam* amandatum, excepit, & imbre cœleſti fœcundata fructus non paucos reddidit tempore ſuo.

Ipſam quoque *Dei Genitricem*, quam, ſatis antequã aduenisſet temporis plenitudo, Virginis infantulum vlnis geſtantem, quæ Virgo permanens filiũ eſſet paritura, Simulachro præſignarat, auctoribus *Ioanne Carthagena*, & *Matthæo Silvagio*, eamdem, abdato vetuſtatis errore, ſub ipſis adnaſcentis fidei exordijs, cæterarum prima venerata eſt, Baſilica (eliminata inde Idolorum Spurcitie) a *D. Petro* Apoſtolici ordinis anteſignano rite illi conſecrata anno ſalutis quarto, ac quatrageſimo: & in eodem ipſo Templo, in quo Idololatriæ fuerat ſedes, & ſuperſtitionis caput, ibidem veri numinis cognitio ab Eccleſiæ Primate fuit ſubſtituta, & vbi erroris erat cathedra, ibi veritatis magiſterium à Catholicę Eccleſię magiſtro inſtitutum eſt.

Singula porrò hæc compẽdio veluti preſcripta laxiori ſyrmate, ex inſtituto dicebã *in meo Catan. Decachordo* paſſim, ac ferè per totum, Auctorum cenſiones expendens, verba item exſcribens: ab ijs iterũ replicandis ſcitus abſtineo, ne rem alibi actam caſſo iterum labore agere videar, & Penelopes telam texere ac retexere.

Illud dumtaxat adijciã, quod Eccleſiaſticæ Politiæ ſtatum propiùs attingit. Vetus igitur memoria tenet, quam omnis ætas venerata eſt, Vrbem hanc Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe à D. Beryllo, quem Petrus Apoſtolorum Princeps Antiochiæ degens illuc deſtinauit, primumq; Catanenſium Epiſcopum ordinauit: qui à ciuibus lætanter exceptus ibi Epiſcopatus thronum fundauit, in SS. Dei Genitricis honorem inſtituto Templo, quod deinde idem S. Petrus Apoſtolus Beryllum inuiſens ritè conſecrauit, ac ſacra Olei deliniuit vnctione.

Euangelij fides ab indigenis ſuſcepta conſtantiſſime poſtea retenta eſt, adeò vt plures illam amplexati Martyres illuſtres euaſerint. Inter quos enituit præcæteris AGATHA Virgo ſanctiſſima, quæ poſt exquiſita ſupplicia, ſub Quintiano Siciliæ Præſide, Catanę, vbi vitę ſpiritũ hauſerat ſpiritũ Domino reddidit, nonis Februarij, Decio Imp. an. 253.

vel vt Baronio arridet 254.

Verùm cum etiam sub eadem persecutione Christiana fides altiùs ibi radices egisset, maiorq; iam fidelium numerus haberetur, plures alij Martyres sub Tertullo Præside, in persecutione Decij & Valeriani Cæsarum, patrium Catanense solum propriò made faciētes cruore, perillustre fidei testimoniū sanguinis effusione dederunt anno 259. quorum nomina nobis adhuc ignota, sed in Libro vitæ apud eum descripta, cuius causa mortem obierunt, in æternum viuent in cœlis.

S. Eupsius Diaconus sub Diocletiano & Maximiano Impp. & Calussiano Consulari anno circiter 303. post diutina tormenta, gladio tandem percussus occubuit 12. Augusti de eo vberius scripsere S. *Beda*, *Simeon Metaphrastes*, *Aloysius Lippomanus*, *Laurentius Surius*, *Ambrosius Simpamanus*, *Cardinalis Baronius*, *Franciscus Maurolicus*, *Octauius Caietanus*, & *Philippus Ferrarius* post *Graeca Menologia*, *Breuiarium Gallicanum*, *Romanum denique*, *Martyrologium*.

Ad hæc Actalus, Cornelius, Fabianus, Flos, Maternianus Pontianus, Quintianus, Sextus, Simplicianus, & Stephanus Athletæ fortissimi, qui Stolas suas in sanguine Agni lauerunt anno 304. die 31. Decembris, Diocletiano & Maximiano Augustis Ecclesiā vexantibus. Egregium de his testimonium perhibent *Romanum Martyrologium*, *Ferrarius*, *Caietanus*, *Camillus Borellus*, & *Abbas Rocchus Pirrhus*.

S. Iacobus Martyr, idemq; Episcopus Catanensis, quo tempore

A Leo Isaurus impius Cæsar sacrilego edicto sacras Imagines vbiq; deleri præceperat, pro illarum cultu exilium, cruciatus, mortem denique constantissimè perpessus anno 730.

Et tandē Sancti Martyres septem ex ordine Minorū sub Friderico II. martyrij corona donati; de quibus *P. Arthurus in Martyrologio Franciscano ad diem 4. Aprilis*, licèt illos absolute Siculos appellet.

B Quamplures item protulit Sāctos: at duos omninò Pontifices Leonem, & Agathonem, quem haud rectè Panormitanum eruditi quidam nonnulli, sed vel maximè Franciscus Scorsus Panormitanus scripror, cuius censionem, aliorum quoq; opinationem ex industria referimus ac refellimus in libello *Agatho restitutus*, quem ad manus iam habemus, breui publici Iuris futurum. Episcopos præterea plurimos, sed Catanenses in primis Euerium, Seuerinum, Sabinum, & Seuerum: quibus adnumerari iure debent Athanasius Episcopus Metonensis, & Iohannes Syracusanus Antistites.

C Ex ea item prodierunt sacri Confessores Eupsius & Serapion, quos publico Sanctorum Confessorum honore Catanensis veneratur Ecclesia ad diē 11. Septembris; de quibus sat graue perhibent testimonium S. *Beda*, *Ado Archiepiscopus Viennensis*, *Caietanus*, *Ferrarius*, *Abbas Pirrhus*, & alij. Hos sequuti sunt Angelus Sinicius, Guillelmus de Paulo, & B. Paganus omnes monachi Benedictinis institutis mancipati, quorum

D

rum vita ſanctis meritis fuit præclara, & ſanè admiranda.

Multos præterea dedit S. R. E. Cardinales, præ cæteris Eminentiſſimũ *Nicolaum de Tudeſchis* Iuris Canonici iubar & luminare, Panormitanũ Archiepiſcopum, & Maniacenſẽ Abbatẽ, quẽ vtraque dignitate ſimul honeſtatum Abbatis Panormitani nomine prænotatum euulgarunt nuperi vetereſque Scriptores. *Ioannem de Primo* monachum Benedictin. Patriæ Epiſcopum, Ioannem Paternò, & ipſum Benedictinæ religionis profeſſum, Panormitanum Archipræſulem, Siciliæ tertiũm Proregem, quamuis morte prœuentus Purpura exornari nõ potuerit anno 1511.

Epiſcoporum ac Prælatorum vix poſſet numerus.

Nec minus Catanenſes valuerũt in armis vbique terrarũ notißimi, qui magnam conſecutis temporibus virtutis ſuæ fecerunt oſtenſionem.

Legum cãdidatos (Charondã in primis optimarum legum Latorem) qui nomen ſuum in perpetua ſecula commendarunt, quiue nec Patriã modò ſed & Siciliam, imò & Italiam, ac ferè Europam vniuersã illuminarũt haud facile eſt numerare.

Medicos, Philoſophos, Poetas, Hiſtoricos, Humaniorum literarum profeſſores, de Theologicis tandem arduiſque rebus Scriptores vix ſatis mirantur cordati, quod alteri vrbi vix contigiſſe fertur. Eos omnes ac ſingulos perſtringebam *Catan. Decach. Cbarida Nona per totam*: Laxiùs tamen daturus in Libello de *Scriptoribus patria Catanenſibus*, quem ad manus habeo paratum iam & expumicatum.

Gaudet Catanẽſis Eccleſia per ampla Dioeceſi ac prediuite cẽſu, qui ad 24. millia ſcutorum aſcendit. A pœ inſtitutionis initio Cathedralis fuit, tũ amplioribus aucta titulis inter Metropoles adſcribitur, ab Adriano I. Rom. Põt. honoramentum illud indepta, quod & inter Barbarorum preſſuras inconcuſsè retinuit. In ea Siculienſium Epiſcoporum Synodus olim cogebatur, Abactis autem è Sicilia Sarracenis, Romanæ Eccleſiæ Alumna pronuncia tur, eiq; immediatè ſubiecta, nullius Metropolitæ, aut Primatis patrens imperio. Factum eſt autem ex Lucij III. Diplomate vt Monteregalenſi ſuffraganea, decerneretur anno 1182. Torſit ea rerum cõuerſio Catanenſem Antiſtitem, cum ſpecialis illa prerogatiua declinare animi uerteret liteſq ad annum vſque 1607. hinc inde exſtruarũt, quando Ludouici Cardinalis de Torres Monteregalenſis Antiſtitis ãrtibus factũ eſt, vt ei cauſa fuerit adiudicata: futurum tamen ſperamus, vt exauctorata ſententia illa, de cuius nullitate inferius ſermo redibit, ad antiqui Iuris ac libertatis pileum adipiſcatur noſter Antiſtes.

Primam poſt tres Archiepiſcopales in Sicilia obtinet ſedem, prerogatiuis tamen, priuilegijs, antiquitate tandem nemini illarum ſecunda. Ab initio Regularis erat, cuius Canonici S. Benedicti diſciplinam profitebantur; ab anno tãdem 1568. Regularis eſſe

esse desijt, ex Pij V. rescripto, cuius facultate ad secularē statum redacta est. Quatuor supra viginti suffraganeos habet Prioratus, quos omnes ac singulos ex ordine recensebam *Catan. Decachor. Chord. 2. Mod. 3. fol. 69. & seq.*

Catanēsis Antistes ab initio Episcopus dictus est, tū Archiepiscopus, siue Metropolita, & vt antiquorum erat assertio, *Papae Vrbis Romae suffraganeus*, quinimò & Sicilię Episcopus absolutè nuncupatus. Sacri-Pallij honore coronestatus ab Alexandro III. vsque ad annum 1206. Catanæ Vrbis olim dominus, lacis, Moctę S. Anastasiæ, & Calatabiani: incĩues oppidanosq; ius dicebat eodem, quo antiquitus, iure, ante Northmannorum Principum aduentum Sarraceni potiebantur: hodie Mascalarum Comes & titulo & re passim nuncupatur, & in temporalibus dominus Magistratus seculares in Oppido illo constituit. Catan. Gymnasij Cancellarij munere fungitur, eaque præstat dignitatis prærogatiua, eoq; nomine in Vrbe, eiusque districtu, ac Diœcesi Notarios instituit, Pontificia ad id exequendum, Regiaue auctoritate suffultus. In causarum cognitione primo & secundo, vt dicimus, olim potiebatur iudicio. Dignitates, Canonicatus, Beneficia tandem omnia liberē, & ad suæ voluntatis arbitrium confert ex Pij V. Rescripto, ab Alternatiuæ legibus ac præscripto solutus omninò.

Solus in vrbe Parochus est, eiq; vni Catanensis gregis animarum imminet cura, hinc in sollicitudinis suæ partem administros in A Ecclesijs, quas Sacramentales nuncupant, ad Sacramenta populis ministranda socios sibi adsciscit, adscitos amouet.

Cathedralis Basilica *S. Agathæ* conciui ac patronæ consecrata est a S. Leone spectatę sanctitatis Catan. Antistite ann. sal. 778. antiquitate, sed loci in primis sanctitate venerabilis, in eo primùm ædificata loco, vbi inuicta Christi Martyr certamē sustinuit B passionum (hodie in monachorum Cœnobium cessit, à Bonauentura Præsule ac Patriarcha fratribus Minoribus, quos Obseruantes vocāt, indulta ann. 1613.) Crescente autem in dies Agathæ nomine, sacra Ædes illa accedentem populum excipere non poterat; noua ideo alia ac longè augustior, pientissimi Rogerij Comitis munificentia, Deo ter C Opt. Max. sub eiusdem Agathæ nomine extructa est, ac dicata anno sal. 1094. die 25. Maij, ibidemq; Cathedralis sedes collocata, relicta priori illa, quæ, noua hac constructa, VETVS cœpit appellari.

Est Templum hoc antiquissimis Thermis super extructum, ædificiorum mole, spatiorum amplitudine, columnarū deniq; ex granitico marmore, quę Templi parietes vtrinque hinc inde D sustinentes illud fulcire videntur ad ęternitatem, & numero & varietate, ceterorum omnium, quę in Sicilia sunt, pręcipuum & antesignanum, & vt ait Fazellus, *Templum tota Sicilia maximum*.

Pluribus ditatur Sanctorum Reliquijs Thecis argenteis pretiosisque vasis inclusis. Illustrium

mum

mum prę cęteris eſt ſanctiſs. Cō ciuis *Agathæ* corpus integrum, incorruptum, nullaue ſui particula deturpatū, aut diſturbatum, quod aurea obſignatum Statua ſolemniſſima totius Sicilię Panegyri, ſolemnique pompa Nonis Februarij inſtituta, religioſiſſime colitur. Inſigniores recenſentur duæ ex Spinis, quæ Chriſti Domini verticem cruentarunt; Fruſtum ex ligno Sanctę Crucis. Capillus ex capite Intemeratæ Dei Genitricis. Caput S. Cataldi Epiſcopi Tarentini, Caput quoq; S. Margarithæ Virg. Guttur S. Biaſij Epiſcopi & Mart. Brachium SS. Monachorum Placidi ſociorum; Brachium S. Sebaſtiani Mart. alterum item Brachium S. Georgij Martyris: Carpus S. Petri Apoſtolorum Principis; Guttur S. Pauli. Os cum carne deſiccata S. Coſmæ. Duo fruſta oſſium S. Marinæ Virg. S. Ioannis Chriſoſtomi, Brigidæ ſiue Birgittæ, Petri Alexandrini, Matthęi Apoſtoli, Sylueſtri Papę, Alberti confeſ. Apollinaris, Sp.ſ. & Mart. Iacobi Apoſtoli, & aliæ plures ſine nomine Sanctorum venerandæ reliquiæ, quorum nomina ignorantur.

Nobilitatur nō parum Regijs Mauſoleis auro illitis, quibus Siculenſium Regum cadauera plura recondunt, quæ Sepulchralibus hiſce Inſcriptionibus recenſentur:

Conſtantia Petri IV. Regis Aragonum filia, ac Friderici III. Regis Caſtellæ obijt Anno ſalutis M. CCC. LXIII.

Friderieus II. Rex, Ioannes eius filius, Ludouicus Friderici III. frater, Mariæ Friderici filia, Martini vxor, Fridericus quoq; Infans Martini I. & Mariæ Reginæ filius hoc vnico claudūtur Tumulo.

Quatuor decoratur Dignitatibus a Nicolao V. Rom. Pont. deſignatis, aut potius reſtitutis anno 1453. quarum prima, eaq; poſt Pontificalem præcipua, eſt Prioratus, cuius inſtitutio vetuſtiſſima eſt. Secunda eſt Cantoria. Tertia Decanatus. Quarta Theſauraria. Canonici olim xxii. numerabantur; tum xx. Sed ab ann. 1568. ex Pij reſcripto duodecim totidemq; Hebdomadarij ſiue Beneficiati, quos Secundarios appellamus, qui illic diuinum penſum exſoluunt, Benedictinis monachis ſuffecti. Quibus ab anno 1630. adiuncti ſunt Manſionarij octo, Perſonatus duo, quorum alter Magiſter Capellanus, alter Cæremoniarum magiſter dictus eſt, quorum omnium collatio & prouiſio ad Epiſcopum libere plenoq; iure ſpectat, vt dicebam. Canonici & Dignitates Cappæ, Rocchetti, & Almutię nigri coloris vſum habent: Ex eorum gremio quàm plures ad varia Eccleſiaſticæ dignitatis munia aſſumpti fuerunt, ex ijs tres Cardinales euaſere, Archiepiſcopi plures, Epiſcopi nō pauci, Abbates tandem plurimi prodiere genere, doctrina, & eruditione illuſtres, quos omnes ſuo loco recenſebimus.

Præter Cathedralem Baſilicā plura alia viſuntur Templa anti-

tiquitate & ſubſtructionibus inſigni-, nec mediocr bus cenſibus aucta. Præcipua recenſetur ſecularium Canonicorum Collegiata Eccleſia S. Mariæ de Elecmoſyna, ab Eugenio IV. motu proprio in Collegialem erecta anno 1446. quam ſub Regia ipſius protectione recepit Alphonſus Siciliæ Rex, illamq; Regiam Capellam eſſe decreuit, quod & Carolus V. Cæſar, Philippus II. & tandem Philippus III. in Siciliæ ſceptro ſucceſſores firmarunt. Eamdem Inſignem edixit Vrbanus VIII. Tres ſunt in ea Dignitates, Canonici vndeuiginti, ſupernumerarij ſex, duo tandem Perſonatus, omnes 30. numerorum explent. Electionis fruuntur priuilegio (quando vacationis caſus occurrit) ex Nicolai Papæ V. reſcripto, quo & Optionē habent inter ſe.

Ex hoc Collegialiū Canonicorum agmine iugiter prodierunt, prodeuntq; in dies viri pietate, doctrina, rerum deniq; agendarum dexteritate conſpicui, quos omnes in album digeſtos nuper euulgabam. Inter quos Georgius Coſta Cardinalis Epiſcopus Portuenſis, & Oliuerius Caraffa & ipſe Cardinalis Albanus, poſt Sabinenſis, Franciſcus Sanſonius Epiſcopus Laudenſis, Philippus Lancea Liparitanus Antiſtes, Aloyſius Brancifortius Erculis Brancifortij S. Ioannis Ducis filius Epiſcopus Melphienſis in noſtros Canonicos ac Dignitates adlecti præ ceteris in noſtris tabularijs memorantur, vt reliquos taceamus.

A

Regium Benedictinorum congregationis Caſſinenſis Cœnobium D. Nicolao de Arenis ſacrū ſpectatæ magnitudinis & elegantiæ, marmoreo opere elaboratum, Clauſtri maieſtate admirandum, quod ſi omni ex parte abſolui contingat, futurum eſt, vt nulli alteri cedat ex ijs, quæ in Italia habentur celebriora; Perplures, eæq; Inſignes in hoc Monaſterio cuſtodiuntur Sanctorum Reliquiæ, omnium autem pretioſiſſima eſt particula Veſtis Albæ, qua Chriſtus Dominus ab Herode illuſus eſt, vna ex Spinis quæ Saluatoris noſtri capiti inxerunt. Fruſtum ex ligno Sanctæ Crucis; ſed ſuper omnia ſacratiſſimus CLAVVS, quo Redemptoris noſtri in Cruce pendentis dextera ligno affixa Æterno Patri Adæ debitum ſoluit, à Martino I. Siciliæ Rege anno 1393. Patribus illis oblatus. Cetera de eo petas licet ex ijs, quæ ego ipſe *Catan. Decach. Chord. 2. Mod. 5. fol. 115.* ex induſtria dicebam.

B

S. Franciſci Minor. Conuent. Regium & ipſum Cœnobium, ab Aleonora Siciliæ Regina, Friderici III. Siciliæ Regis vxore, Petri II. matre, S. Ludouici Tholoſani Epiſcopi ſorore, Religionis huius alumna, reſtitutum anno 1329. & altera ex Spinis, quę Chriſti Domini verticem cruentarunt, ac Fruſto ligni Sanctæ Crucis nobilitatum; in quo & ipſa moriens tumulari voluit anno 1341. Nobilitatur præterea Sanctorum Philippi & Vitalis Martyrum corporibus, & altero ex digitis S. Blaſij.

C

D

S.

S. M. Annunciatæ, ſiue de Monte Carmelo ſacrum Cœnobium, idemq; Regium ac Imperiale à Conſtantia Auguſta Henrici VI. Cæſaris Siciliæ Regis vxore, Friderici item Cæſaris hoc vocamine I. Sicilienſium Regis matre ædificatum ann. 1200.

Omnis itē Ordinis ſacri alumni intra Catanam recepti Catanenſium pietatē teſtantur: ex ijs decem & ſeptem ſpectantur Religioſorum cœnobia, præter Abbatiam S. M. Nouæ Lucis in cōmēdam ſecularibus clericis conferri ſolitam. Sanctimonialium monaſteria duodecim. Laicorū ſodalitia 25. Domus vna, in qua mulieres in peccatum prolapſæ, quæ honeſtiorem vitam meditantur, ibiq; ex eleemoſynis ſeorſim & religioſe viuentes ſeruari ſolent, quoad illarum ſtatui, & honeſtati, vt cum Dei timore viuant, conſultum fuerit. Domicilium mulierum pœnitentiū, Conuertitas appellant, quæ huius ſeculi vanitates pertęſæ ſe Deo perpetuò mancipantes vitam monaſticam ducunt.

Aliud puellarum parentibus orbatarum, quæ in ædibus ad id deſtinatis ſub matronarum cura educantur, & cuſtodiuntur, quouſq; vel nubant, vel regularem profiteantur diſciplinam.

Domicilium puerorum (vulgò Orfanelli) qui parentibus orbati virtutis tyrocinium ponunt.

Plura demiq; præclara pietatis opera, ac virtutum domicilia, Xenodochia, Noſocomia, piorum congregationes, Seminarium iuxta decretum Sacri Conc. Trid. inſtitutum ædificijs nobile. Mons pietatis ad pauperum vſus vitæq; ſubſidia inſtitutus: quorū omnium Auctores, exordia, progreſſus, inſtituta tandem diſtinctis excurſibus Chorda 2. per totam ex induſtria recenſebam.

Catanenſium porrò Epiſcoporū breuem contexit catalogū m. Vincentius Cultellius, idemque Catanenſis & Antiſtes: laxiorem nuper dedit Notitiā Abbas Rochus Pirrus. Seriem & ego omnium minimus ex alijs Auctoribus, atque antiquiſſimis monumēnis erutam compilaui in meo *Catan. Decachordo Chorda 9. per totam*: Illam modò quamplurimis auctam notitijs, quæ non erunt Lectori inucundæ, proferimus cumulatiorem.

§. I.

S. BERYLLVS.

Anno Verbi 42.

DIVVS itaq; *Petrus* Apoſtolorum Princeps, poſt credita ſibi a Domino vniuerſalis Eccleſiæ gubernacula, Antiochiæ ſedens, diſcipulos plurimos virtute magnos, ſanctitate præcipuos ad prædicandum populis Euangelium deſtinauit, inter quos *BERYLLVM*, *Martianum*, *ac Pancratium* Epiſcopali dignitate inſignitos in Siciliam (auctore præ cæteris cum *Metaphraſte in Orat. de SS. Petro & Paulo ad diem 29. Iunij, Cornelio à Lapide in cap. 28. Actuum Apoſtolorum fol. 352.*) amandauit. *Beryllus* itaq;

Siciliam aduentans, *Catanae* ſe continuit, ibiq; Chriſti Domini Verbum euulgans, prima Chriſtianæ Religionis poſuit fundamenta Anno chriſtianæ ſalutis 42. vel, vt *Baronio* arridet, 44. *Claudio* Orbi, & Vrbi imperante. Decuit ſanè, ait *Roccbus Pirrus in Cat. Eccleſ. Notitia fol.* 2. vt huic Vrbi Catan. adeo nobili atque celebri Antiſtes daretur ab Apoſtolo Petro, vt inde facilius, ac fœlicius ad reliquas vrbes Chriſtiana Religio deduceretur.

Apoſtolum porrò in conſtituendis Eccleſiarũ ſedibus id quãmaximè reſpexiſſe, vt florentiſſimas tantum Vrbes, quæue cæteris longius antecellerent, Epiſcopali dignarentur honore, pluribus aduertit *Cardinalis Baronius Annal. Eccleſ. tom.* 1. *ad annum* 46. quo etiam loci recenſens Antiſtites à *Diuo Petro* conſtitutos in Sicilia, numerat *Beryllum*, *Pancratium*, *Martianum*, & *Philippum*. Catanam verò quàmflorentiſſima dignitate prẽſtãtem, *Romanorum Praetorum* ſedem fuiſſe, plurimis item titulis celeberrimam, ac commendabilem, accerſito ſermone dicebam *Catan. Decachord. initio fol.* 1. & *ſeq.*

Hinc conſectarium opinor, vt verus audierim *Catan. Decachord. tom.* 1. *Chord.* 2. *Mod.* 3. *Excurſu* 4. & 5. Et iterum *tom.* 2. *Chord.* 7. §. 17. Catanenſem Eccleſiam Metropolitica dignitate prẽſtãtem reliquis Archiepiſcopalibus Siciliæ Eccleſijs longiùs antecellere (quamuis noſtra hac ætate Epiſcopali dumtaxat honore prẽfulgeat, & neſcio quo fato, quoue iure Monteregalenſi Eccleſiæ ſuffraganea pronuncietur) eamq; illi dignitati & Iuris acceſſionem ceſſiſſe: Et quia Chriſtianæ fidei ſemina in Catan. area per *Beryllum* (qui à *D. Petro* in Siciliam miſſus *Chriſtum* omnium primus annunciauit) primùm diſſeminata, faciliùs inde ac felicius in reliquas Siciliæ vrbes fuerunt propagata: Et *Regiae Vrbis* ſplendor ac maieſtas id iure ſuo expoſtulabat, accerſito ſermone pluribus contendens. Id quod quadrato, vt aiunt, lapide ſtabilijt *Ioannes Fileſacus de ſacra Epiſcop. auctoritate cap.* 9. §. 14. hæc inquiens. *Inconfeſſo eſt apud omnes, Archiepiſcopos, ſeu Epiſcopos Metropolitanos dictos, qui in Metropoli, & praecipua totius Prouinciae Vrbe ſedem haberent, ſiue quod vrbs illa longè antea Prouinciae caput eſſet, ſeu à gente, quae Prouinciam occupaſſet, iſtiusmodi conſtituta eſſet.*

Inſolens id ne ſuſpiceris. Metropoles initio naſcentis Eccleſiæ, vt & poſterioribus ſeculis, eò loci erectas in quibus chriſtiana Religio primum fuerit diſſeminata, & Præfecti Prætorio, Proconſules, Legati Conſulares, ac Præſides inibi degerint, nemo tantillum in Eccleſiaſtica Hiſtoria verſatus negabit.

Noſter itaq; *Beryllus*, Patria *Antiochenus*, induſtrius agricola Catanenſem Aream ſibi creditam, rudem adhuc campum, vomere ſermonis Dei proſcindens, ac Domino excolendam diligenter attendens, verbo, ſed magis exemplo, vitiorum ſentes

tes extirpare contendit, lapides item nociuos. Gentilitatis scil. errores, ex ea abijcere studuit, quin omne semen verum in ea seminare, virtutum flores, qui in arbores excrescentes vberes fructus parturiunt, inserere, omnia tandem in semitam rectam perducere adlaborauit: vt vel sic imbre spiritualis gratiæ fœcundata maturam frugem redderet tempore suo. Quamuis enitendū illi quàm maximè fuerit, vt noua dogmata imbutis superstitione mentibus insinuaret (impura siquidem religione Catanēsium vrbem reliquas Siciliæ vrbes anteuenisse, magnamq; sibi assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem, Deorum ideo Sacrarium dictam, ego ipse dicebam *Catan. Decach. Chor. 2. Mod. 1. fol. 10. & seqq.*) Signis ideo ac virtutibus occurrit, ægris sanitatem impetrauit, immundos quoq; spiritus ab obsessis fugauit corporibus, surdorum auribus, & infidelitatis obturatione damnatis ad percipiendam vocem cœlestium mandatorum pretiosum infudit auditum; cæcis à via veritatis errantibus illum, quo Christus videtur, reparauit intuitum, vt iurè dixeris, quicquid in hac sācta plebe potest esse virtutis & gratiæ, de *Beryllo* tamquam ex lucidissimo fonte, imò patentissimo flumine riuulorum hæc puritas emanauit.

Nobile, præ cæteris, illud de eo memoratur virtutis insigne, quòd fores in vrbe amarissimos, & ad sitim refocillandam, humanos item vsus prorsus ineptos, solutis ad *Deum* precibus, in dulcissimos conuertit. Hinc virtute magnus insignem quēdam Idololatram, & cum eo innumerā hominum multitudinem, ad susciendam *Christi* fidem, doctrinis, ac miraculis comprobatam, adegit, exciuit. Catanensi tandem Ecclesia sanctissimè reformata, cum multos gentilium, vt dicebam, conuertisset ad fidē, nonagenario maior obdormiuit in *Domino*, Mense Martio, die eiusdem 21. Annum adhuc ignoro, probabile tamen est in annum 98. à *Christo nato* è viuis ereptum.

De Sancto isto Catanēsi præsule in *Martyrologio Romano* ad prætactum diem 21. Martij hæc habentur. *Catanae S. Beryllj, qui à D. Petro ordinatus Episcopus, cum multos Gentilium conuertisset ad fidem, in vltima senectute quieuit in pace.* De eo quoq; in Græcorū Menologyo hæc legimus. *Beryllus Antiochenus B. Petri discipulus, ab eo in Siciliam missus, veniēs Catanę primus Episcopus ab eo ordinatus; qui verbo, & exemplo populum sibi commissum erudiens, ex Gentilitate ad Christum conuertit, praedicationem miraculis comprobans: cumq; ad summam senectutem peruenisset, Ecclesia Catanensium optimè constituta, ad cœlestem Patriam euolauit 12. Kal. Aprilis.*

His patria scripsit Philippus Ferrarius *in Catalogo SS. Italiae*, in vno dumtaxat lapsus, quòd Berylllum cum Apostolorum Principe Siciliam aduentasse scribit, qui ab eo Antiochię adhùc a-

gente fuerat antea in Siciliam amandatus. Ergo Ferrarius *Beryllus Antiochenus B. Petri Apoſtoli diſcipulus cum eo in Siciliam veniens Catanae primus Epiſcopus ab eo ordinatur: qui verbo & exemplo populum ſibi commiſſum erudiens, plurimos ex Gentilitate ad Chriſtum conuertit, praedicationem miraculis comprobans. Cum autē ad ſummam ſenectutem peruenisſet, Eccleſia Catanenſium optimè conſtituta, tandem ad cœleſtem patriam euolauit 12. Kal. Aprilis.*

Noſter autem *Beryllus* ab illo, quem *S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Alexandro imperante, Boſtranenſē Epiſcopū in Arabia memorat, alius planè, ac longè diuerſus, ex eo, ſi cætera deſint, euidenter euincitur, quòd hic anno circiter quarto ac vigeſimo ſupra ducēteſimum vitam agebat: noſter verò Præſul anno 44. vt dicebam. Adeundus ad rem *Baronius in Notis ad Martyrologium Roman. 21 Martij.* & iterum *Annal. tom. 1. ann. 45. & 26.* Decuit ſanè vt Ciuitas domi foriſq; Clariſſima illuceſcente Chriſtianæ religionis die, cæterarum prima ſurgentis Auroræ videret exortum.

A

B

C

D

§. II.

S. EVERIVS

Anno Chriſti 260.

VIam vniuerſæ carnis ingreſſo *D. Beryllo*, Præſularis dignitas oblongo vnius ſeculi ſpatio, & vltrà, conquieuit; quid potiſſimum in hac temporum, annorumq; periodo actum ſit, in *noſtris Annalibus*, diſtinctis annorum epochis, recentauimus: multa item accidiſſe, quæ noſtram fugiſſe notitiam facile eſt coniectari, certi tamen quid pronunciare non audeo: temporum vertigines, bellorum turbines, Scriptorum inopia, noſtrorum denique tabulariorum ſuperiori ſeculo deperditorum iactura in cauſa fuere, vt in noſtro Antiquitatis cellario nil planè reperiri facilè fuerit, quod illuſtrādæ veritati facem poſſet præferre.

Secundus itaq; poſt *D. Beryllum* Catanenſis Epiſcopus inſtituitur S. *EVERIVS* Anno poſt Chriſtum natum ſexageſimo ac ducenteſimo, *Valeriano*, & *Gallieno* Imperantibus, auctore poſt alios *Octauio Caietano in Idea fol. 71. & 141.* quo primū tempore *Stephanus* Pontifex *Romæ* martyrio coronatus eſt nonis Auguſti.

Noſter ergo Præſul cum virtutum omnium laude præſtaret, ad ſacram patriæ Eccleſiæ Præfecturam aſſumptus, eo in munere doctrinæ præceptis, ſed vitę potiſſimum exemplis, vt commiſſum ſibi gregem in ſalutis ſemitam deduceret (vt bonum paſtorem decet) adlaborauit. Ingraueſcente *Valeriani*, & *Galleni Cæſarum* in Chriſtianos perſecutione, à *Neophito* Leontinę Ciuitatis Epiſcopo illuc accerſitus, Sanctorum Martyrum *Alphij*, *Philadelphi*, *ac Cirini* corpora in crypta quadam cōdita primùm veneratus, Templum mox *Deo Opt. Max.* in illorum ſacrauit hono-

norem. Aliud item, quod gentilitatis erat fanum, *B. Theclae* ope operaq; sacratius exedificatum, eliminata Idolorum superstitione, in honorem sanctissimę Dei Genitricis sacra deliniuit unctione: tum quadringentos, & triginta viros, baptismatis abluens fluentis, in vitę nouitatem regenerauit. Rem ex ordine narrat manuscriptus codex apud *Monasterium Cryptę Ferratę ord. S. Basilij* græcis characteribus exaratus, a pio doctoque viro latinè redditus, quem fideliter, vt accepimus placuit exscribere.

Erant sub id tempus (scil. anno 261.) *Anatolicus, Stobilius, & Hyereus viri pij, ac timentes Dominum; cum quibus consilium iniens Neophitus misit in Vrbem Catanęsium vocatum sanctum eorum Episcopum. Discesserunt ergo Aquilas & Andronicus Diaconi in Catanam Vrbem cum ipsorum literis, quibus acceptis beatissimus Episcopus, & lectis, laetitia affectus est, ac statim discessit cum Diaconis, & ascendit in Leontinorum Metropolim. Occurrit verò illi Episcopus Neophitus in loco vocato Cyparissia, qui cum se inuicem amplexati essent, ingressi sunt vterque Vrbem, & ascenderunt in Episcopium. Accedens verò Thecla deosculata est pedes sanctissimi Episcopi Catanensium Vrbis; ille verò ad eam respondit. Gaude domina Thecla, quae cursum consummasti, & fidem seruasti; gaude Domina, & Martyrum cum eis, Sanctorum commilito, quae ipsis deseruisti in eorum vita; quae etiam ipsis templa pro tuo desiderio erexisti; verè beata es, quia sola in generatione ista inuenisti requiem omnium Dominum.*

Deinde assurgens Episcopus Neophitus procidit ad pedes beatissimi Episcopi Euerÿ, dicens ipsi. Quoniam, Domine mi, & pater, propè est octaua dies praesentis mensis celebris solemnitas, idest Natiuitas perbenedictae Deiparae & semper Virginis Mariae: eodem modo post hanc solemnis & venerandae Exaltatio pretiosae & viuificae Crucis, rogamus beatitudinem tuam, Domine, vt praesentia tua, vnà cum humilitate nostra, conseceres hoc venerandum Templum, quod aedificauit beata Thecla spiritualis mater nostra in gloriam Dei, & incorruptae matris eius; neque enim decet nos praeuenire solemnitates illius sine communione. Cum etiam Episcopalis huius multitudo, quam beatitudo tua videt, diuinum & salutare baptismatis recipere quarunt. Beatus verò vir ille respondit. Fili, bonum consilium, quod habes, custodiat te, & bona mens custodiat cor tuum. Hoc decet implere, Domino nobiscum cooperante, & beatis Apostolis nobiscum praesentibus, qui te elegerunt in Thronum Episcopatus.

Deinde die quarto mensis Septembris, iussit Episcopus apponi aquam in Baptisterio, illi verò exierunt: & descenderunt in Templum Sanctorum, & benedictorū Martyrum. Videns autem beatum Templum Sanctorum, laudauit sanctam illam mulierem, tenensq; Episcopus Neophitus Beatissimum Episcopum Euerium, introduxit illum in cryptam, vbi sanctorum martyrum corpora iacebant, in qua etiam Pastophoriū constituit Beatae Theclae. Attollens

ve-

verò operculum ex ipsis Episcopus Neophitus cum omni timore, & factus in extasi procidit ad pedes illorum, & adorauit illos, non enim ferre poterant odorem, qui erat in Crypta, & splẽdorem faciei illorum, & cũ multis lacrymis Neophito dicebant. Beatus homo es, quia tales, ac tantos thesauros habes in loco isto, quod olim erat malorum Dæmonum. Verè dignè illos veneratur Ciuitas ista, per illos enim hic prædicatus est omnium rerum Opifex. Ostendit autem illi etiam locum olei fluentis de petra. Dixit autem Episcopus (Euerius) Neophito, discedamus hinc in processione, & ascendamus in Templum benedicta Deipara: egressi verò sunt omnes clerici, & presbyteri, & Diaconi vtriusque Episcopi, & ascenderunt in Templum benedicta Deiparæ, sequente etiam multitudine populi à longe. Ingressi verò consecrauerunt venerabile templum perbenedictæ Deiparæ & semper Virginis Mariæ.

Cum autem benedixisset aquam sancti lauacri, baptizauerunt illa die vterque à summo mane vsque ad horam sextam viros triginta supra quadricentos: omnium autem illorum fuit mater & susceptrix Beata Thecla, & Iustina, & Eutropia. Et cum diuinum sacrificium perfecissent, sumpserunt omnes sanctum & immaculatum corpus Domini Nostri Iesu Christi. Facta est autem letitia in illa Ciuitate, & resplenduit facies illius tanquam Sol, & eleuatum est cornu illius vsque ad Cælum, & eleuatus est super libanum fructus eius, & pullulauit tanquam palma, quæ recens vomas emittit. Vt autẽ breuiter sermonem

A

perstringam, dimiserunt baptizatos, cum esset baptismali eorum in domum Thecla, quæ strauerat mensas, & deseruiebat illis. Beatissimus verò Episcopus Ciuitatis Catanæorum remansit in Episcopio, erat enim prouectus senex dierum, & nõ poterat amplius adiuare, & appositus illi mensam, qui comedit, & bibit, & requieuit.

B

Ipse verò Neophitus non gustauit panem, neq, aquam bibit, sed permansit virtiliter ab hora nona vsq; ad matutinum, imò perseuerauit vsque ad tertiam horam baptizans populos. Admiratus verò est ipsius patientiam Episcopus Euerius. Rursus verò cum confecissent Diuinum sacrificium, tradiderunt cõmunionem ijs, qui vltimo loco illuminati fuerant. Hoc verò faciebat Episcopus Neophitus baptizans populos omnes

C

vsque ad primam diem mensis Decembris, cum iam dimisisset Episcopum Euerium in propriam vrbem.

Hoc porrò Templum, quod in honorem Dei Genitricis apud *Leontinos* noster sacrauit *Euerius*; illud esse constat, quod hodie in Matricem cessit Ecclesiam *Diuæ Mariæ de Caua* nomine prænoratam. Consecrationis memoria ad diem 4. Septembris anniuersaria celebritate recolitur.

D

Euerius itaque Leontino *Catanam* reuersus Templum *D. Mariæ de Bethleem*, iuxta sepulchrum *Stesichori* magni nominis Poetæ, extra portam *Stesichoriam*, hodie *sacris* nuncuparam, sacris adhibitis de more cæremonijs consecrauit eodem anno 261. Hanc *Diuæ Virgini* sacram Ædem vetustate collapsam, *Fabius Paterno*

nò Patricius Catanenſis decentiùs reſtituit; annuo item redditu ad Sacra inibi peragenda donauit apud tabulas *Antonini Murabiti* 15. *Iunij* 4. *Indict.* 1531. piamque hanc diſpoſitionem, ne conſequentibus annis deperiret, Fratribus Carmelitis exequendam mandauit; ſacra item per eoſdē peragenda præcepit; hinc prætacta Bethleemitica Eccleſia ei, quæ *à Carmelo*, ſiue *S. Mariæ Annunciatæ* dicitur, aggregata, de illius pertinentijs, Epiſcopo ita permittente, effecta eſt, dato ad id reſcripto apud *Epiſcopij Tabulas* 21. *Iunij* 4. *Indict.* 1531. Hodie (quæ temporum ac rerum eſt inconſtantia) in prophanos vſus, ac priuatorum ædes ceſſit.

Euerius tandem, multis pro *Chriſti* nomine, populi item ſibi commiſſi ſalute, feliciter exanthlatis laboribus, dies meritis penetrauit in Sancta menſe Nouembris die 16. anno circiter 288. cum ad ſummam peruenisſet ſenectutem.

Sancti huius Antiſtitis hiſtoriam, actæ item vitæ rationes penes ſe habere teſtatur laudatus *Octauius Caietanus in Idea fol.* 87. eius tamen morte, nimis immatura, quod egregie parabatur, importune deturbatum eſt. De eodem paucula quædam ſcripſit *Philippus Ferrarius in Martyrologio ad diem* 16. *Nouembris*. His Verbis. *Catanæ in Sicilia B. Euerij Epiſcopi ex Martyrologio Siculo, & ex actis SS. MM. Alphij, Philadelphi, & Cirini. Præfuit Eccleſiæ Catanenſi ſub Decio, & Valeriano Impp.*

A

§. III.

S. SEVERINVS.

Anno ſalutis 312.

B

TErtius Catanenſi Eccleſiæ Paſtor præficitur S. *SEVERINVS*. Hic, quo tempore ſub imperio *Conſtantini*, cui egregia de Chriſtiana Religione facinora, ſed Romana inprimis Eccleſias *MAGNI* cognomentum dedere, coronatū martyribus caput extollebat Chriſtiana Religio, anno ſalutis duodecimo ſupra trecenteſimum, Catanenſi populo ſanctiſſimè præfuit. Antiſtitis huius facinora, longe potiora, obliterarūr diuturna temporum ſpatia.

C

Illud dumtaxat ex Actis *S. Agryppinae V. ac M.* poſteritas electauit: Seuerinum ſcilicet *Euprexiae* nobilis fœminæ rogatu *Deo ter Opt. Max.* in honorē prætactę chriſti ſponſæ *Agryppinae* Ædem, ſuis ipſius mulieris opibus aliàs extructam, ſacra olei delinitione Mænis ſacraſſe (*Maenas* Vrbs eſt in Sicilia ad 40. paſſ. millia à *Catana* diſtans, *à Ducetio* ſiciliæ Rege condita, ſi credimus *Diodoro lib.* 11, anno ante Chriſtum natum quarto ac vigeſimo ſupra quatricentеſimum) ibidemq, Diuæ Martyris corpus ſolemni depoſuiſſe ritu die 8. Iunij anno à Virginis Partu 312. Id quod Acta tranſlationis *D. Agrippinae* pro illius officio, quod editum *Panormi* Anno 1572. publicè in Eccleſia illa decantatur, vt audio perbelle ſub-

D

ſubſignant his verbis. *Poſtea verò cum expleuiſſet Euprexia Eccleſiam, accerſiuit S. Seuerinum Catanenſem Epiſcopum, qui conſecrauit Eccleſiam in honorem Dei, & martyris Agryppinæ ſeſto Idus Iunij, tempore Conſtantini Imperatoris, dum Eccleſia caperat gratia Chriſti.*

Eſt hodie ſacra hæc Ædes à S. *Seuerino* olim Conſecrata, vt dicebam (liceat hic parumper extra limites euagari) Parochialis, ac Collegialibus titulis honeſtata, *D. Agryppinæ V. & M.* Vrbis patronæ, ac Tutelari Numini titularis. Cauendum ideo à *Roccho Pirro in Notit. Eccleſ. Syracuſanae fol.* 241. vbi de *Mænis* accerſito ſermone verba faciens Templi huius ædificationem conſignat in annum 263. Hoc ſiquidem anno *Gallienus Cæſar* Imperij dabat Iura, eiuſdemque aſſumptionis nonus habebatur annus: *Conſtantinus* verò, quo Romanum imperium moderante, Sacrę huius Ædis exordia memorantur, vt dicebam, ab anno 306. ad annum vſq; 337. Leges dabat, Imperialibus Infulis ipso die Pentecoſtes 12. Iunij, ex ineuitabili humanæ naturæ neceſſitate, depoſitis.

Putarim ego annũ 263. quem Templi ędificationi *Pirrus* adſcribit, rectius, & fortaſſe verius, ſacrarum diuæ iſtius Virginis Reliquiarum transiationi adſcribẽdum. Illuſtre ſiquidem Diua illa virgo pro Chriſtiana Religione martyriũ ſubijt *Romæ* anno 259. quo tempore *Valerianus Imperator* Chriſtianorum carnificinam exercebat; quæue octaua

A numeratur Eccleſiæ perſecutio à *Hieronymo*, *Auguſtino*, *Oſio*, & *Seuero*; quarto dein ab ſuæ depoſitionis, ſiue martyrij anno iam exacto, à piiſſimis mulieribus *Baſſa*, *Paula*, & *Agathonices* clam ſuſceptum. *Romæ* Mænas ſacrum illud depoſitum translatum fuit.

Sancti noſtri Pontificis vitam ex antiquis erutam monumentis apud ſe habere teſtatur *Octauianus Caietanus in Idea fol.* 90. ſed lucem adhuc non aſpexiſſe certius eſt, quàm quod hoc loco ſignetur. Cum demiq; vigilis Paſtoris munus abioluiſſet, carnis eductus ergaſtulo cum æterno Paſtore conregnat, Cuius ad cęlum tranſitũ die 8. Iunij anniuerſaria celebritate Catanenſis Eccleſia commemorat.

C Sub *Seuerini* Præſulatu *Conſtantinus*, idemq; Magnus Imperator, anno reparati Orbis quarto & vigeſimo ſupra trecenteſimũ, Imperij verò vndecimo, ſacro expiatus baptiſmate Romanam Eccleſiam donarijs plurimis quam munificentiſſime donauit: ſingula refert *Anaſtaſius Bibliothec.* apud *Baroniũ* ad hunc annum. Inter alia hæc legere eſt. *Maſſam Trapeas in Territorio Catanenſi præſtantem ſolidos* 1650. *Item Maſſam Oaſti præſtantem ſolidos* 1000. *& Maſſam inter Siciliam Tauronæ ex territorio Pariſienſi præſtantem ſolidos* 500. Idem habes in vita S. Silueſtri tomo 1. Conſiliorum.

§ IIII.

DOMNINVS.

Anno redempti orbis 430.

DOMNINVS. Quartus poſt *Diuum Beryllum* Catanenſem Eccleſiam rexit anno Domini trigeſimo ac quadringentesimo. Oecumenicæ Epheſinæ Synodo ſub *Celeſtino* 1. *Rom. Pont.* indictæ interfuit & ſubſcripſit.

Chalcedonenſi item Generali Cõcilio ſub *Leone* 1. *Pontifice* coacto anno 450. ſuum & ipſe ſuffragium dedit, ſubſcripſitq; Teſtantur id eiuſdem Concilij Acta *Actione* 2. *tom.* 2. *Conciliorum*.

Quid porrò his Cõcilijs actum fuerit ad propugnandũ labantis Eccleſiæ ſtatũ pernicioſis erroribꝰ impetitũ, alterius eſt inſtituti. Labitur *Pirrus hic fol.* 5. Antiſtitis huius Præfecturam ad annum 451. conſignans, ni forte inter cudendum error irrepſerit, vt probabilius puto: id quod Epheſina Synodus, cui *Domninum* interfuiſſe teſtatur ipſemet *Pirrus*, anno 430. primum indicta, proximo dein anno 431. 10. Kal. Iulij. tercentum fere Epiſcoporum conſeſſu celebrata, abſolutaq; (ſi credimus *Baronio* cæteriſque paſſim Scriptoribus) vel me tacente, conuincit. Liquet igitur *Domninum* vltra duplicem annorum Enneadem ſacram egiſſe Præfecturam. Cum deniq; talenta à Domino accepta, ac ſapienter, vt pie credere eſt, negoriata, copioſo cum fœnore, reddere ſtuduiſſet, appropinquãte rationis tempore, Deum laborum ſuorum remuneratorem promeritus, è viuis exceſſit anno 458.

§. V.

FORTVNATVS.

Anno Domini 512.

QVintus ab inſtituta Catan. Eccleſia numeratur Epiſcopus *FORTVNATVS.* vt nomine, ſic Doctrina, prudentia, virtute tandem; quibus excellebat, verè Fortunatus; ad illius clauum aſſumptus ann. circiter duodecimo ſupra quingenteſimum. Quo autem tempore *Hormiſda* ad ſupremum Pontificiæ dignitatis apicem euectus eſt anno 514. ipſe vna cum *Ennodio* (nonnullis *Ennodium* dictum obſeruo) Ticinenſi Epiſcopo, *Venãtio* Romanę Vrbis presbytero, ac *Vitali* Diacono; ad *Anaſtaſium Auguſtum*, ſecundi ab laudato *Hormiſda* inſtituta legatione, Legatus miſſus eſt anno 517. Rem habẽt huius Pontificis acta *tom.* 2. *Concil. in eius vita fol.* 359. his verbis. *Hormiſda, ſub Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano, cum conſilio Theodorici Regis direxit Ennodium Epiſcopum Ticinenſẽ, & Fortunatum Epiſcopum Catanenſem ad Anaſtaſium Auguſtum.*

Legationem hanc ea de re à S. Pontifice inſtitutã perhibent Eccleſiaſtici prophanique ſcriptores, vt Auguſti mentem explorarent, num Catholicam profiteri fidẽ mallet, Chalcedoneſis item

C Con-

Concilij decreta recipere: nec
hō & vt *Ioannem* Conſtantinop.
Epiſcopum in Arianorum hæreſim prolapſum ad perfidiam abiurandam commonitum, Catholicæ fidei reſtitueret vnitati. Rei tamen euentus non æquè votis reſpondit. *Ioannes* ſiquidem *Anaſtaſij* auctoritate fretus, imò inſolentior factus, Pontificis eiuſque Legatorum conſilijs parere recuſauit; quinimò *Auguſtus* in ſua perſiſtens nequitia eò veſaniæ procedit, vt legatos turpiter à ſe reiectos vrbem excedere iuſſerit, ac labefactæ rimoſæq; impoſitos naui recta via in *Italiam* redire, nullumq; Græciæ littus attingere præceperit: hæc quoque eiſdem mandata ad Pontificem dediſſe ferunt; *Vt ſciret Imperatoris proprium eſſe imperare, nō autem imperata Pontificis, aut alterius accipere.* Verum enim verò hoc arrogantiæ verbum æternæ humiliationis vltio ſubſecuta eſt: exiguo namque ſubſecuto tēporis interuallo, iuſto *Dei* iudicio, fulmine de cœlo percuſſus impius Imperator occubuit: meritas ſcelerum pœnas exſoluens, ac ſenſatis Principibus ſuæ ipſius veſaniæ memorandum relinquens exemplum.

A

B

C

D

§. VI.

ELPIDIVS.

Anno à Virginis partu 580.

AD ſacram eamdem Præfecturam ſextus aſſumitur *ELPIDIVS* (Lapidium nonnulli dixere) & qui in ea primum Diaconus miniſtrauerat, mox communibus totius Cleri ſuffragijs in Epiſcopum aſſumitur anno octuageſimo ſupra quingenteſimum. *Pelagio* 11. in Petri Cathedra ſedente. Catanenſem ideo ſi dixerimus *Elpidium*, a vero fortaſſe non abibimus; certi tamen quid pronunciare non audeo.

Elpidij in Epiſcopum electionem exhibet nobis laudatus *Pelagius in Epiſtola* 8. quam ad Catanenſē clerum exſcripſit (habes illam *Tom. 2. Concil. in fine*, & *in can. Talia. 8. quæſt. 3.* tranſcriptam) verba ad rem opportuna placuit hic recitare. *Hoc etiam*, inquit S. Pontifex, *nos duximus commonendos, vt decretum in Elpidium Diaconum factum, & ſubſcriptum ab omnibus, quos veſtra relatio deſignauit, ad Nos cum prædicti Viſitatoris* (erat is Eucarpus Epiſcopus Meſſanenſis) *Epiſtola, & cum eodem Diacono mittatis, Deo propitiante, perducere.* Et poſt pauca. *Cum igitur hūc. filius noſter magnificus Vir Leo Prætor veniſſet, retulit nobis de ſingulis, quæ ibi mota ſunt, & quomodo vota prope totius Ciuitatis in Elpidio Diacono concordarent.*

Meminit *Elpidij* noſtri & magnus Pontifex *Gregorius* Pelagij ſucceſſor *Epiſtola* 21. *lib.* 8. *Indict.* 3. quam ad *Leonem* Catanenſem Epiſcopum, qui *Elpidio* in Epiſcopatu ſucceſſerat, exſcribit.

Præceptum, inquit, *Beatæ recordationis prædeceſſoris noſtri Pelagij datum ad Elpidium prædeceſſorem veſtrum, cuius ſubtus exemplaria*

plaria fecimus adſcribi, ſine aliqua volumus refragatione ſeruari.

Præſulis iſtius actæ vitæ rationes temporũ inuoluceris, Scriptorum inopia, Codicum deniq; iactura tenebris cõſepulta delituere. Hominis tamen virtutem, mores, dexteritatẽ deniq; inde facilè erit & promptum cõiecta ri, quòd diſſidentibus clericorũ ciuiumq; ſtudijs, vnanimi ferè bonorum contentione, in Epiſcopum fuerit electus, id quod non obſcure ſubinnuiſſe viſus eſt laudatus *Pelagius* in Epiſtola, quam ex parte ſuperius exſcribebamus, cuius item verba ad rem facientia ſubjcimus. *Verum tamen quia quoſdam ibi non ſanâ intentione, ſed prauis ſtudijs ſe diſſenſiones ſuſcitare, veſtra etiam relatione, cognouimus; qui ſcientes ſe ad Epiſcopatum nec ætate, nec ſcientia, nec vitæ meritis poſſe perduci, ad hoc tantummodo inquietare Eccleſiam volunt, vt ſibi de his, quæ ex ipſa præſumpta ſunt, impunitatẽ futurus promittat Epiſcopus &c.*

§. VII.

LEO.

Anno à Virgine Matre 590.

ELPIDIO ſufficitur *LEO* hoc vocamine primus Catan. Epiſcopus anno nonageſimo ſupra quingenteſimum: perſpicuè id euincit *D. Gregorius* in ea, quã ad *Petrum* Siciliæ Subdiaconum ſcripſit, *Epiſtola* 70. *lib.* 2. *Ind.* 9. quæ ad prætactum annum & ſequentem 591. conſignatur ex *Gordonio in Chronologia ad hunc eundem annum*; verbis illis. *Gregorium Agrigentinum, & Leonem Catanenſem, & Victorem Panormitanum volumus ad te ante hyemem proficiſci.*

Plures itidem ad prætactum *Leonem* dedit Epiſtolas laudatus Gregorius: quarum prior occurrit illa, quæ 34. adnumeratur *lib.* 3. in qua præcipit ei, ne Subdiaconi cum vxoribus ſuis miſceantur (mos apud Siciliam per hæc tempora inualuerat, vt Subdiaconi vxores ducerent) id iam *Pelagius* Gregorij prædeceſſor vitauerat, imo vt matrimonia huiuſmodi diſſoluerentur præceperat. Rem *Gregorius* ita definijt, vt qui coniugati iam eſſent, retinere coniuges poſſent, ſed ad ſuperiores ordines, non niſi illis dimiſſis, promoueri non poſſent. Subdiaconus item poſt hæc nemo conſeceraretur, qui cõtinentiam Epiſcopo non antea ſpopondiſſet; Adeundus ideo *Baronius ad hunc annum* 591. Mandat item, vt Specioſi vxorem, quam *Leo* ipſe in monaſterium iuſtis ex cauſis detruſerat, ad eius maritum ſine aliqua formidine remeare permittat.

Altera eſt *Epiſtola* 32. *lib.* 5. in qua demandat eidem, ne Samaræis mancipia pagana emere, eaq, circumcidere permittat, ſic inquiens. *Samaræos Catinæ degẽtes, qui pagana mancipia ementes illa circumcidere præſumpſerũt, zelum in hac cauſa ſacerdotalem exercens, grauiter arguas, & mãcipia ipſa ſine mora in libertatem modis omnibus vindices, & Eccle-*

ſiaſticam illis tuitionem impendas; nec quicquã Dominos eorum de pretio quomodolibet recipere patiaris, eum non ſolum hoc damno mulctandi, ſed etiam alia pœna ſeuerius eſſent puniendi.

Iterum Epiſtola 8. lib. 7. eidẽ ſcribit, vt Clericis ſuis quartã portionem tribuat. *Volumus*, inquit, *vt quicquid Eccleſiæ tuæ ex reditu, vel alio quolibet titulo forta ſſis acceſſerit, quartam ex inde portionem ſine diminutione aliqua debeas ſegregare, atq; eam ſecundum Dei timorẽ Presbyteris, Diaconibus, ac Clero, vt tibi viſum fuerit, diſcrete diuidere: ita tamen vt vnicuiq; ſicut meritum laboris exegerit, libera eidem Epiſcopo ſit, iuxta quod prouiderit, largiendi licentia; quatenus & hi, qui merẽtur, etiam temporali ſe ſentiant commodo conſolatos, & alij adiuuante Domino eorum ad melius contendant imitatione proficere.*

Ad hæc per *Epiſtolam* 21. *lib.* 8. edicit, vt omninò curet, ne monachi *S. Viti*, quod in Ætnæ appendicijs ſitum erat (quodnam fuerit hoc Cœnobium res apud me eſt prorſus incerta) mulieribus ſe commungere præſumant, *Et ſi huiuſmodi iniquitatem ab aliquibus perpetratam inuenerit, ita peruerſitatis huius facinus digna ſtudeat condemnatione corrigere, quatenus & Deum placare, & alijs, ne de cætero quid ſimile perpetretur, cuſtodia poſſit diſciplinam oſtẽdere.*

Inſuper *Epiſtola* 5. *lib.* 9. eidem Leoni commendat *Seuerum virũ magnificum, quatenus eius auxilio ac protectione negotia ſua dirigantur, & quiete, quam ſtudioſè diſiigit, perfruatur.*

A

B

C

D

Rurſus *Epiſtola* 22. *lib.* 11. Hadrianum Chartularium in partibus Syracuſanis eidem commendat. Erat porrò *Chartularius* Iudex Eccleſiaſticus loco Pontificis, & publicarum chartarum cuſtos, maioris tamen Dignitatis in Oriente (quo loci Chartophilax dicebatur) quàm in Occidente. Adeundus ad rem *Anaſtaſius Bibliothecarius in Notis ad Actionem ſecundam Octauæ Synodi, & poſt* eum *Baronius ad annum* 591. *nu.* 31. *Iacobus Gretſerus in Comment. ad Codinũ Curopolitam lib.* 1. *cap.* 4. & 13. *Rocchus Pirrus in Notit. Eccleſiæ Leontinæ fol.* 436.

Hoc amplius, *Epiſtola* 59. *lib.* 11. ſcribens Fantino defenſori Panormitano meminit de *Leone*, quatenus in cauſa *Exhilarati Epiſcopi* bis iudicauerit, & ad Eccleſiam ſuam tranſmittendum fore decreuerit; cuius iudicium ſanctus Pontifex approbauit.

Epiſtola tandem 22. lib 7. quæ ad annum 599. conſignatur, hęc de noſtro Præſule ſcribit ad Ioannem Syracuſanum Epiſcopũ. *Filius noſter Leontinus Exconſul de fratre & Coepiſcopo noſtro Leone grauiter eſt queſtus. Nos eius querela omnimodè turbauit, quia ita præcipitanter ac leuiter ab Epiſcopo agi non debet.* Quænam autem fuerit grauaminis occaſio, penes Scriptores exaratum offendere adhuc non licuit.

Per hæc tempora Epiſcoporum Synodus *Catanæ*, aut *Syracuſis* quotannis cogebatur, rem habet idem *D. Gregorius Epiſt.* 1. & 70. *lib.* 1. quod & notat *Pirrus in noſtræ Catan. Eccleſiæ Notitia*

ad

ad annum 590. *& in Notit. Panor. ad annum* 603. *nu.* 8. Sub hoc idē tempus prætactus S. *Gregorius Epist.* 28. *lib.* 7. ei, quem dicebam *Ioanni Syracusano Episcopo* præcipit (est Ioannes iste ille idem, qui *Catanæ* exortus, Patriæ Ecclesiæ primùm Archidiaconus; dein Syracus. Episcopus assumptus, integritate vitæ spectatissimus beato fine quieuit anno circiter 609.) vt diligēti indagatione perquirat, an verè Catanensis Ecclesiæ Diaconi Campagis calceati incessissent. Sunt autem *Campaga*, siue *Campagia*, calceamēti genus reticulatum, multis circum crura flexuris, alijs super alias scandentibus, implicitum: ijs Patritij, Senatores, Imperatoresue vtebantur. Adeundi ad rem *Ludouicus de la Cerda in Aduersarijs sacris cap.* 3. *nu.* 2, *Balduinus in suo Antiquo Calceo*: *Ioseph Laurentius in Amalthea Onomastica in verb. Campagus*.

Maxima per id temporis percrebuerat inter Romanam & Byzantinam sedem De Primatu disceptatio: res eò peruenerat, vt Ioannes Constantinopolitanus Antistes Concilium in vrbe illa coegerit annō 587. specie quidē quasi Gregorij Antiocheni cum Asterio Orientis Prælecto subortas contentiones, indeq; populi excitatas seditiones pacaturus: re vera autem Oecumenici nomen, Ecclesiarum item omnium Primatum sibi vsurpaturus, id quod exitus comprobauit. Huius tamen Conciliabuli acta irrita declarauit Pelagius Rom. Eccles. Pontifex, qui & Ioannis Oecumenicum nomen damnauit. Id ipsum fecit Gregorius, qui Pelagio in Pontificatu successit: Ioanni ideo Syracus. Episcopo scribit *Epist.* 64. *lib.* 7. *Indict.* 2. vt arrepta occasione Catanā pergat, ac tum ibi, tum Syracusis publicè doceat Gregorij obtrectatores temerè in Sanctum Pontificem illa cunctasse: falsos item esse, si crederent Romanos Pontifices à Græcis mutuasse sacros Missarum Ritus; aut Constantinopolitanam Ecclesiam Sedi Apostolicæ non esse subiectam. Epistolæ huius seriem placuit exscribere: plura siquidem continet ad sacram Politiam spectantia.

Veniens quidam de Sicilia mihi dixit, quod aliqui amici eius vel Greci, vel Latini, nescio quasi sub zelo S. Rom. Ecclesiæ de meis dispositionib' murmurarēt, dicentes: Quoniam Ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere, quòd eius consuetudines per omnia sequitur: cui cum dicerem, quas consuetudines sequimur? quia Alleluia dici ad Missas extra Pentecostes tempora fecistis; quia Subdiaconos spoliatos prodere: quia Kirie eleison dici: quia Orationem Dominicam mox post Canonem dici statuistis. Cui ego respondi, quia in nullo eorum aliam Ecclesiam secuti sumus. Nam vt Alleluia hic diceretur, de Hierosolymorū Ecclesia, ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum: & ideò magis in hac Sede illā consuetudinem am-

amputauimus, quæ hic à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem vt ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo Eccleſiæ fuit. Sed quia placuit cuidam noſtro Pontifici, neſcio cui, qui eos veſtitos procedere præcepit. Nam veſtræ Eccleſiæ numquid traditionem à Græcis acceperunt? vnde habent ergo hodie, vt Subdiaconi Lineis in Tunicis procedant, niſi quia hoc a matre ſua Romana Eccleſia perceperunt? Kirie eleiſon autem nos neq; diximus, neq; dicimus, ſicut a Græcis dicitur: quia in Græcis ſimul omnes dicunt, apud nos autem a clericis dicitur, & à populo reſpondetur, & totidem vicibus etiam Chriſte eleiſon dicitur, quot apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Miſſis alia, quæ dici ſolent, tacemus; tantumodo Kirie eleiſon, & Chriſte eleiſon dicimus, vt in his deprecationis vocibus paulò diutius occupemur. Orationem verò Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorũ fuit, vt ad ipſam ſolummodo Orationẽ oblationis hoſtiam conſecrarẽt. Et valde mihi incõueniens viſum eſt, vt precem, quã Scholaſticus compoſuerat, ſuper Oblationem diceremus, & ipſã traditionẽ, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper eius Corpus & Sanguinem taceremus. Sed & Dominica Oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos verò à ſolo Sacerdote. In quo ergo Grecorum conſuetudines ſecuti ſumus? qui aut veteres noſtras reparauimus, aut nouas & vtiles conſtituimus, in quibus tamen alios comprobamus imitari? Ergo veſtra Charitas, cũ occaſio dederit, vt ad Catanenſem Ciuitatem pergat, vel in Syracuſana Eccleſia eos, quos credit, aut intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt, facta collatione doceat, & quaſi alia ex occaſione eos inſtruere non deſiſtat. Nam de Conſtantinopolitana Eccleſia quòd dicunt, quis eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam? quod & piiſſimus domnus Imperator, & frater noſter Euſebius eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus aſſidue profitentur. Tamen ſiquid boni vel ipſa vel altera Eccleſia habet, ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſũ. Stultus eſt enim qui in eo ſe primum exiſtimat, vt bona, quæ viderit, diſcere contemnat. Ita Gregorius.

Noſter tandem Antiſtes anno ſexcenteſimo iam exacto mortalitatem exuit.

§. VIII.

IVVINVS.

Anno à Virginis partu 601.

OCtauus ad Catanenſem Cathedram aſſumitur *IVVINVS* (Iunium nonnulli: Iuninum plerique dixere) anno 2. poſt ſexcenteſimum. Edocet id *Epiſtola 29. lib. 12. Indict. 7.* quæ anno 604. adſcribitur; à magno Pont:

Pont. *Gregorio* ad Antiſtitem noſtrum exſcripta, quam placuit hic tranſcribere, quia Præſulem noſtrum Deo & hominibus dilectum ſolitariæ vitæ ſtudioſum, in Sacræ lectionis ſtudio verſatum non obſcure demonſtrat.

Dilectus filius meus Ciprianus Diaconus reuertēs mihi valde placuerat, ſi ad me totus redijſſet, ſed poſtquam gloria veſtra in Sicilia ſe ſe retinuit, certiſſimè ſcio, quia prædictus filius meus ad me quidem corpore redijt, ſed mente in Sicilia remanſerit hæc tamen dicens, tantum quieti veſtræ congaudeo, quantum de meis occupationibus ingemiſco: atq; hoc ſummopere exhortor, vt ſi palatum cordis dulcedo tetigit intimę ſuauitatis ita introrſum rapiatur animus, vt triſte ſit omne, quod foris ſonat, omnę quod foris delectat. Laudo autem quòd humana cōuenticula caueatis, quia ſæpe animus, qui renouari in Deo per compunctionis gratiam deſiderat, per praua colloquia iterum veteraſcit. Quæſiui autem qui vobis adhæreant in lectionis ſacræ collegio, & neminem reperi, & vehementer ingemui paupertatem boni: & quamuis peccator ego ſim valdę occultus, tamen ſi ad B. Petri Apoſtoli limina venire volueritis, in ſacro eloquio ſtrictū me poteritis habere collegā. Omnipotens Deus cœleſti vos protectione cuſtodiat, atq; ab antiqui hoſtis inſidijs munitos permanere concedat.

Quinque vidit Epiſcopus noſter, dum Catanenſis eccleſiæ clauo preſideret, in Petri Cathedra ſedentes Pontifices; Gregorium, quē dicebamus, 4. Idus Martij 7. Indict. 604. è viuis ſublatum, Sabinianū quinque eoq; amplius mēſibus à Gregorij obitu elapſis electum, Bonifacium huius nominis IV. S. Deus dedit, ac tandem Bonifacium hoc vocamine V. ann. 617. ſubſtitutum. Sub quod ferè tempus Iuuinus mortalitatis exuuias depoſuit, Immortalitatis Infulis, vt piè credere eſt, induendus.

§. IX.

IOANNES.

Anno Domini 624.

VIta functo *Iuuino*, ſufficitur *IOANNES* hoc vocamine I. Catanenſis Antiſtes, in ordinē verò IX. anno ſal. 624. ſi credimus *Pirro hic fol.* 7. Diſſentit nāque manuſcriptus Catanenſium Epiſcoporum Catalogus *Ill. Cutel. Catan. Antiſtitis* induſtria olim exaratus, *Ioannis* aſſumptionem ad annum 643. conſignans. Lateranenſi Concilio, quod ſub *Martino I.* Romæ coactum eſt ann. 649 & interfuit & ſubſcripſit. Quid porrò hoc Concilio actum fuerit, alterius inſtituti eſt expendere: conſule, ſi lubet, *Baronium ad hunc annum*.

Difficillimæ ſanè fuerunt horum temporū conditiones Scriptoribus celebratę. *Platina* in primis in vita laudati Martini I. *Anaſtaſio Bibliothecario, Carolo Sigonio, Paulo Diacono, Baronio* tādem

ad

ad annum 669. quibus *Catanenſes* populi, *Siculi* item vniuerſi, Calabri quoque, alijque permulti miſera ſtrage ab *Agarenis* afflictati duriſſimâ, quàm nunquam antea, Tyrannidem ſuſtinere coacti ſunt: ad prætactos Patres te delegarum ſcias, ne ſuos extra fines noſtra vagetur oratio.

§. X.

IVLIANVS.

Anno à Chriſto nato 673.

POſt *Ioannem* Epiſcopales capeſſit Infulas *IVLIANVS* anno tertio ac ſeptuagesimo ſupra ſexcenteſimum. De eò penes noſtra Tabularia illud dumtaxat offendere licuit, quòd ſextæ Oecumenicæ Synodo *Conſtantinopoli* ſub *Agathone* Catanēſi ſummo Rom. Eccleſiæ Pontificē, & *Conſtantino* huius nominis V. Cæſare cognomento *Pogonato*, 279. Patrū conſeſſu coactę anno 681. præſens fuerit, & in Actione 4. ita ſe ſubſcripſerit. *Iulianus exiguus Epiſcopus Eccleſiæ Catanēſis Prouinciæ Siciliæ.*

Quid porro in hoc generali Concilio ad *Monotheſitarum* hæreſim extirpandam potiſſimùm actum ſit, ipſius Acta teſtantur; & laxiori ſyrmate proſequuntur *Anaſtaſius in Agathone*, *Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum lib. 5. cap. 4. Baronius ad prætactum annum* 681. cæterique Eccleſiaſticarum rerum Scriptores.

Antiſtitis noſtri Præſulatus initia ad annum 673. conſignabamus verus fui, quamuis annum 678. præſcripſerit *Pirrus in noſtræ Eccleſ. Notitia fol.* 7. Noſtræ aſſertionis aſſumptum ex M. S. Catalogo Catan. Epiſc. è Vaticanis Regeſtis per laudatū Epiſc. Cultellium eruto, cui tanquam ſacræ Anchoræ innitimur, fidem ſibi vendicat & auctoramentum.

§. XI.

S. IACOBVS MARTYR.

Anno Chriſtianæ pietatis 730.

VNdecimus patriæ Catanenſi Eccleſiæ datur Antiſtes S. IACOBVS anno trigeſimo ſupra ſepticenteſimum, quo tempore Leo Iſaurus impius Cæſar ſacrilego Edicto ſacras vbiq; Imagines deleri præceperat.

Præſul igitur noſter, vel adoleſcens, mundi ſpretis illecebris monaſticam amplexus diſciplinam, regularis vitæ ſub *Diui Baſilij* inſtitutis injungitur: vbi ieiunijs, vigilijs ſacrarum deniq; literarum meditationibus impenſam nauauit operam: mox inuitus, & ex obedientia, tanquam Aaron *à Deo* vocatus, Catanenſis Eccleſiæ præficitur Epiſcopus anno, vt dicebam, 730. qui dum veri Paſtoris munus exequitur, vt venienti lupo mactare perderet; oues anhelanti generoſus obſiſteret, pro ouibus ſuis, ſed ſacrarum in primis Imaginū cultu, ab Iconomachis multa perpeſſus, in ipſis cruciatibus vitam inuictus profudit die 21. Martij, anno vt reor 740.

Eum

Eum Catanēſis Senatus anno 1632. die 12. Auguſti, vt vel ſic dignam tanto Præſule conciues opinionē conciperent, ad eumq; venerandum vehementius excitarentur, quem in terris degentem Antiſtitem habuit, eumdem in Cœlis conregnantem in Patronum adſciuit.

Plura de eo notarūt *Græcorum Codices in Anthologio ex Cardinali Sirleto*: nonnulla in Menologio, quæ latinè reddita hæc important. *Iacobus Martyr, & Epiſcopus è pueritia Monaſticæ vitæ inſtitutis, & ſacris literis eruditus, Catanenſi Eccleſiæ eo tempore præfuit, cum barbororum in ſacras Imagines impietas deſæuiret, pro quarum cultu exilium, innumeroſque labores, ac cruciatus conſtantiſſimè ſubire non dubitauit, quibus confectus animam Deo reddidit.*

Sancti huius Epiſcopi pariter ac Martyris ſcitè meminit *Octauius Caietanus in Ideo fol. 75. 92. & 110.* vbi illius vitā penes ſe habere ſubiungit; pauca quædam notauit *Philippus Ferrarius* in ſuo Martyrologio ad diē 21. Martij cuius hæc verba. *Catanæ in Sicilia S. Iacobi Epiſcopi, & Martyris: de eo Græci in Anthologio, & Menologio: paſſus eſt ſub Leone Iſauro. Apud Græcos S. Iacobi Epiſcopi pro cultu ſacrarum Imaginum vexati ex tabulis græcis. Is prius vitam aſperam ducens, factus Epiſcopus ab Iconomachis multa paſſus eſt: de eo Græci in Anthologio, ſeu Breuiario agunt hac die, licèt locum, & cuius fuit Epiſcopus non indicent.* Atquì ex M. S. cuius ſuperius exſcribebā verba, de hoc apprime cōſtat.

§. XII.

S. SABINVS.

Anno Chriſtianæ pietatis 760.

ILle idem Dominus, qui coronam in perſecutione purpuream pro martyrij agone donauit *Iacobo*, ipſe in pace viuenti, pro Iuſtitiæ meritis, dedit candidam *SABINO*. Sanctus igitur hic Epiſcopus ſpectatæ virtutis merito, fauſta totius cleri populiq; acclamatione, *S. Iacobo* in Epiſcopali munere Succeſſor deſignatur anno altero ac ſexageſimo octaui ſeculi. Recruduerat hoc tempore *Conſtantini Copronymi* in Orthodoxos perſecutio: Sacrarum item Imaginum cultus, ac Reliquiarum veneratio impij Principis edicto deturbata eſt, Chriſtianorum animis ad defectionem vſque commotis: Sanctorum ideò Martyrum cætus maximè adauctus. *Conjule Baronium ad hunc annum tomo 9.*

Epiſcopales vt capeſſiuit Infulas, prædeceſſoris ſui terens veſtigia, *Chriſti Domini* fidem, Sanctorum honores, Sacrarum deniq; Imaginum, quæ tunc maximè impugnabantur, venerationem, Chriſtiana dicendi libertate, ſed vita in primis inculpabili, ſummopere ſtuduit propagare.

His alijſq; pijs operibus cumulatus talētum ſibi à *Domino* creditum ei duplicatum reddere ſatagebat: morti tandem proximus *Leonem* ſibi in Epiſcopatu ſucceſſorem prophetico ſpiritu

prænũciauit. *Simul ãtq; ego mortalitatem*, inquit, *exuero: Leo quidam magnanimus locum vicesſq; meas ſupplebit: hic gregi ſibi commiſſo beneficus ſalutaria paſcua miniſtrabit; lupis verò maxima erit terrori: quin etiam ſignis ac prodigijs Sanctitatis ſuæ lucem per omnia Chriſtianæ Reipublicæ loca diffundet. Idola, quæ neque ego, neque deceſſores mei deturbare potuimus, ſola oratione confringet, eaq; cum Delubro in pulueremrediget*. Hæc præfatus animam Domino reddidit 15. Octobris ann. 778. Quæ verò *Sabinus* prædixerat, opere Dominus cõprobauit, vt mox dicemus.

Hæc, quæ ſtrictim perſtrinximus, ex *Martyrologio Siculo*, *noſtræ Catanenſis Eccleſiæ Tabulis*, & *Hymno Græco de S. Leone* ſumus mutuati: agit de eo etiã *Octauius Caietanus in Idea fol.* 75. & 137. qui & illius vitam hiſtorica narratione deſcriptam penes ſe habere gloriatur fol. 93. Subſignat quoque *Philippus Ferrarius in ſuo Martyrologio ad diem* 15. *Octobris* hæc inquiens. *Catanæ in Sicilia Sancti Sabini Epiſcopi eiuſdem Ciuitatis, ex Martyrologio Siculo, & Tabulis Eccleſiæ Catanenſis, cui præfuit ſub Conſtantino Copronymo Imperatore, eius mentio habetur in vita S. Leonis Epiſcopi, qui illi ſucceſſit*. Ita Ferrarius. In alio porrò M. S. Cod. quem penes me habeo, hæc lego. Sabinus vir meritis conſpicuus, fide, vitæ moribus Deo dignus habitus Antiſtes, quem non ſolum Diœceſani eius debita cum veneratione colebant, verùm & Inſulani omnes pro eius ſanctitate venerabantur; qui expleto vitæ curſu migrauit è vita, vitã cum Chriſto poſſeſſurus æternam.

§. XIII.

S. LEO.

Anno humanæ redẽptionis 778.

VT dignitate compar, ita ſanctitate nõ abſimilis *Iacobo*, *ac Sabino*, quos dicebamus, ſucceſſor diuinitus ſubrogatur *S. LEO*, hoc vocamine II. Catanenſium Epiſcopus, in ordine decimus tertius, virtutum ac miraculorum ſignis, quibus enituit, iure *Thaumaturgus*, quo eum nomine Græci nuncupãt prædicãtq.

Sancti huius Epiſcopi facinora nec aptius nec apertius reddere poſſumus quàm ſi ea, quæ pro illius celebritate in *Gallicano Breuiario* cuius acta ſiue mauis monumenta, publice olim in Eccleſia recitabantur, hùc aduocemus, ac poſteris exhibeamus.

Ad veſpertinas igitur horas hæc pro Antiphonis in illius laudem decantabantur carmina.

Completis ſacris deceſſit Præſul ab ara.
Atque magum retinens ſubito coniecit in ignem.

Firmatus fidei ſcuto ſimulacra Deorum
Vertit, & in minimas confregit ſingula partes.

Iam magicos ritus Siculis Leo Præſul ab oris
Expulit, & Chriſti docuit celebrare Triumphos.

Vrbs

Vrbs præclara ſuo Catinenſis iure Leonis
Piaudat, vt afflictis habeat munimina rebus.
Clara igitur gemmis nunc vrbs fulcitur alumnis
Inde colunt Agathes, illinc ſacra feſta Leonis.

Hymnum verò, ſiue Laudis Canticum ita concinebant.

Mentibus lætis hodie canamus
Præſulis diui Catinæ Leonis
Feſta, quę noſtri coluere patres,
Laudibus almis.
Qui ſacer primis venerandus annis
Patriam linquens, merito repleuit
Italas vrbes ſimul & Sicanas
Nomine ſacro.
Præſul electus, pietate clarus,
Legibus ſacris cupidè vacauit,
Verbo, & exemplo populum refouit
Mitis ad omnes.
Hic magum vicit, populo ſtupente,
Cum Crucis ſigno ſimulachra vertit,
Quę prius nemo potuit ſacrorũ
Frangere Patrum.
Huius excelſi meritis precemur
Chriſtus vt nobis tribuat ſalutẽ,
Arceat peſtem, ſimul & iniqui
Semina belli.
Gloriam Trino Dño perẽnem,
Tum Patri, & Nato, ſimul vtriuſque
Flamini ſancto, ſupplici canam'
Corde per æuum. Amen.

Ad Matutinum verò pro Lectionibus hiſtoriam omnem, actæq; rei ſeriem, Sancti denique viri facinora recentantibus, hæc legebantur.

A

Beatus Leo Italus in finibus Rauennatum oriundus oppido, Ingenuos quidem, ac Chriſtianos parentes habuit. Ipſe verò à puerulo bonis operibus intentus degebat. Parentes autem eius ſummopere eum cuſtodiebant, ne ad exteras tranſiret nationes. Ipſe verò noctis ſilentio à Patria recedens, Rhegium vrbem Calabriæ petiuit, permotus ſanctitate Cyrilli Epiſcopi, à quo benigne ſuſceptus in Presbyteratus ordinem promotus eſt, ibiq; Sacramenta populis miniſtrando, verbo, & exemplo cunctos iuſſu erudiebat Epiſcopi.

B

Per idem verò tempus, apud Catinam vrbem Siciliæ nominatiſſimam, Sabinus vir ſanctus habebatur Antiſtes; quo ad Dominum migrante, tota Ciuitas, indicto tridui ieiunio, futurum Epiſcopũ à Domino reuelandum petebat. Tandem ſingulorum mentibus à Deo inſpiratum eſt, Leonem virum Pontificatu digniſſimum aſſumendum; qui licet inuitus, nimiumq; reluctans, ad Epiſcopatum aſſumptus, maximo cum honore Catanam deductus eſt.

C

Erat tunc Catanę quidam magus nomine Theodorus, aſpectu deformis, natione Iudæus, & poſt Simonem magum nulli in arte magica ſecundus; nam ſe, atq; alios in omnes beluarum ſpecies transfigurabat: quare cũ ciues eũ apud Conſtantinopolitanum Præfectũ accuſaſſent, iuſſit illò Præfectus ad ſe per Heraclium deduci. Magus autem He-

D

raclium cum multis à Bizantio venientem lætus ad balnea inuitauit, ſed ſtatim per artem magicam apparuerunt in Balneo apud Conſtantinopolim, quo audito Præfectus expauit, ipſumq; magum decollari præcepit. Ipſe verò antequam decollaretur, ſitiens, petijt vas aquæ, in quo ſubmurmurans ait, apud Catanam me quærite; & immergens caput vaſi eodem momento Catanam redijt.

Iterum pro eo miſſus eſt Heraclius, qui Catanam diebus 30. perueniens, deluſus eſt, & in trium horarum ſpatio Bizantiũ eo capto reuerſus eſt, nã per artem magicã tale nauigium illi parauerat. Egredienti autem de naui Theodoro omnis ætas, ſexus omnis occurrit. Vxor autem Heraclij cernens Theodorum, indignata dixit: O ſpurciſſime omnium, tu tantillus atque deformis tantum feciſti viro meo laborem? & indignans in faciem eius conſpuit. Cui ille, Ego te per triduum inenarrabili opprobrio cõfuſam cruciabo: omnemque ignem circa vicinam regionem extingui fecit, & ad poſteriora pudẽdorum mulieris illius ignis accenſus eſt vberrimus, expoſitaque in plateis, ſic cogente Magia, ignem cunctis quaſi ex fonte propinabat. Quare iterum magus ducitur ad decollandum: ſed attendens percuſſoris ictum, in dexteram eius manicam inſilijt, & per lævam exiens ex oculis euanuit, dicens, euaſi nuper, euaſi hodie, ſi me vultis, Catanæ adero; eademque hora per miniſtros Sathanæ aduectus eſt Catanam.

Demum rediens B. Leoni aduerſare cœpit, Chriſionemque eius cognatum molitus eſt decipere; cui dixit, ſi iubes, equum tibi dabo præ cæteris velocem: at ille annuens equum aſcendit, ſed cum ſe ad præcipitium duci cerneret, Crucis ſe vexillo muniuit, & ſic equus euanuit, & ipſe ſellæ inſidens, pedeſtris lora tenens remanſit. Miſſi illico apparitores Magum tenuerũt, quibus ille ait, dabo vobis libram auri ſi me dimittitis: qui accipientes lapidem pro auro eum nõ inueniſſe mentiti ſunt; ſed cum vellent aurum diuidere, reperientes lapidem, deluſi ſunt.

Erat tunc Catanæ Delubrum ſummæ venerationis, in cuius ſummitate duo extabant Simulachra ſtaturæ prægrandis, & admirabilis pulchritudinis, nã erant indiſſolubili arte magorũ locata, quæ quoties eius prædeceſſores Epiſcopi euertere tentauerant, terra tremebat; fulgura micabant. Sanctus autem Præſul Leo fidei ſcuto munitus, intrepidus ad Fanum acceſſit, factaque oratione, in quatuor ſciſſum eſt partes; Simulachra verò in partes contrita ſunt minutiſſimas: fit ſtupor omnibus, & ingens vniuerſorum lętitia, quia Chriſtianæ Religionis ſurrexiſſet in melius nouitas.

Poſt hæc B. Leo auram popularem perhorreſcens, cæpit loca ſecreta diligere, in quibus ſibi uacans, & Deo, cum vigiliarum labore carnem ſuam edomuit:

tar-

tardus erat ad loquendum, ſed ad iram tardior, promptus erat ad ſilendum, ſed ad riſum parcior.

Quadam die B. Leo ad Baſilicam in honore B. Mariæ conſtitutam celebraturus proceſſit, quò tota ferè Ciuitas conuenerat; adfuit etiam Theodorus magus, cum ſuorum grege complicũ, qui varijs incantationum generibus, à celebratione myſterij fidelium mentes conabatur auertere: nam adſtantium vultus in multorum animalium effigies demutauit; & ſic ingens cachinnus inter Miſſarum ſolẽnia diuerſimodè exortus eſt. Sãctus autem Antiſtes non propter hoc dimotus eſt à myſterio: nam illico plexis poplitibus ad Orationis arma recurrit, magusq; ille populi in medio vinctus diuina virtute tenebatur.

Expletis itaq; diuinis myſterijs, Præſul perrexit ad magum, & Orarium ſuum innexuit in collo eius, atque non procul ab Eccleſia foſſam fieri, ignemq; ſuccendi præcepit, & ſolo nexu contentus Orarij (*ſacræ ſcil. Stolæ*, vt ait *Bleſenſis ſerm.* 41. *Stephan. Gratian. diſcept.* 298. *nu.* 55. *cum ſeqq. tom.* 2. & *Ludouicus Lacerda in Aduerſarijs ſacris cap.* 64. *nu.* 4. & *cap.* 105. *nu.* 11.) ſecum traxit magum ad locum incendij, ſignumq; Crucis incendio oppoſuit, & in ignem magũ reſupinans ſuperaſtitit, nec vultum a flamma, nec ab igne manum retulit. Magus tandem combuſtus eſt; & quando alij longè ſatis aſtantes caminum feruentem vix ferre valerent, nullam tamen *Beatus* Præſul in orario, nec in veſtibus ignis notam contraxit, nec minus pilo nocuit, nam vultus ille Angelicus integer, & ipſe illæſus toto corpore apparuit.

Reliquum verò ſuæ vitæ tempus ſolitaria ſub conuerſatione decreuit agendum; & tandem febre correptus, vocatis ſacerdotibus, cæteriſq; Ciuitatis fidelibus, reſolutionem ſui corporis imminere nunciauit, & ſic inter omnium lamenta ſuorum ſanctam eius animam Angeli ſuſceperunt, ſepultuſq; eſt in Monaſterio ſuo non procul à Ciuitatis muris X. Calendas Martij.

Serui ſui ſanctitatẽ poſt mortem etiam Deus miraculis illuſtrare dignatus eſt: nam quædã mulier Syracuſana fluxum ſanguinis per multum iam tempus paſſa, a nullo medicorum curari potuit, exhauſtiſque membrorum viribus, Catinam acceſſit, & ſanctum Sepulchrum tangẽs, illicò inſtaurata eſt, & quæ ad Sepulchrum alienis pedibus adducta fuerat, ſuis inde redijt, benedicẽs Deum. Hactenus Hiſtoria ex *Breuiario Gallicano*.

Illud tamen non erit ſilentio prætereundum: quando *Leonem* audis in monaſterio ſuo non procul ab vrbe inter ſuorum manus animam Creatori reddidiſſe, vetus illicò Sanctorum Ep.ſcoporũ inſtitutum ſtudiumq; velim intelligas. Mos namq; fuerat antiquis illis Præſulibus monaſteria conſtruere, in quibus cum monachis viuerent, eorumq; diſciplinã in Clerum transfunderent,

de-

deducerentque. Id quod de *Eusebio Vercellensi Episcopo* testatur *Ambrosius lib.* 10. *Epist.* 82. *serm.* 15. *de laudibus Eusebij*. Idem de Martino Turonensium Antistite subiungit *Seuerus in vita S. Martini dialogo* 1. *cap.* 4. 5. & 7. De Ambrosio Mediolani Præsule affirmat *Augustinus lib.* 8. *Confession. cap.* 6. & *lib.* 2. *de Moribus Eccles. cap.* 31. 33. De eodem Augustino scribit *Possidonius in eius vita cap.* 5. & 11. Et tandem de nostro Leone nouissime *Pirrus in Syracus. Ecclesia Notitia ad annum* 503. *fol.* 130.

Suum quoque de Sancto isto Præsule perhibent testimonium Menea Græca apud Tabulas Ecclesiæ nostræ: placuit hic singula exscribere, ne contentiosus Lector suis fraudetur optatis.

Vita Sancti Leonis Thaumaturgi Catanensium Episcopi ex Græcorum Menæis expressa in Latinum.

Leonem admirandis operibus & sanctitate clarissimum Rauenna vrbs tulit: parentes illi nobiles æquè ac pij: nec porrò vulgaris homini fuit sacrarum literarum scientia. Cæterum quæ erat ipsius vitæ puritas, & animi mētisque prudentia, Rauennę primùm presbyter, deinde Catanæ, quæ tunc erat Ecclesia Metropolitana in nobili Sicilia, nobilis (vbi hodieque defluit Ætnæus ignis) Episcopus declaratur.

Is igitur apto videlicet nomine LEO, confidentis animi vir, ac luminaris instar effulgens omnes illustrauit, sedulam gerens animarum curam, defendens viduas, egentibusque prospiciens. Sed eo nimirum semper exarsit in Hæreticos odio, tam acriter aduersus impios, nunc coram disceptando, nunc scribendo se gessit, vt nemo manus cum eo ausus sit cōserere, qui nō sine insignis ignominiæ nota victus affectusq, discesserit.

Ita supra naturā longius euectum florere eum Dominus voluit operibus naturam ipsam excedētibus. Prius enim quàm augustissimum illud egregiæ victrici Martyri Luciæ Templum suo elaboratum artificio poneret, Idoli simulachrum precum opera dumtaxat vsus effregit. Sed ex eo cum primis Thaumaturgi cognomen meritò tulit, quòd Heliodorum admiranda quædā per veneficia, malasq; artes edentem prodigia, planè redegerit. Is enim cum passim in vulgus editor miraculorū audiret, vānisq; homines imposturis illuderet; atq; adeò sacro sanctam Dei Ecclesiam adoriri suis maleficijs ausus esset improbus, eū vbi e vestigio domuerat Leo, sacraque sua stola deuinxerat, ingentem vrbe in media adornari pyram iubet, inde cunctas hominis imposturas captionesque cum detexisset, collo eum arctè colligatum tenens, fornacem (aduocato cœlitus igne) ingreditur succensam: neq, verò prius inde pedem extulit, quam in cineres tādem redactus est miser. Id enim verò magnam in omnibus admirationem stuporemq, excitauit: neque enim solum magnus vir exustus ab igne non est

eſt, ſed ne ſacras quidem ipſius veſtes quidquam attigit flāma.

Quod ſanè miraculum cum ad vltimos vſque fines peruenisſet, inaudiſſentque Imperatores Leo & Conſtantinus, accerſiri virum ſanctum ad ſe ſe iubent; pedeſq; ipſius prehendentes obteſtati ſunt pro ipſis vt precaretur; eum exinde per honorifice dimiſſum ad Eccleſiam ſuam vitaq; functum ſummus omnium Imperator euocauit ad ſe.

Iam verò hic nō modò homo cum viueret operibus extitit ſupra naturam editis maximus, verùm etiam vbi è viuis excedens terræ mandatus eſt, pluribus clarus miraculis in omnium animis viuit.

Sancti quoq; noſtri *Leonis* egregia facinora perbellè perhibet *Hymnus* ex *Græco* expreſſus; quē ſi hic ſiſtamus, culpæ obnoxij non audiemus.

Hymnus ex Græco expreſſus in S. Leonem Epiſcopum Catanenſem.

Sancte, qui accepiſti gratiam miraculorum, cōfugientibus deſiderio ad Sepulchrū reliquiarū tuarum & valetudines quotidie LEO Beatiſſime ac diuiniſſime concedis: ideò pro nobis precare Dominum.

Vt conuenit Sancto protulimus hymnū, condignè Leonem ſanctiſſimum venite coronemus omnes ad celebritatē feſtorum amatores gaudentes. Ipſe quidē Rauenna profectus eſt, Catana ipſum ſuſcipit, dignum verè ipſius Thronum ornat, cōfirmatque laudantes: ideò pro nobis intercede.

A

Venite omnes nunc ad Templum Sancti cū deſiderio ſumentes fluenta miraculorum, accipite libenter; abundat verè omnibus medicamentis, ea ſine inuidia impertiens. Ipſe mulieris fluxum ſanguinis repreſſit, & omnes fideles adeuntes corroborat; quippe gratiam accepit à Deo, irrigans canētes: ideò pro nobis precare Dominum.

B

Aſcendiſti Beate in altum Diuinę contemplationis, & aſcenſionis, & Chriſto cum Angelis Sacerdos aſſiſtens, habens ſemper apud ipſum fiduciam, ò admirabilis. Ne ceſſes ſapiens vir flectere humani generis amatorem, vt det peccatorum veniam pacem autem in fine, ſeruans ſe laudantes: ideò pro nobis intercede.

C

A Rauenna illuſtraſti lucens gratia valde diuina, ac beatiſſima, Catanæ Thronum ornaſti LEO ſapiens, qui plenus es miraculis, intercede pro nobis celebrantibus cum deſiderio.

D

Laudemus omnes cum deſiderio & canticis à Deo inſpiratis, & cantilenis ſpiritualibus Leonem ſapientem, miraculorum operatorē, & Diuinum magiſtrū, ſicut decet patronum mitem, & ſuſcipientem derelictos, & pium interceſſorem à periculis ſemper liberantem, inceſſanter clamantes, & cū deſiderio celebrantes.

Dilucidè erroris odiū magnanimiter ſuperaſti fraudis filium Heliodorum cum præſtigijs ſuis; hunc Beatiſſime igni comburens morti tradidiſti: confirmaſti animas vacillantes in fide: lauda inceſſanter humani generis amatorem,

torem,& adminiſtratorē Deum, quem redde propitium clamantibus, & celebrantibus tuam ſanctam commemorationem.

Vt magnus inter ſacerdotes, & mirabilis in Sanctis, Trinitatem precare omnibus viribus sēper, Leo Beatiſſime, celebrantibus fideliter tuam glorioſam dormitionem, vt miſereatur, & remittantur peccata nobis confugientibus ad ſacratum Templum, & quotidie clamantibus, & celebrantibus cum deſiderio tuam ſanctam commemorationem.

Nec infra notam habēdus eſt Hymnus à *S. Ioſeph Hymnographo* in S. Leonis laudem exaratus, ex Græco Latinè redditus, Sancti huius Præſulis facinora perbellè deſcribens; en illum.

Hymnus Sancti Ioſeph Hymnographi Siculi in Sanctum Leonem Epiſcopum Catanenſium ex Græco expreſſus.

ODE I.

Te diuinam Pharum, ſapiens Leo, hilaris Chriſti Eccleſia nacta; virtutem & miraculorum tuorum facibus longè lateque collucet.

Ipſe te omnium Domino iam inde à pueritia deuouiſti, voluptatumq, morte, viuum illi ſacrificium extitiſti, ipſum te, ò Beate, haud profuſo ſanguine ſacrificans.

Tua, ò Deifere, vita virtutum ſplendore nitens, miraculorumque ornata fulgoribus, illuſtrem te apud omnes fecit.

ODE II.

Salutaria, pater, ac pia rectæ fidei dogmata integra cuſtodiēs aluiſti gregem vitali pabulo, atque ad cœleſte ouile duxiſti.

Vbi ad virtutum faſtigium, ò ſanctum caput, aſcendens, ſacro perunctus es oleo; altiſſimumq; Regem ex altiſſimo ſuggeſto ſapientiſſime dilaudaſti; ei, quo cum gratia coniunctus eras, tanquam Angelus miniſtrans.

Hoſtiles impetus, vir innocentiſſime, Chriſti cauſa ſuſtinens, immortalitatis campos & particeps factus, Cœleſtium in numerum relatus es. Vnguentum porrò fragrans ac perenne emittēs, qui te fide fulti adeunt ſanctitate donas.

ODE III.

Magnus terrārum orbi Sol exortus es, virtutum tuarum emicans, ac miraculorum ſplendore fidelium cætibus lucem affērens, libidinumq, caliginem, Leo ſanctiſſime diſpellens, Chriſtum Deum deprecare, magnam in nos ſingularemq; qua pollet, vt miſericordiam explicet.

Excolo iam mentis tuæ aruo, ſpicam, Beatiſſime, centeſimam tuliſti virtutum diuinarum, & multiplicis ſanctitatis, ſanctum tuum, vir ſancte, Sepulchrum ſancto iugique manat oleo, fide ad te accurrentium animas afficiens ſanctitate. Preſens morborum medicamentum, malorum dæmonum fuga, fideliumq; hominum perfugium, appellatus es Pontifex.

ODE IV.

Nox iam omnium mentem puriſſima inſpiciens mente, gratiarum lumen à Deo, ò diuino afflate numine, accepiſti: itemq;

vt

vt ſacra & illuſtria medicamenta benignè largeq; communicares, iſque profundam furentium perturbationum mortem diſſipares.

Qui eunctos Chriſtum audientes, Dæmonum fraudibus captos extinguebat, eum tu, Beate, victis ignibus cenſuræ lege adiudicaſti, animaſq; ingenti cum illius damno, interituq; vt verus ac ſalutaris Paſtor, vindicaſti. Medius dum ille combureretur, ſtetiſti, nihil omninò, ò nunquam non celebrande, flamma læſus: Diuinus enim te ſancti Spiritus ros circumfuſus tegebat, vt ſacrorum Antiſtitem, vt diuinæ gloriæ miniſtrũ, vt ſuperi ſplendoris compotem.

ODE V.

Cæcis lumen diuinæ mentis, Pater, tua deprecatione reſtitutum eſt: Chriſtum enim adiutorem nactus, animique oculos in illum coniectos habens, quæ petiſſes, nunquam non abunde, cumulateque ferebas.

Sane quam formidoloſus, ò Præclare, Regi extitiſti tũ, cum in ipſius Regia procedens ardentes in veſte carbones geſtabas: nepe celebrauit te Chriſtus, què vita ipſa tua Leo celebrabas.

ODE VI.

Leonem omnes, qui ſe à puero Domino dedicauit, primiſq; incunabulis ei gratioſus fuit; cantibus coronemus. Eccleſiæ luminare ac propugnaculum: eius enim eſt firmamentum. Plana mihi, te auctore, ſit, diſertaq; mi Chriſte, lingua, orationemq; tutè miniſtra, qui verba nobis, vitamq; præbes: totam vti poſſim boni ſapientiſque Sacerdotis vitam ornare laudibus, quam cœlitus acceptam, non ſatis cognitam charitate peregit in terris, innumerabilium pelagus miraculorum; dogmatum vim, atque virtutum, quibus Eccleſiam illuſtrauit: eius enim eſt firmamentum.

ODE VII.

Diuinorum, corporeq; vacantium ſpirituum inſtituta corporeus ipſe, ò diuinæ prudentiæ vir, imitatus, publicum obibis in Dei gloriam, honoremq; miniſterium, perpetuo illum carmine celebrans: Benedictus es Domine Deus in ſecula.

Quæ obſurduerunt aures, diuina plane deprecatione, Beatiſſime, reſeraſti, claudiſq; agilẽ, commodumq, propalam reddidiſti greſſum, Benedictus es Domine Deus in ſecula.

Medium Deiſere Pontifex ingreſſus ignem, diuino annuente Numine, haud quaquam arſiſti, cuius qui expers eſt, iure damnatus exuitur.

ODE VIII.

Diffuſa eſt gratia, Pater, ſacriſque Præfecte, in labijs tuis, propterea te Leo vnxit Deus populo Antiſtitem exclamantem, laudate Dominum, & ſuper exaltate eum in ſecula omnia.

Æterno Regi acceptus, beatiſſime Leo, apud terreſtrem aſtitiſti, candentes carbones deferens, eiuſque mentem admirabilibus, ac longe opinionem ſuperantibus operibus, in ſtuporem adducens.

Vt Arbor fructifera, Pater, plantatus in domo Domini diuinum oleum ex tuo corpore post obitum emittis, omnem semper à fidelibus abigens morbum, qui te perpetuis meritisque amciunt laudibus.

ODE IX.

Vt diuinis Te iucundisq; vocibus efferamus, beatissimumque decantemus, Sancte, acta vita præclarum, & supera atq; cœlestia circum euntem exultantemque, eripe nos precibus tuis Pontifex, & Pastor admirabilis, ex impotentibus animi motibus, ærumnisque, & infortunijs.

Qui Vitis veræ quasi palmes fueras, Pater, virtutum vuas protulisti mirabilium operum stillantes vinum, ex quo qui fideliter bibunt sanitatē hilaritatemq; consequūtur; te Sancte Leo deprecantes.

Sancti venerandique Spiritus Templum corpus tuum extitit, Pater, & nunc quidem in Diuino Templo, quod in Luciæ Martyris gloriam honoremq; erexeras, positum iacet, ex quo miraculorum nobis emanant fluuij pie te religioseq; venerātibus.

ODE X.

Sol apparuisti splendidus omnia semper virtutum splendore illustrans; nunc verò ad lumen ascendisti, quod non licet oratione complecti; ideò lucem afferentem dum celebramus memoriam tui, Beatissime Leo, ab omnibus me redime malorum tenebris.

Facem, ac Doctorem, eximiumque Pontificem te Christi Ecclesia, Antistes, agnoscit; ipsius quippe filios Diuine sācteq; Leo salubri pabulo præclare pauisti: hæreticos quasi agrestes feras propellens.

Catanæ lucidissimum ac lucu lentissimum astrum mirabilium operū auctor Pontifex Leo, Trinitatis mystes, propie Deiparam te parem mente, animoq; ac voce prædicauit, quam & nos Dei parentem aperte palamque laudamus *Hactenus Hymnus*.

Meminere sancti nostri Leonis *Romanum Martyrologium* ad diem 20. Februarij, ijs verbis. *Catanæ in Sicilia Sancti Leonis Episcopi, qui virtutibus atq; miraculis coruscauit*. Et ibidem *Baronius in Notis litera I*, hæc subiungit. *Agunt etiam de eodem Græci in Menologio; magnorumq; miraculorum effectorem prædicant*. *Simeon Metaphrastes in mensē Februarij, Maiolus tom. 2. coll. 3. fol. 182. Philippus Ferrarius in sua Topographia, & Caietanus in Idea fol. 95. & in Martyrologio fol. 107.* qui Magum illum Heliodorum appellant; eos sequitur *Maurolicus in Compend. Histor. Sicil. lib. 1. fol. 29.* vbi carpit *Fazellum decade 1. lio. 3.* Diodorum illum non semel nuncupantem. *Leodorum*, siue *Lyodorum* nonnulli dixere; inter quos *Matthæus Siluagius Colloqu. Triū peregrinorum cap. 44.* & ad hæc vsque tempora per manus ducta traditio hoc cum nomine nuncupatum testatur: hinc ab suo ipsius nomine *ELEPHAS*, vrbis insigne, prægrandi ex Ætneo lapide emigratum Statua, qua Magus ad popularium mentes demen-

mentandas abutebatur, deprauato etiam nunc vocabulo LIODORO appellatum eſt.

Celebris eſt Sancti huius Catan. Antiſtitis memoria in Oppido Saracenæ intra fines Coſentinæ Diœceſis in Calabria; dicato ei Templo, quod antea *D. Catharinæ Virgini* ſacrum erat, ipſo in Patronum adſcito. Sacrum illius corpus quonam quieſcat loco inexploratum habeo; nec enim quod vidimus, aut audiuimus nunquam, neſcire eſſe ducimus turpe. Illius dumtaxat brachium in hoc *D. Nicolai de Arenis* Cœnobio, argentea obſignatum Theca, decenter aſſeruari certo certius noui.

Illud tandem monuerim; celebre illud, quod *Inclytæ Chriſti Sponſæ Luciæ* ſanctus noſter Antiſtes poſuit Templum, illud idem eſſe, quod extra vrbis mœnia Carmelitarum Cœnobio, quod *S. Mariæ Annunciatæ* titulari tutelariq, nomine numineque prænotatur, finitimum coadiacet, formicato opere, in Eccleſiæ illius veſtibulo circumpoſitum, cuius extantes adhuc parietinę Tẽpium illud ingreſſuris a dexteris, vel inuitis, occurrunt.

§. XIV.

THEODORVS.

Anno Dominicæ Conceptionis 786.

AD cęleſte Epiſcopium euocato *Leone*, cuius è corpore ſolutionem ſingulos quoſque lacrymis deploraſſe teſtatur *Breuiarium Gallicanum*, ijs verbis. *Hodie ſanctiſſimus Leo inter diſcipulorum lacrymoſos gemitus, inter orationis verba, ſanctam ſuo Factori reconſignauit animam: & Clerus Pontificem, plebs Aduocatum, filij Patrem, ſerui Dominum, diſcipuli Magiſtrum, pupilli tutorem, vidua Patronum, pauperes Nutritium perdidiſſe deflebant*: aſſumitur THEODORVS anno ſal. ſexto & octuageſimo ſupra ſepticenteſimum, ea prouincia nequaquam indignus.

Hic igitur Antiſtes, quò primum *Epiſcopalis* Dignitatis culmem aſcendit, illicò Imperatoris mãdato (Imperiali ſolio per hæc tempora præſidebat *Conſtãtinus VII.* cognomento *Porphyrogenitus*. Porphyrogenetam alij nuncuparunt) *Hadrianum Pontificem* adit, ardua fidei negotia tractaturus. Obſignant id, quod intendimus, Acta *Oecumenici Concilij*, quod in *Nicæna vrbe* ſecundò habitum eſt anno 787. quodue VII. Generale Concilium numeratur. Actione ſiquidem II. hæc habentur. *Theodorus Dei amantiſſimus Epiſcopus Catanes dixit: cum ab Imperio pijſſimorum Principum litteræ ſacræ ad me miſſæ fuiſſent ſimul cum Leone presbytero veſtræ Sanctitatis ſeruo, datum eſt quoque mandatum mihi à Prouinciæ Siciliæ Præſide, vt Romam proficiſcens, Orthodoxorum Imperatorum fidem; & rectam animi ſententiam Archiepiſcopo exponerem.*

Porrò quando *Archiepiſcopum* audis, ſummum Romanę Eccleſiæ Pontificem intelligas velim:

mos namq; in *Sicilia* inualuerat, vt ſolus *Romanus Pontifex* Archiepiſcopi nomine vteretur : id quod ex *Franciſco Hallero in Deſcr. Eccleſiaſt. Hierarchiæ Tit. de Neceſſitate Epiſcoporum §. 3. nu. 29.* obſeruabã Catan. Decach. *Chord. 2. Modulo 3. Excurſu 4. f. l. 88.* addiderim modo *Ioannem Fileſacũ de ſacra Epiſcoporum Auctoritate cap. 9. §. 14.*

A

Theodorus igitur Oecumenicæ hinc Synodo *Hadriani I. Rom. Pontificis*, ac *Conſtantini & Irene Cæſarum* auſpicijs, Patriarcharũ Orientalium conſenſu, ac 367. Epiſcoporum interuentu, ad periclitantis labentiſq; Eccleſiæ ſtatui occurrẽdum coactæ, nedũ interfuit ſuumq; dedit ſuffragiũ: verũ & familiã ducere viſus eſt : eo namq; vel maximè auctore Synodum illam coactam, Iconoclaſtarum errores damnatos, reſtitutum ſacrarum Imaginum cultum, ex *Alberto Piccolo de antiquo Iure Eccleſiæ Siculæ cap. 26. parte 1. fol. 70.* dicebam d. Excur. 4. fol. 89. Hinc virtutis ergò, ſed recte factorum merito in primis, inter Siculos Antiſtites omnium primus ſubſcribitur. *Theodorus Epiſcopus Catanæ pẽſſimus, quique aderant illi Siculi Epiſcopi, item & Epiphanius Ciuitatis Catanes dicecanus* &c. & abſolutè alibi ſubſcribitur. *Theodorus ſanctiſſimus Siciliæ Epiſcopus.* Hinc etiam factum, vt Catanenſis Epiſcopus *Metropolita* fuerit acclamatus, vt ad rẽ ſere ſimilem ſpectans ſcripſit *Melchior Inceſer*, latis pro omnibus facturus *in hucusq; Veritatis candidato Epitolæ B. M. V. ad Meſſanenſes cap. 36.*

B

Perhonorificæ iſtius ſubſcriptionis non illam fuiſſe dixerim rationem, quam alias in generalibus Concilijs ſeruatam teſtatur *Baronius ad annum 451. nu. 17. & ad annum 465. nu. 27. tom. 6.* quãue Theodoro appingit *Pirrus in noſtræ Cat. Eccleſiæ Notitia f. 8. & in Meſſan. fol. 267.* quòd videlicet in ſubſcribentium Epiſcoporum ſerie, non Sedium prærogatiuam, aut ſubſcribentium dignitatem, ſed temporis, quo quiſque Epiſcoporum ſedere cœpit, haberi ſolitam rationem, & qui plures annos ageret in Epiſcopatu, priorem ſibi in Synodo locũ vendicaret, etiam ſi alioquin dignitate ſedis eſſet inferior : ſalua tantum Patriarchalium Sedium dignitate, quod ante Baronium monuerat *D. Gregorius lib. 7 epiſt. 112. ad Syagrium Epiſcopum Autuſtodun.* Non inquam hanc fuiſſe dixerim rationem, ſed illam, quam ſuperiùs innuebam, quia ſcil. Concilij huius Auctor vel maxime fuerit *Theodorus*. Virtutis igitur merito factum eſt, vt *Theodorus*, & qui Theodoro ſucceſſere Catanenſes Epiſcopi, qui *Archiepiſcopi*, quia *Metropolitæ* dicerẽtur, ipſo Romano Pontifice in primis annuente. Pluribus idipſum aſſequebar laudato Excurſu 4. non eſt igitur cur hic iterato ſiſtantur.

C

Noſter tandem Theodorus *Tharaſio Conſtantinopolitano Patriarchæ*, ſpectatæ ſanctitatis viro addictiſſimus audijt apud laudati Concilij acta *Actione 3.* Bona facile iungantur bonis; & vt aiebat *Plato*, ſolus bonus ſoli bo-

D

bono amicus. Rerum deniq; geſtarum gloria conſpicuus terrenas Inſulas exuit anno circiter 800. cœleſtibus induendus.

§. XV.

S. SEVERVS,

Anno Humanæ ſal. 802.

THeodoro ad cœleſtem patriam euocato, S. SEVERVS notiſſimæ ſanctitatis Epiſcopus ſufficitur anno 802. ipſo eodem tempore, quo *Irenes Auguſta* in Lesbum Inſulam à *Nicephoro Longobeta* arcta ſub cuſtodia relegata eſt (ne vt inquit *Æmilius*, nuptijs ſuis reliquam Græcorũ ſpem in Franciam deferret) ibique ærumnis confecta diem clauſit extremum. *Nicephoro* in Imperium ſubrogato. Seueri aſſumptionem ſub *Nicephoro*, quem dicebam, ad annum 812. coniectatur *Octauius Caietanus*, cui ſubſcripſit *Petrus in noſtræ Catan. Eccleſiæ Notitia fol.* 8. Placet mihi, quam ſuperiùs dicebam, temporis ratio ac periodus, *Io. Philippi Ferrarij* inferius ſiſtẽdi munita ſuffragio.

Præſul igitur noſter Græcorũ Menologio quam maximè commendatus, Prædeceſſorum ſuorum ſecutus exempla, commiſſo ſibi gregi ſanctiſſime præfuit: de eo ita ſcribit laudatus Ferrarius. *S. Seuerus ob eius ſingulares virtutes ad Eccleſiam Catanenſem regendam vocatus, ita munus Epiſcopale geſſit, vt vnicus ſummam laudem conſecutus ſit, & migrans è vita inter ſanctos Domini habitus fuerit.*

A *Migrauit autem ad Dominum ix. Kalendas Aprilis anno Chriſti Domini octingenteſimo decimo, apud Græcos apprimè celebratus.* meminere de eo *Caietanus in Idea fol.* 110. *& Catanenſis Eccleſiæ Tabulæ.*

Sub id tempus *Sicilia* Conſtantinopolitano parebat Imperio ſub *Michaele Balbo* è vinculis ad Imperium euecto anno 820. mox Sarraceni *Siciliam* inuadũt, eamq; ſuo iterum ſubigunt Imperio anno 827. *ac quidquid vrbium, oppidorum, locorumq; repererunt, incendijs fœdarunt.* Tetricam hanc hiſtoriam narrant *Baronius* ad hunc annum, *Fazellus decade 1. lib. 8. & decad. 2. lib. 6. cap. 1. Aloyſius de Bauia in Hiſtor. Pontific.* cæteriq paſſim Scriptores, illam referre altioris eſt inſtituti.

Quamuis autem Sarracenorũ colluuies vniuerſam *Siciliam* inũdaſſet, oppreſſiſſetq; Catholicam tamen fidem, Eccleſiaſticamue Politiam, quam ſemel cum Euangelio Prouincia noſtra ſuſceperat, labefactare nũquam eatenus potuit, vt nullus tunc in Sicilia *Chriſti* cultus permãſerit: quinimò quantouis vario Barbarorum dominatu fuerit exercita nunquam tamen à Religione deſciuit. Id quod præclare, ſi quis alius, dixit *Melchior Inchofer coniect. Epiſt. B. M. V. ad Meſſan. cap. 59. fol.* 465. his verbis. *Ad laudem verò vniuerſæ Siciliæ ſpectare poteſt, à ſuſcepto ſemel Euangelio, quanquam vario Barbarorum dominatu ipſam exercitam, nunquam tamen à religione deſciuiſſe; & ſi cũ quibus conflictandum eſſet, Iudæi,*

Sa-

Sarraceni, Hæretici pluribus Inſulæ locis, ſiue palam, ſiue occultè cohabitarint.

Epiſcopalem quoq; Dignitatem inconcuſſe ſeruatam teſtantur Epiſcopi plures, qui per ea tempora oues ſuas à truculenta luporum rabie, vt temporum ferebat iniquitas, defenſarunt: ſingulos recenſet *Pirrus in ſuis Sicil. Eccleſiarum Notitijs*; & nos, in id, quod noſtrum eſt inſtitutum, eos, qui *Catanenſi Eccleſiæ*, Sarracenis *Siciliam* vexantibus, præfuerunt, aduocabimus.

Præclaro item ſunt argumento tot Sancti Martyres, qui per hæc tempora calicem Domini biberunt, ac Sicilienſium fidem religionemq; proprio ſanguine confirmarunt. Eos enumerat *Octauius Caietanus in Idea in Indice Chronico fol.* 76. Suffragio item ſunt plures alij *Chriſti* cõfeſſores, viriq; pietate conſpicui, qui virtutũ corollis redimiti veræ pietatis ſpecimen poſteris reliquere, quos ſub id temporis præclarum *Chriſto Domino* nomen deduſſe memorãt Sicilienſes Hiſtoriæ, eorumdemq; ſeptemdecim Sanctorum albo conſcriptos recenſet laudatus *Caietanus*.

Nec me deturbat *Alberti Piccoli* cenſio in ſua de *Antiquo iure Eccleſiæ Siculæ Diſſertatione lib.* 1. *cap.* 20. *fol.* 143. Chriſtianam religionem per ea tempora è Sicilia penitus amãdatam, nullos item præfuiſſe Epiſcopos, qui populos in *Chriſti* fide continuerint, opinantis. Eum namque, eiuſq; aſſerta pluribus, accerſita narratione, refellit *Rocchus Pirrus in Notit. Eccleſ. Panorm. ad annum* 1071. *fol.* 97. Crediderim ego, magnum à *Sarracenis* Sicilia potientibus Chriſtianorum pietati inflictum fuiſſe vulnus, Eccleſiaſue aliquot vel diu caruiſſe Præſulibus, vel illos occultè habuiſſe, (Barbarorum rabies monumenta omnia, vnde id haurire poſſemus, abduxit, igni, flammiſq; Codicibus omnibus addictis) ſed Religionem omnem penitus euulſam, Eccleſiaſue omnes Epiſcopis deſtitutas fuiſſe, non vtiq; conceſſerim.

§. XVI.

EVTHYMIVS.

Anno reparati orbis 850.

SArracenis igitur *Siciliæ* vaſtitatem inferentibus, ac carnificinã in Chriſtianos exercentibus, ſacer rerum ſtatus *Catanæ* perſtitit imperturbatus. Teſtantur id Epiſcopi plures, qui per hæc temporum confinia in Cat. Cathedra ſederunt: EVTHYMIVS in primis ſacro Magiſtratu potitus ann. 850. Id quod præ cæteris agnoſcit *Pirrus hic fol.* 9. vbi ſubnotat, & rectè, ſub id tẽpus Catanenſem Antiſtitem Archiepiſcopi & Metropolitę titulo cohoneſtatum: Metropoliticamue hanc dignitatẽ inter Barbarorum preſſuras impollutam retinuiſſe. Quod tamen ſubiungit *Alberti Piccoli* ducatũ ſecutus, Catanenſem ſcilicet Antiſtitem hanc dignitatẽ titulo dumtaxat ſeruaſſe, à vero longius abeſſe;

non

non nudo ſiquidem nomine, ſed re & effectu talem ſtetiſſe, qualem tituli honoramētum extoliit, pluribus comprobabā *Catan. Decach. Chorda 2. Mod. 3. excurſu 4.*

Euthymio igitur in Catanēſi ſede collocato luctuoſiſſimæ illius Tragediæ initium factum eſt anno eius Præſulatus octauo, Chriſti verò 858. in qua tandem Græciæ Eccleſia à Romana per ſchiſma abducta infeliciter interiiſſe videri viſa eſt: Porrò ad noſtrum Euthymium Photius Bizantinus Antipatriarcha in diro illo ſchiſmate has ſcripſit literas.

Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus Euthymio Catanes Metropolitæ. Otium quidem ſuppetere mihi, vt tua narrem, deprecor, non opto; ſuppetere autem, vt audiam, tu obieciſti. Quid ergo reprehēdis quòd nec ea, quæ ſperabam, audiui, & quod ſilentium in his tenui, quibus nec aures libenter darem? ſed ſi propterea quòd hæc audiui, tandem ſuſtinui, ideo de amicorum conceptu reus accuſandus ſum? quid facient qui ea fecerunt, per quæ amicos libertate pro illis loquendi priuauerunt, & inimicorum linguas non ſolum contra ſe, ſed etiam contra eos, qui propinqui aliquando fuerunt, exacuerunt? Quid ergo facere oportet, à quo nomine appellem? & nobis pro tē vtinam libertatem, quam habemus reddere, & nihil audire iniucundum de te, ſed omnes, qui tibi male dicūt, os claudere, ad priſtinum ſtatum reddendo. Ita Photius.

In Oecumenica VIII. Synodo aduerſus *Photium* Patriarchalis Bizantinę Sedis inuaſorē Romę coacta anno 869. in qua, Photio eiecto, *Ignatius* legitimus Patriarcha reſtitutus eſt, *Euthymius*, inter alios, adſediſſe ſcribitur, eſſque *Catanæ Metropolitam*, vel *Archiepiſcopum* quam ſæpiſſime ſubſcribi lectitamus: *Actione* præſertim 2. 3. 5. 6. & 8.

Non ideò tamen ſiniſtrum aliquid de noſtro *Euthymio* ſuſpicere, ſi in luctuoſiſſima illa tempora conditione Photio aliquando adhæſiſſe ſubaudis. Rationis ſiſtam momenta. *Siciliam* Conſtantinopolitanę Eccleſię paruiſſe, Siculoſq; Antiſtites Orientali illi *Patriarchæ* ſtuduiſſe, poſtquā Græcorum Imperatorum gratia illuc inclinauit, certius eſt quam vt in hoc cōprobādo exactior requiratur probatio. Idque vti certum ſupponit *Theodorus Balſamō*, nomine quidem Patriarcha Antiochenus (eam namq; Sedem iam Latini tenebant) ſed manēs *Conſtantinopoli* Latinis infenſiſſimus ſcriptor. Hic inquā *in Can. 2. Synod. Nicænæ 11. fol.* 306. ſic ait. *Iam verò & Sicilia certis ab hinc annis vrbi Conſtātinopolitanæ ſubiecta, tyrannicis manibus* (ſic ille impiè loquitur de Romana Eccleſia) *ab ea auulſa eſt: eamq; ad priſtinum ius ſuum redire cupio Imperatoris ope, tanquam quæ in ſeruitutem abducta filia ad liberam matrem reuertatur.* Hæc Auctor iſte. Quinimò vel ab ipſa pene *D. Gregorij* ætate multos e Siculis Bizantinam Eccleſiam adamaſſe teſtātur Sancti huius Pōtificis Ec-

Epistolæ, nempe 19. *lib. 6. Indict.* 15. & *Epist.* 63. *lib.* 7. *Indict.* 2. Cũ ergo iam tũc erga Ecclesiam illam, eiusq; Patriarchas Siculi Antistites afficerentur; facillimum fuit illi adhæsisse: postquam verò *Photius* Catholicæ fidei hostis habitus est, illicò ab eo defecit *Euthymius*, Catholicæ Ecclesiæ vnitati nomen dans, sub iugo veri Domini, vt iam dicebã, collum supponens.

A

B

§. XVII.

ANTONIVS.

Anno redempti Orbis 874.

POst *Euthymiũ* assumitur *ANTONIVS* anno circiter 874. Eum Metropolificæ Dignitatis prærogatiua cohonestatum euincit expressũ hoc *Numisma*, quod expresseram *Chord.* 2. *Mod.* 3. *Excurs.* 4. *fol.* 91.

Antonium porrò sub *Basilio Imperatore* Præsulem egisse, si dixerim, à vero non abierim: coniectandi ratione exhibent valentiorem characteres ex aduersa illius regione circumscripti, hanc, quantum coniectari licuit, reddentes sententiam. *Iesu Saluatoris Domini Dei nostri seruo Basilio Imperatore*.

De Nostro *Antonio* nudũ dum taxat nomen ad nostram peruenit notitiam: fuerunt sane tempora hæc Scriptorum inopia, sed magis efferata Sarracenorum

C

tyrannide, longe teterrima, ac planè deploranda.

Oblongo vnius seculi spatio Catanensium Episcoporũ series, sub tẽporis huius curricula, intermissa videri visa est, nullos tamen omninò præfuisse *Episcopos*, Christianam quoque pietatem, nomenq; amandatum, vt contendebat *Albertus Piccolus d. cap.* 20. pugnaciſsimè negauerim.

D

§. XVIII.

LEO hoc nomine III.

Anno Gratiæ 994.

ANno à *Chriſto nato* ſexto ante milleſimum Catanẽſis Epiſcopatus Inſulas capeſſit *LEO* hoc vocamine III. ordine tamen XVIII. *Baſilio Iuniore* imperante. Præſt nobis *Albertus Piccolus de Antiquo iure Eccleſiæ Siculæ part. 1. cap. 25. fol. 63.* Decreto, quod Bizantij, *Ne duo fratres duas accipiant conſobrinas habitum fuit*, inter Metropolitas ſubſcripſit & noſter Antiſtes, dum in Patriarchali illo Throno ſederet *Siſinnius*, ſub quo Græcorum controuerſia *de Quarto matrimonio* ſedata eſt. Siſtam hic laudati Piccoli cẽſionem, ne Auctore deſtitutus videar ſcripſiſſe. *Quin & Sarracenis quoq; imperantibus eam Dignitatem* (Metropoliticam intelligas) *vel titulo ſaltem retinuiſſe Catanẽſem Eccleſiam Siſinnij Conſtantinopolitani Patriarchae decretum indicat, Ne duo fratres duas accipiant conſobrinas, cui plurimos inter Metropolitas LEO Catanenſis ſubſcripſiſſe legitur anno circiter nongenteſimo nonageſimo quarto.* Id tamen monuerim, quæ Auctor iſte de Metropoliticæ dignitatis prærogatiua, vel titulo ſaltem, a *Catan. Eccleſia* ſub id temporis retenta ſubiungit, ſuperiùs refellebam in *Eutoymio §. 16.*

§. XIX.

HVMBERTVS.

Anno ſalutis 1050.

HVMBERTVS Belga è Ciuitate Tullenſi ex ordine S. Benedicti Monachus à Leone IX. Sicilienſis Archiepiſcopus ſublectus eſt anno 1049. vel vt alijs placet 1050. Qualis porrò quantuſue fuerit *Humbertus*, conijce ex his, quæ de eo ſcripta dimiſit *Lanfranchus in Comment. aduerſus Berẽgarium in Bibliotheca Patrum tom. 6.* Humbertum, inquit, *virum fuiſſe religioſum, fide Chriſtiana, & ſanctiſſimis operibus perſeuerantiſſimè decoratum, ſcientia diuinarum ac ſeculariũ literarum apprimè eruditum teſtantur omnes, qui vel propria experientia eum nouerunt, vel ab alijs, qui ipſum experti ſunt, eius cognitionem acceperunt. Hunc non de Burgundia, ſed de Lotharingia S. Leo Romam traduxit, & ad prædicandum SICVLIS verbum Dei Archiepiſcopum ordinauit: poſtea verò S. Rom. Eccleſiae Præſulem ſibi Cardinalem conſtituit: quo in loco poſitus taliter vixit, taliter docuit, vt de fide, vel doctrina eius, nec ſaltem ſiniſtra ſuſpicionis fama aliquando exorta ſit. Huius rei teſtis eſt tota ferè Latinitas, quæ pro excellentia Apoſtolicæ Sedis, cuius Concilijs & conſilijs ſemper aderat, & præerat, eũ ignorare non potuit.* Hæc Lanfranchus.

Præclara Humberti facinora, exanthlatos pro Romana Eccleſia labores, feliciter obitas lega-

tiones, vitæ ac morum probitatem grauiter vrgent *Leo Ostiensis lib. 2. cap. 89. Sigebertus de Illustr. Scriptor Eccl. cap. 151. Sigebertus de Illustr. Scriptor. Eccles. cap. 151. Baronius in Annal. tom. xi. ad ann. 1052. Bellarmin. de Scriptor. Eccles. ad ann. 1054. Giaconius in Leone IX. Ioannes Trithemius, Arnoldus Vuion*, & nouissimè *Ferdinandus Vgh. Ilus* amplissimæ lectionis eruditionisq; vir, nunquā satis pro merito laudandus, & cui Italia tota plurimum debet; in sua *Italia Sacra tom. 1. in Episc. Syluæ Candidæ nu. 20. fol. 126. & seq.* vbi totius Humberti actæ vitæ rationes compendiarius perstringit exhibetq,

Humbertum porrò, quem Siciliæ Archiepiscopum edixit *Lanfranchus*, hunc Catanensis Ecclesiæ Præsulem ego dicebam, verus fui, ni mea me fallat opinio. Quod vt ineuitabiliter euincam, sistam initiò rationum pondera, mox coniecturarum adijciam momenta quibus nostra fulcitur opinio. Tum *Rocchi Pirri* coniecturationes, quibus eum Panormitanum adscribit Episcopum, in illius *Eccles. Notit. ad annum 1052. fol. 85. & 86.* expendam. Tuū de inde erit, amice lector, iudiciū ferre.

EXCVRSVS I.

Rationes sistuntur, quibus Humbertus Catan. Episcop. adstruitur.

INitiò igitur *Humbertum* ad vrbem illam Episcopum destinatum fuisse par est, in qua Catholica religio à Barbarorū perfidia per deploratissimas illorū tēporum conditiones inconcussè seruata est: gemmasse autem apud Catanenses, effloruisseq; cū Catholica Religione Christianā pietatem, sacram quoque Politiam, Episcoporum deniq; præfecturam, numerati iam expensique Antistites grauiter sanè cōuincunt.

Ad hæc, quo tempore Sicilia Barbarorū seruitutē patiebatur, Catana Siculorum Vrbium prima hostium conatus elusit, Imperium attriuit: ipsa reliquis vrbibus, vt eadem auderent, optimo exemplo præiuit. Adeundus ad rem Anonymus Auctor, cetera tamen pius & eruditus apud *Carteram tom. 2. lib. 1. fol. 202.* hæc ad rem scribens. *Vnde quæso tam optanda à barbara seruitute liberatio, rerumq; feliciter gestarum exordium? certè à Catana, cuius salutem, quæ mihi videri solet reliquarum vrbium salutis spes, non aliū, quàm Agathæ (vt etiam Sanctorius fatetur) referre debemus acceptam.* & paucis interiectis. *Ad hæc communis fuit Siciliæ seruitus, tametsi à Catana libertatis lumen effulserit.*

In tanta igitur rerum perturbatione impertubatam apud Catanenses stetisse Catholicam religionem, in reliquis verò Siciliæ vrbibus Antistites defuisse, testis est omni maior exceptione *Rocchus Pirrus* eximius Panormitanorum causæ patronus, *in Panor. Eccles. Notit.* vbi per integra quatuor secula, & vltra, ab anno scil. 603. ad annum 1065. sub quod ferè

serè tempus Northmannorum Principum virtute barbaricæ seruitutis iugum è Siculorum cerui cibus excussum est, vix vnũ aut alterum enumerare potuit Panormit. Præsulem, *Ioannem* nempe, cuius Præsulatum in annum 603. cõsignat, & *Felicem*, quem Ecclesiæ illi anno 649. præfuisse coniectatur. *Theodorum*, quem Nicænæ Synodo II. adfuisse subiungit anno 787. in Conciliorum voluminibus offendere non licuit, ni res toties expetita oculos effugerit. *Anonymum* denique ad ann. 800. & 809. suppositititium redarguit *Piccolus de Antiquo Iure Eccl. Sic. par. 2. cap. 17. & 18.* Pontificis Epistolam, quam Auctor ille sistit, expendens versansque.

Sed vera sit Epistola: verba nihilominus illa. *Nonne Prædecessor tuus præter Romani Pontificis conscientiam damnauit Episcopum.* Anonymum Præsulem, qui per ea tempora immediate præfuerit, importare non possunt; cum vel *Theodorum*, vel *Felicem*, vel *Ioannem*, aut aliquem alium, qui satis antea Panormitanæ Ecclesiæ præfuerit, æquè præseterant: eò vel maximè quia Prædecessor non is tantùm, qui immediatè præsederit, sed qui satis antea Ecclesiæ eiusdem gubernacula tenuerit, æque dicatur; edocent id *Romanorum Pontificum* Constitutiones, Diplomata, loquendi scribendique formulæ, quas passim in dies obseruamus, concordes tandem Scriptorum sententiæ, quas in re cunctis obuia cumulare hominis esset miserrime diligentis.

Nicodemi tãdem Præsulatum, cuius initia ad annum 1065. cõsignat *Pirrus*, vel suppositititium, vel subobscurum reddũt expunctiones *Alberti Piccoli vbi supra cap. 7.* quas etsi acriter exagitet Pirrus in eadem Notit. Panorm. fol. 87. eum tamẽ nouissimè carpit *Benedictus Saluagus in Apologia pro Messan. pietate §. 13. 25. 27.* & alibi passim; hic sisto, ne Ecclesiæ huic labem videar impinxisse: aliorum industriæ scitus illud omittens, quibus contentiosum hunc funem protrahere libuit.

Accedit ad numerum *Christophorus Schobar*, qui Syracusanorum Præsulum probè scitèq; dedit Catalogum; hic inquam auctor ab anno 878. quo tempore *Syracusis* Sarracenicum tenuit imperium, ad annum vsq; 1085. quo primùm desijsse tradit *Fazellus decad. 2. lib. 7. cap. 1.* vel anno 1088. ex *Chronic. Lupi Protosp. fol. 116.* aut anno 1090. ex *Maurolico hist. Sicul.* vnum dumtaxat recenset Syracusanum Ep. scopũ *Sophronium*, qui inter barbarorũ pressuras, inuicta animi fortitudine, Pastorale munus expleuit.

Messanæ nullos sedisse Episcopos, postquam Sarraceni eam ab anno 827. occupauerant, ad annum vsq; 1090. si vnum dumtaxat excipias *Gregorium*, qui sub *Hadriano II. Pont. & Basilio Macedone Imper.* in octaua Synodo inter cæteros subscripsit, *Gregorius Episcopus Messinæ*, Piccolus ipse, idemq; Messanensis testatur, cui subscripsit *Pirrus in illius Eccles. Notit. fol. 293.*

Agrigenti poſt annum 800. quo tempore Præſulem agebat *Sisinnogenes* notę ſanctitatis Antiſtes, ad annũ 1036. intermiſſam Præſulum ſeriem, Pirrus ipſe fatetur, & nemo in Sicil. hiſtorijs parum verſatus ignorat.

Monteregalenſis, Cephalæditana, Pactenſis, Mazarienſis tãdem Eccleſiæ non hanc contendere poſſunt dignitatis excellentiam: nouiſſimæ ſiquidem ſunt, exactis iam expulſiſq; Saracenis, à *Rogerio Siciliæ Comite* primùm inſtitutæ, ac Epiſcopali honore nobilitatæ. Iure igitur Humbertum Catanæ adſcripſerim Epiſcopum, quia inter Barbarorum preſſuras ſola Catanenſis Eccleſia Præſules ſuos in Epiſcopali Throno ſedentes agnoſcit: ſolus Catanẽſis Antiſtes ab anno 740. ad milleſimum vſque iam exactum in vniuerſa Sicilia Metropolitico præſtabat honore: *Metropolita*, vel *Archiepiſcopus* nuncupatus, vt in *Leone II. Theodoro, Euthymio, & Leone III.* aduertebã.

Quòd ſi *Syracuſana Eccleſia* inter Metropoles aliquando numeretur: Id tamen honoramentum inter Eccleſiaſticos titulos ſupputandum non eſt; vtpote quod à Schiſmatico homine, *Photio ſcil.* Pſeudo Patriarcha Cõſtantinopolitano, ſchiſmatico homini *Gregorio Asbeſtæ* fuerit collatum. Adeundus ideò *Albertus Piccolus de Antiquo iure Eccleſiæ Siculæ diſſert. 2. cap. 8. & 9.* grauiter ſanè rem attingens; & nouiſſimè *Franciſcus Baronius in ſuo Iudicio aduerſus Antoninum de Amico de Primatu Eccleſiæ Syracuſ. fere per totum*.

Meſſanenſem verò Archipræſulem laudatam Archiepiſcopi prærogatiuam non niſi ab anno 1166. habuiſſe pluribus oſtendit *Pirrus in Notit. Meſſan.* ad annũ 868. nonnulla etiam ſubindicat *Albertus Piccolus diſſert. 2. cap. 25.* Panormitanã denique Eccleſiam nullos Sarracenis dominantibus Epiſcopos habuiſſe ſuperius adducta cumulatius euincunt.

EXCVRSVS II.

Rocchi Pirri coniectationes expenduntur, & explodantur.

SEd iam *Pirri* coniectationes, quibus *Humbertum* Panormitanæ Eccleſiæ Præſulem adſcribit, expendamus: (In harum ſiquidem euerſione totius ſtat ſumma victoriæ) ſic etenim ille ſcribit in illius Eccleſiæ Notit. ad annum 1052. fol. 85. & 86. *Panormitanæ verò Eccleſiæ Humbertum addico; tum quòd ad Regiam Vrbem deſtinatum fuiſſe par eſt, vbi plurimos Chriſtianam fidem tũc profiteri: tum ampliſſimæ vrbis frequentia ſuadet: tum Sarracenorum rabies nullibi minus, quàm Panormi, debachata, vt dixi: tum quòd aptius ei attribuitur Eccleſiæ, in qua ſediſſe tunc Præſules conſtabit.* Pergit de inde. *Accedit demum, quòd Archiepiſcopus dicatur Humbertus: è Siculis ſiquidem Archiepiſcopatibus ſuæ dignitatis antiquitatem tam alitè repetere neque Monſregalis poteſt, neq; Meſſana: Panormitana verò Eccleſia Archiepiſcopum per hæc tempora habuit, vti apertiſſimè euincitur è Gregorij VII. lite-*

literis ad Alcherium datis. Ita Pirrus. Sed ad trutinã singula libremus suis expensa ponderibus.

Primam igitur coniectandi ratonem. *Ad Regiam vrbem destinatum fuisse Humbertum par est, in qua plurimi Christianam fidem profitebãtur.* grauiter eneruat explo ditque Gregorij VII. Rom. Pont. Rescriptum ad *Alcherium* Panor. Antistitem ab ipsomet *Pirro* trãscriptum in eiusdem *Eccles. Notit. ad annum* 1083. *fol.* 100. sic etenim inquit Summus Pontifex. *Summa Sedis Apostolicæ*. Et infra. *Præcipuè tamen oportere arbitramur, vt rudibus Ecclesijs, scilicet nuiter ad fidem vel venientibus, vel redeuntibus, nostri fauoris fiduciam, & Apostolici muniminis securitatem protinus indulgeamus; quatenus qui miserante Domino per fidia tenebras, ac erroris laqueos euaserunt, eodem iuuante, in Christianæ fidei vigore, ac religionis amplitudine per nostræ benignitatis studium, ac tuitionis adiutorium, in dies magis, & magis excrescere valeãt. Quam ob rem Reuerendissime frater Alcheri, PANORMITANAM Ecclesiam, cui tu auctore Domino præesse dignosceris, quæ quondam nobilis, & famosa, postmodum, peccatis exigentibus, in Sarracenorum potestatem, PERFIDIAM QVE redacta, NVNC reuera ad Christianã fidem, labore vel instantia filij nostri gloriosi Ducis Roberti, CONVERSA EST. &c.*

Pende verborum vim, & facilè intelliges Panormitanam vrbem, ea ipsa temporum difficultatibus, Barbarorum fuisse imbutam erroribus, ab eaq; Catholicam Religionẽ exulasse. Ad quid igitur *Panormo* destinandus fuerat *Humbertus*, si vniuersa Ciuitas, omnesue, quotquot in ea fuerunt, Mahometissimo nomen dederant, inibiq; Agarenorum impietas radices egerat, Catholica Religione iam amandata? Quid Archiepiscopi vsus per ea tempora, quorum dimcultatibus exilium patiebatur Christiana Religio? hic iure Gregorius *eudem Ecclesiam illam, & nouiter ad fidem conuersam* appellat, ex quo iam ad Mahometissimum transierat, Christianam pietatẽ amandarat, Agarenorum errores exceperat.

Argumẽti huius vim sensit *Pirrus*, pluribus ideò Diplomatis huius verba rimatur, verrit, euertit; nouã iterum concinnat sẽsa, limatas adaptat interpretationes. Hæ tamen ratiocinationum nouitates num suis hæreant neruis, pende singula, & mecum senties, si in animo erit studium veritatis, si supra odij inuidiæq; studia excelso animum continueris loco.

Iuuat tamen ad id, quod asserimus, roborandum, ac planè stabiliendum, *Ludouicum Imperatorem* audire, qui in *Apologetica Epistola ad Basilium Imperatorem Constantinopolit.* apud *Baronium tomo x. anno* 871. *nu.* 75. & 76. & apud *Bartholomæũ Chioccarellũ de Archiep. Neapol. fol.* 89. ita patria respondet. *Quòd Sarracenis arma* (de Neapolitanis acerbissimè conqueritur) *commeatumq; tribuentes, per totius Imperij littora eos ducerent, & cum ipsis totos*

B. Pe-

B. Petri Apoſtolorum Principis fines deprædari conarentur, itaut facta videretur Neapolis, PANORMVS, vel Africa Sedes Sarracenorum. *Cumq; noſtri quique*, ſubdit, *Sarracenos inſecuntur, ipſi vt poſſint euadere, Neapolim fugiunt, quibus non eſt neceſſarium Panormum repetere: ſed Neapolim fugientes, ibidem quouſque perueſterint, latitantes, ru ſus improuiſo ad certamina redeunt.* Et poſt multa. *Et quia nonnulli Panormitanorũ latrunculi in ſagenis ſolatio & refugio iã memoratorũ Neapolitanorum freti per Tirrhenũ mare debacchabantur, oportet, vt tua Fraternitatis ſtolus ſine dilatione mittatur. Iſti ſunt qui cum Calabritanis Sarracenis ſtipendia præbent, & his, qui Panormi ſunt, auxilia quotidiana miniſtrant, vnde ſi capiantur Sagenæ, maxima ex parte Sarraceni tam Panormi, quam Calabriæ conſtringentur.* Hactenus Ludouicus: ex cuius ſcribendi genere concidat prima Auctoris iſtius coniectura neceſſe eſt.

Altera erat (*Ampliſſima vrbis frequentia*) nolo hic ſiſtere, ne iniurius audiam, quod ſemper abhorrui. Illud duntaxat monuerim, à præſenti rerũ ciuilium facie vetuitam Eccleſiarum prærogatiuam deprehendi nequaquam poſſe: non abnuerim ego, ſi præſentia ſpectes tempora, *Panormum* præ cæteris principem vrbem præferre, & ad Prouinciæ principatũ euectam; Northmannorum Principum, nonnullorum item Siciliæ Regum olim ſedem adlectam; eò potiſſimum, vt *Sarracenorum* tumultus, qui frequentiſſimi erant in ea Ciuitate, tutò ac facilè poſſent compeſcere, vicinos item Aphricæ motus comprimere, vt ſi de inferendo bello conſilia hoſtes ſuſcepiſſent illicò turbare apparatus, conatus elidere poſſet Principes illi: id quod ante nos ſcriptũ reliquere *Caraffa Hiſtor. Neap. lib. 2. & Fazellus Decade 2. lib. 7. cap. 3.*

Si tamen vetuſtiora Salutis noſtræ percurras ſecula; non ita ſplendeſcentem comperies vrbẽ illam; Audi. *Apoſtolos*, vel ab ipſis Chriſtianæ fidei exordijs, morẽ illum tenuiſſe, vt in ijs tantum Ciuitatibus Epiſcopos ſtatuerẽt, quæ præ cæteris inſigniores audirent, *Pirrus* ipſe teſtatur in *Panorm. Eccleſia Notitia ſ.l. 56. Em. Baronij* ducatum ſecutus *Annal. Eccleſ. tom. 1. anno 39. nu. 10. & 11. & iterum anno 46.* Atqui poſtquam Chriſtiana fides gentiliũ ſuperſtitionibus ſucceſſit, nullũ legimus *Panormum* ab Apoſtolorum Principe amandatum Antiſtitem, ſed benè *Catanam* Beryllum, Martianum *Syracuſas*, Libertinum *Agrigentum* miſſos Epiſcopos ab Apoſtolorum principe legimus, ibiq; Epiſcopalem Cathedram in *Sicilia* primos inſtituiſſe verius eſt, quam vt multis probare ſit neceſſe.

Si verò ad Sarracenorum vſq; tempora progrediamur, conſtat, toto illo temporis decurſu, Sicilienſium Epiſcoporum Synodos *Catanæ*, vel *Syracuſis* celebrari ſolitas, nunquam autem Panormi, ſi credimus *D. Gregorio epiſt. 70. lib. 1.* Hinc neceſſaria ſubinfertur

fertur cõsecutio, si *Panormus* per ea tẽpora reliquas Siciliæ vrbes splendore, dignitate, populi tandẽ frequentia superasset, *Panormum* certè, non *Catanam*, aut *Syracusas* Episcopi fuissent transmissi. *Panormi* item, non *Catanæ*, aut *Syracusis* Episcoporum Synodia fuissent peracta; cum igitur in contrarium res cedat, cadatque, concidat *Pirri* coniectura necesse est: quam deniq; acriter eneruat *Hermannus Torrentinus in Elucidario Poetico verb. Panormus* apertissimè rem hanc definiens. *Panormus Castellum Siciliæ. Inde Panormita. hodie dicta Palermo*. Cum prius in verbo Catana dixisset. *Catana, penultima syllaba correpta, modò Catania, vrbs est Siciliæ apud Ætnam montem; Patria D. Agathæ Virginis*. Verba hæc, quid ego velim, aperte demonstrant, mentem habenti sufficiant ista.

Tertia erat coniectura. *Tum quia Sarracenorum rabies nullibi minus quàm Panormi debacchata*. Verũ *Agarenos* impissimos Christiani nominis hostes *Panormum* in Regiam sibi adlegisse, ibique Mahometicæ superstitionis errorem de Catholica veritate triũphasse accersitis auctoribus superiùs innuebam. Inuerisimile namq; imò & impossibile apud cordatos viros audiet, vt Sarracenum aperti iuratique Christianæ religionis hostes facultatem *Panormitanis* vel expresse fecerint, vel dissimulanter permiserint, vt Episcopis morte sublatis, alios in eorum locum subrogarent, ibiq; Christianos (estò perpauci ibi fuerint) in Catholica fide vel palam vel occultè continerent, & vbi Mahometicæ superstitionis erat magisterium, ibi catholicæ veritatis cathedra statueretur.

Quarta succedit coniectura. *Aptius ei tribuitur Ecclesiæ, in qua sedisse tunc Præsules constabit*.

Atqui nullos per ea tempora Episcopos *Panormit.* sedisse eiusdẽ *Pirri Notitia* testantur. *Anonymus* namque Antistes, quem ad annum 800. consignat (esto verus Ecclesiæ illi præfuerit) satis antequam Sarraceni *Siciliam* inuasissent, Episcopum egit, id quod ipsa temporum ratio, vel me tacente, conuincit. *Humbertus* Catanæ, non Panormo, datur Episcopus. *Nicodemus* denuq; sacro potitus magistratu anno 1065. suppositititius audijt *Piccolo dissert. 1. cap. 7. & 8.* Gauffridi Malaterræ cessionem in examen accersens, quem etsi multis explodere conetur *Pirrus fol. 87. & seqq.* quis tamen iustius induat arma, aliorum esto iudicium.

Quinta tandem eaq; postrema ponderabatur coniectura, *Panormitana Ecclesia per ea tempora Archiepiscopum habuit, & apertissimè euincitur ex Gregorij VII. literis ad Alcherium datis*.

Archiepiscopi Epitheton, quo Panormit. Præsulẽ per ea tẽpora decoratum autumat *Pirrus*, illud certò fore conijcio, quod ex Epistola *à Paschale Romano Pontifice* ad *Alcherium* scripta desumitur. Hanc tamen Epistolam pluribus euertit *Piccolus dissert. 2. cap. 17. & 18.* non ad Panormitanum, sed ad Polonienſem Archiepiscopum

pum ſcriptam, ex peruetuſto Romano Codice, nec non *Card. Baronij*, *Antonij Contij*, & aliorum, ſed in primis *Antonij Auguſtini* cenſionibus oſtendens, comprobanſq; Addam ego *Ioannis Fileſcum* idipſum affirmantem in Libello de *Sacra Epiſcoporum auctoritate cap. 7. §. 7. fol. 80.*

In Barcinonenſi præterea, ac Bracharenſi Codicibus *Colonienſi Archiepiſcopo*, alibi *Toletano*, nonnullibi *Polquienſi* ſcriptum ſubiungit laudatus Piccolus: vt ideò ex varia Tituli huius lectione nihil, quod *Pirri* ſuffragetur intentioni, deduci poſſe liquidò conſtet:

Nec difficultatem ſoluit aut controuerſiam id, quod laudatus *Pirrus ad annum* 819. ſubiungit, Vaticanos Codices *Paſchali Panormitano Archiepiſcopo* præferre, teſtem ſiſtens Alexandrum Ranaldū ita reſcribentem Archiepiſcopo Monteregalenſi. Priuatæ ſiquidē iſtius Ranaldi ſchedæ, vnicum ignoti viri iudicium, mutuatum à demortuo teſte ad demortuum virum aſſertionis teſtimonium, publicis monumentis, ſtipatis Scriptorum cenſionibus, præſentis tandem temporis probatę item fidei germanæ lectioni (ſingula iam percurrebamus) præiudicium facere non poſſunt, nec tenebras offundere veritati.

Sed ad Panormitanum Archiepiſcopū ſcripta ſit Epiſtola hæc: nihilo tamen minus ea nō à *Paſchali* huius nominis I. qui anno 817. Pontificatum inijt, ſed à *Paſchali II.* qui anno 1100. Pontifex

A fuit renunciatus, exſcripta eſt: pluribus id oſtendit ſepedictus, *Piccolus*. Eamdem ipſi *Paſchali* II. adſcribit *Baronius ad annum* 1102. *tom.* 12.

Et ne deforis aduocemus teſtes, quos intus ad manus habemus, ſiſtam ego eumdem *Rotchum Pirrum* veritatis huius vltroneum aſſerrorē: hic ſiquidem Auctor *ad annum* 1065. *fol.* 87. & iterum *ad annum* 1122. *fol.* 106. B ſcriptum *à Calixto* II. *Rom. Pontifice* Reſcriptum ad Petrum Panormit. Archiepiſcopum refert, nobiſq; ſubſcribit. Verba Diplomatis ad rem facientia tranſcribam. *Dignitatem quoque, & quæ à prædeceſſoribus noſtris ſanctæ memoriæ Alexandro* II. *Gregorio VII. & Paſchali* II. *Rom. Eccleſiæ Pontificibus prædeceſſoribus tuis Panormitanis Archiepiſcopis Nicodemo, & Alcherio &c.* Vides igitur nū *Pirrus* vel ſpōte ſuffragium ferat veritati, & Epiſtolam, quam à *Paſchali* I. ſcriptam edicebat, *Paſchali* II. genuino auctori reſtituat? *non eſt igitur cur in hoc vel illo apice haereamus, cum in clariſſima monumentorū luce verſemur.*

Solidior, imo verior, ad *Catanenſis Eccleſiæ* prærogatiuam ſubſiſtit hæc coniectandi ratio, quā pro Panormitana Eccleſia euehenda excogitauerat *Pirrus*; quā do illa ab anno 740. Metropolitico præſtabat honore; id quod §. 13 in S. Leone dicebam ex Breuiario Gallicano. *Ceterùm quæ erat ipſius vitæ puritas; & animi mentisq; prudentia, Rauennæ primùm presbyter, deinde CATANÆ, quæ tunc erat Eccleſia*

Me-

tropolitana, in nobili Sicilia, nobilis Episcopus declaratur. Eãdemque dignitatem ad hæc vsq; tempora inconcussam seruasse, pluribus ex ijsdem *Pirro* ac *Piccolo* petitis testimonijs, superius innuebam.

A

Hæc sunt in causa vt Humbertum *Catanensium* Episcopum dixerim; Coniecturas has esse scio, sed quæ veritati proximè accedant, quæue nos ad id affirmandum impellant.

POST ATTRITOS AGARENOS.

DEturbatis ab *Sicilia* imperio Barbaris; Christianæ religionis maiestas, Northmãnorum Principum virtute, post tot ærũnas, pristinæ tandẽ apud Siculos restituta est incolumitati. *ROGERIVS* igitur expreclara peruetustaq; *Comitum Altæ Villæ* familia, quæ ab *Rollone* genus repetebat suum in Northmannia, cui *Sicilia* Comitatus titulo obuenerat, *Catanam* se se vltrò dedentem (auctore post alios *Maurolico comp. Histor. Sicil. lib. 3. fol. 95.*) pristinæ libertati restituit anno 1075. *Hugone Gozzetta* (Guerrerã dixit laudatus Maurolicus) spectatæ virtutis viro Northmanno eius genero, filiæ scil. quam ex *Eremberga* eius prima vxore susceperat, viro ad vrbis tutelam expræfecto: vt vel sic *Bonaueri Sarraceni* Syracusarum Ducis impetus opportunè cohiberet. Mox de restituenda Catholica religione sollicitus Episcopalem Cathedrã (inter cæteras) reddidit Catanæ ann. 1089. Templum quoq; tota Sicilia maximum *Diuæ Catan. Athletæ AGATHE* dicat consecratque. *Anserio* viro religiosissimo, Benedictinæ familiæ alumno, natione Britanno, è Cœnobio S. *Euphemiæ* in Calabria, in Episcopali sede ad Commune Catanensis Ecclesiæ bonum collocato.

B

C

D

§. XX.

ANSGERIVS.

Anno Verbi humanati 1088.

ANSGERIVS ergo natione Britannus, instituto Benedictinus, post abactos Sarracenos primus, vt dicebam, sed reliquorum ordine xx. è Monasterio S. Euphemiæ regularis obseruantiæ accersitus, Catanæ Abbas & Episcopus à Rogerio præficitur anno octauo & octuagesimo post millesimũ. Quidquid scripserit Pirrus hic annum 1091. nõ bene consignans. Ab ipso Sum. Pont. Vrbano II. in Episcopum consecratus, auctore *Gaufrido Malaterra lib. 4. cap. 9.* Quamuis autem ad Flaminæ dignitatis apicem, cum potestatis plenitudine, fuisset euectus: licet Episcopali præstaret dignitate (*Maurolici verba Compena. Histor. Sicil.*

lib.3. fol.97. tranſcribo) Nihil tamen ſibi licentius indulſit, neque priſtini inſtituti frænos laxauit, ſed ſub eodē habitu communiter cum ſuis Monachis, ad ſeniū vſque, monaſticam, & piſſimā vitam duxit. Pietate præſertim in pauperes enituit: plura ideò ſucceſſoribus ſuis Paſtoralis ſollicitudinis, ac pietatis documēta dimiſit: Ab inclyto igitur *Rogerio* præ cæteris munificentius habitus, Catana vrbe, Ætna Monte, Acis oppido perpetuò donatur, reſeruato ſibi pro annuo cenſu Vini cyatho, & Pane. En largitionis Diploma.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

Summus Romanæ Sedis Pont. Vrbanus videlicet II. verus Dei cultor, & vniuerſalis Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, mihi Rogerio Calabriæ Comiti atq; totius Siciliæ, Ore ſuo ſanctiſſimo, & reuerendo præcepit, præcipiens vtpote pater ſpiritualis, me filium ſuum, licēt in multis peccātem, ſanctiſſimè rogauit: quoniam ego filius ſanctæ matris Eccleſiæ ipſam eamdem matrem meam, boni filius ſecutus legitimam & laudabilem conſuetudinem, pietatis manibus enutrirem, & dulciter proucherem, fines ſuos magnificè ampliarē, propagines, & palmites viuos, & ſpirituales in ea ſtudio vigili dilatarem. Cuius ergo ſanctis & exequendis Ego Rogerius Calabriæ Comes & Siciliæ obſecundans imperatibus, & Catholicis inſtitutis, ſicut Deo præeunte in curribus ſuæ virtutis, & propugnatore; Terra Siciliæ, terra Sarracenorum, habitaculum nequitiæ, & infidelitatis, Sepulchrum quoque noſtri generis & ſanguinis, ferro vindicandum, mihi diuerſis temporibus ſubiecta fuit. Simili quoque modo in diuerſis temporum perturbationibus ad honorem Dei, ad magnificandum & exaltandum nomen ſuum, & pro anima patris, & matris meæ, & fratris mei Roberti Guiſcardi, pro mea quoque, & omnium parentum meorum, per diuerſa Siciliæ loca idonea, ecclesias ædificari iuſſi. Summi Pontificis Apoſtolicæ ſedis, & Epiſcopos ibidem collocaui: ipſo eodemq; Romanæ Sedis viro Apoſtolico & laudante, & concedente, & ipſos Epiſcopos conſecrante. Vnicuiq, autem Eccleſiæ, & Epiſcopo Parochiā ſuam dedi, & dicaui, vt vnuſquiſque de ſuis ſufficiens beneficijs, alterius Parochiam incruſtrare non præſumat. Inter quas etiam diſpoſitas Eccleſias, quia Dei virtutis, & eius magnificētia totam mihi ſubiugauit Siciliam, aliam diſpoſui, & ędificaui Eccleſiam, collaudante Apoſtolico viro, & conſecrante, ad titulum huius Eccleſiæ in Catanenſium Ciuitate exiſtentis quēdam S. Euphemiæ Priorem catholicum, & honeſtiſſimum in Abbatem, & Epiſcopum, vocatū ANSGERIVM, cui, Vrbano II. concedente, qui hunc ſacrauit, dono Cataniam Ciuitatem, vt ſedes ſit Abbatiæ, & Epiſcopatus. De Parochia verò huius Abbatiæ, & Sedis Epiſcopalis ſunt

hæc:

hæc: Iachium cum omnibus pertinentijs suis. Paternòn cum omnibus suis pertinentijs. Adernò cum omnibus suis pertinentijs. S. Anastasia cum omnibus suis pertinentijs. Iudich cum omnibus suis pertinentijs. Centorba cum omnibus suis pertinentijs. Castrum Ioannis cum omnibus suis pertinentijs; videlicet cum tota terra illa, quæ pertinet ad Castrum Ioannis vsq; ad Flumen salsum, quod currit inter Castrũ Ioannis, & Agrigentinam Ciuitatem, & vsque ad fines Traginensis Ciuitatis; & ex alijs partibus vbique, sicut diuiditur à pertinentijs aliorum Castellorũ, vel Ciuitatum. Istud verò Priuilegium factum est VI. Kal. Maij Indict. XV. Anno Dominicæ Incarnationis M X C I. Luna XV.

Et ecce testes huius Priuilegij

Ego Comes Rogerius feci signum hoc ✝

Et Ego Adelicia Comitis vxor signum hoc ✝

Et Ego Ioffridus Comitis filius hoc signum ✝

Signum Iordani filij Comitis ✝

S. Maugerij filij Comitis ✝

Signum Guillelmi de Altauilla ✝

Sig. Roberti Borrelli ✝

Sig. Iosberti de Luciaco ✝

Signum Baslardi ✝

Signum Petri de Moritorg ✝

Signum Roberti Bonnel.

Ex transcripti Diplomatis tessera multa, quæ notentur opportuna, lectoris notitiæ opportunè subijciam. *Rogerius Calabriæ ac totius Siciliæ Comes*, vt vides, inscribitur: ante siquidem hunc annum non totius Siciliæ, sed Calabriæ & Siciliæ Comes dicebatur; quoniam, vt scriptum reliquit *Gauffridus Malaterra lib. 4. cap. 17.* Rogerius Dux Roberti filius nondum huic Rogerio patruo Panormitanam dederat Vrbem.

Tum verba illa. *Ore suo sanctissimo.* grauissimè euincunt, *Vrbanum* II. Rom. Ecclesiæ Pontificem *Siciliam* aduentasse anno 1088. ac *Troynæ* cum Rogerio conueniisse, summisq; amoris ac beneuolentiæ significationibus alterum alterum excepisse. Pontificis in Siciliam aduentus causæ plures statuuntur à laudato *Gauffrido Malaterra lib. 4. cap. 13. Fazello dec. 1. lib. 7. cap. 1. Maurolico, Bonfilio,* cæterisq; Siculiensium rerum Scriptoribus, quibus subscripsit *Pirrus in Messan. Notitia ad annum* 1090. *fol.* 300. & iterum in *Notit. Troynens. fol.* 453. vbi eumdẽ Pont. Sacrosanctum Missæ sacrificium in Sacello quodam sub Cathedrali libasse subiungit.

Iam verba illa. *Quemdam S. Euphemiæ Priorem*. non obscurè innuunt celebre monasterium Benedictini instituti oppidi *S. Euphemiæ* in Calabria, quod non longe aberat à Mileto, cui *Rogerius Comes* imperabat, omnium ferè Præsulum, quos Siculis Ecclesijs præfecit *Rogerius*, Seminariũ extitisse, ex eoque tanquam ex equo Troiano prodijsse viros virtute, prudentia, probatis denique moribus spectatissimos. Troynæ siquidem Episcopum, post collapsum in vrbe illa Præsulatum, primò *Robertum*, qui monasticã

ibi profeſſus fuerat, Epiſcopum deſignatum ſcribit *Gauffridus lib. 3. cap. 19. & lib. 2. cap. 19.* &, qui eum ſecutus eſt, *Pirrus in Meſſan. Notitia ad annum 1060. fol. 296.* Tum *Rogerium*, qui *Syracuſanæ*, (poſt electos Agarenos) primus præfuit Eccleſiæ, ex eodem *S. Euphemiæ* Cœnobio eductum contẽdit laudatus *Pirrus in Syracus. Eccleſ. Notit. ad annum 1093. fol. 152.*

Ad hæc, *Gerlandum* ad adminiſtrãdam *Agrigentinam Eccleſiam*, quò primum attritis Sarracenis inſtituta eſt, è Cœnobio illo eductum teſtatur idem *Pirrus in illius Eccleſia Notit. fol. 270.* Et tandem *Ambroſium* primum Pactenſium Epiſcopum, ac noſtrum *Anſgerium* Catanæ expræfectum.

Verba tandem illa. *In Abbatẽ & Epiſcopum.* Catanenſem Eccleſiam ab initio ſub regulari *S. Benedicti* diſciplina conſtitutam enunciant, ſub qua ad annum vſque 1568. perſtitit, ac perduraüit: In ſecularem à *Pio V.* redacta eſt, dato *Diplomate Romæ apud S. Petrum V. Idus Februarij* 1568. quod in *Catan. noſtro Decachordo chorda 2. Modulo 3. Excurſu 2.* integrum tranſcripſi.

Ille idem *Rogerius* inclytus Siciliæ Comes ſummis quibusque Principibus de Chriſtiana Republica optimè meritis iurè coæquandus, *Catanenſẽ Eccleſiam* vbi priſtino ſtatui decoriq, reſtituit, eãdem nouis adauxit donarijs. Scripto largitionis Diplomate ſub eiuſdem anni 1091. ſpatium.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

A Notum ſit omnibus hæredib⁹ meis, & alijs Chriſti fidelibus, qui hanc chartam, quam do. viderint; quòd ego Rogerius Comes Calabriæ, & Siciliæ, frater Roberti egregij Ducis, totam Siciliam meis temporibus, per Dei adiutorium, debellaui: verè per Dei adiutorium factum eſt, quia ſine Dei adiutorio non potuiſſet hoc fieri. Deus autem B per ſuam miſericordiam in tantis laboribus mihi auxilium præbuit: & ego cum exercitibus militum meorum fortiter laboraui ad hoc opus Dei perficiendum, videlicet ad acquirendam terrã Siciliæ ad Dei opus: patiendo diuerſa pericula in terra, & in mari, & immenſam famem, & nimiam ſitim ad inuicem: numerus autem illorum meorum militum, qui in acquiſitione terræ C Siciliæ mortui ſunt, ſoli Deo, & Sanctis eius cognitus eſt, mihi verò cum omnibus alijs hominibus incognitus. Sed quid plura? verè per Ieſu Chriſti virtutem, & B. Mariæ matris eius, & per noſtros immenſos labores, & per effuſionem noſtri ſanguinis, & per diuerſam mortem fidelium meorum, ſuperaui ego Rogerius Comes ita omnes Sarracenos Si D ciliæ, vt nullus remaneret vel in montibus, vel in cauis Siciliæ, qui mihi non ſeruiret ſecundùm meam voluntatem. Igitur pacificata omninò omni terra Siciliæ, per Dei pietatem, & per noſtras anguſtias, cæpi ego Rogerius Comes adornare omnes Eccleſias Siciliæ, quas tempore belli cæperam ædificare de meis thefau-

ſauris, & meis nobilibus indumentis: & etiam accreſcere eorum poſſeſſiones, quas illis iam dederam de proprijs meis poſſeſſionibus: inter quas donationes dedi ego Rogerius Comes Monaſterio S. Agathæ Catinẽſis pro anima mea, & pro animabus omnium fidelium meorum, qui in Sicilia defuncti ſunt, quatuor villanos in Meſſana Ciuitate cum omnibus filijs ſuis, & duos de illis villanis, qui Chriſtiani ſunt, & duos Sarracenos. Dedi præfato monaſterio vnam Turrim ſuper murum Meſſanæ, & terram intra Ciuitatem ante Turrim, vbi monachi ædificarent domos ad opus Monaſterij; & dedi terrã in quadam mea cultura ad duo paria boum. Poſtea vocauit me ANSGERIVS Epiſcopus & Abbas, vt darẽ illi aliã partẽ de mea cultura, quę remãſerat, ad vineas ad opus monaſterij: & ego dedi libenter illã terrã pro Deo præfato Monaſterio; & ipſe in hac terra plantauit quadraginta millia vineæ, quæ ducit Tauromenio Meſſanam vſque ad mare, & terram iuxta lictus maris ad plantandas arbores, & hortos. Vólo tamen vt per Goffridum Melitenſem, & per Anſgerium Catinenſem Epiſcopum excõmunicentur omnes, qui poſt mortem meam Eccleſiam Catinenſem violarent, vel Monaſterij bona diſſiparent, vel auferrẽt. Datum anno ſalutis 1091.

✝ *Ego Rogerius Comes* ✝
Ego Gauffridus Comitis filius.

Priuilegij huius ſanctio pluribus, ijſq; perutilibus, exuberat monitis, *Prioratum S. Agathæ* in vrbe Meſſanæ, vtpote de Catan. Eccleſiæ iuribus, perbellè ſpectãtibus: habes ea in *meo Catan. Decachordo Chord. 2. Mod. 3. Excurſ. 3. fol. 70.* nonnulla expendit *Pirrus ad hunc annum 1091. fol. 13.* ad ibi notata cupidum delego lectorem, ne caſſo iterum labore repetam, quæ opportuniùs alibi dicebam.

Epiſcopalis porrò Sedis reſtitutionem à Rogerio anno 1088. conſtabilitam *VRBANVS II.* ſũmus ſacrorum Antiſtes Apoſtolicæ confirmationis munimine roborauit, dato Diplomate Anagniæ 7. Idus Martij anno 1091. En illud.

VRBANVS EPISCOPVS
ſeruus ſeruorum Dei.

Dilecto fratri Anſgerio Catanenſi Epiſcopo, & Abbati, eiuſque ſucceſſoribus Canonicè inſtituendis in perpetuum. Sicut Beatiſſimi Patris, & Doctoris elegantiſſimi Gregorij primi Scriptis veridicis edocemur; cõſtat CATANIENSEM, vbi B. AGATHA ET ORTA, ET PASSA EST, CIVITATEM Dignitatis Epiſcopalis gloria claruiſſe: capta autem à Sarracenorum populis Siciliæ Inſula, & illic, & per alias vniuerſæ Prouinciæ Ciuitates & Epiſcopalis gloria perijt, & Chriſtianę fidei dignitas interijt. Poſt annos verò ferè quadringẽtos, Diuina populum ſuum reſpiciente Clementia, per ſtrenuiſſimum Comitem Rogerium Chriſtianorum iuri eadem eſt Inſula reſtituta. Porrò idem Egregius Comes Romanæ Eccleſiæ deuo-

deuotiſſimus filius vbiq; vrbium antiquæ dignitatis anhelans pro tempore gloriam reformare. B. Agathæ matrem Eccleſiam Catanæ ſitam Monaſterium ſore diſpoſuit, quatenus illic fratres Dei ſeruitijs inſiſtentes, pro ipſius ſalute, pro vxoris defunctæ, & militum animabus, qui eamdem terram Chriſtianorum ditioni ſuo ſanguine reparauerunt, Omnipotentis Domini miſericordiam implorarent.

Nos itaq; tanti viri deuotionē, prout dignum eſt, approbantes, Monaſterium illic quidem perpetuo permanere præſentis Paginæ auctoritate ſancimus. Sed enim quia, vt prædiximus, Epiſcopali quondam prærogatiua Catanenſium Ciuitas Illuſtris agnoſcitur, adijcimus, & præſenti Decreto ſtatuimus, vt noſtro quoque tempore ad eamdem redeat prærogatiuam; & quicūque in prædicta Eccleſia a monachis electus fuerit in Abbatem, idem populo quoque præeſſe debeat in Antiſtitem. Porrò & Ciuitas vniuerſa, & quæ circa vel Ciuitates, vel Villæ, vel Oppida, quæ prefatus Comes eidem Monaſterio & Beato Petro Apoſtolorum Principi obtulit, vel oblaturus eſt, & quidquid ad Catanienſem Eccleſiam ex antiquo iure pertinuiſſe poterit comperiri, tam in Diœceſi, quàm in poſſeſſionibus, id in Abbatis & Epiſcopi iuriſdictione ex integro ſēper exiſtat. Idemque Abbas, & Epiſcopus, & Monaſterium regulariter, & Clerum, & populum vniuerſum canonicè regere, Domino opitulante, procuret.

Te itaq; primum poſt tanta tempora Catanenſis vrbis Antiſtitem noſtris, tanquam B. Petri, manibus, conſecratum, præſentis Priuilegij auctoritate donantes, tuis quoq, ſucceſſoribus Decretum hoc ratum perpetuò permanere decernimus, vt ſemper a Romano Pontifice conſecrēdus, ſēper & Monachis in Abbatem, & populo præſint in Antiſtitem.

Deniq, vt hæc perpetua, firma, integra, & illibata conſiſtant, Chariſſimo filio noſtro ROGERIO Comiti Chriſtianæ fidei propugnatori, eiuſq; vxori, & filijs, atq, militibus, pro quorum redemptione Catanienſem Vrbem cum tota Diœceſi ſua B. Petro Apoſtolorum Principi ſuo labore reſtitutam obtulit, Dei, & Apoſtolorum eius gratiam, & benedictionem, ac peccatorum abſolutionem ex Apoſtolicæ auctoritatis, quā indigni gerimus, vice beneuolentiaque donamus, quatenus, & in præſenti eorum triumphi, eorūq; acta magnifica, dona, oblationeſque vigeant, & in futuro præmia æternæ beatitudinis inueniant.

Si quis autem, quod abſit, his noſtris Apoſtolicis Conſtitutionibus pertinaciter obuiam ire tentauerit, ſecundò, terrioq; commonitus, ſi non ſatisfactione cōgrua emendauerit, nouerit ſe Omnipotentis Dei, ac Sanctorū Apoſtolorum indignatione grauiter puniendū, & Sedis Apoſtolicæ, quam contempſit, anathemate confodiendum: conſeruantibus autem hæc, pax à Deo, & miſe-

misericordia, præsentibus & futuris seculis, conseruetur. Amen. Amen. Datum Anagniæ 7. Idus Martij Indict. 14. per manus Ioannis S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, Anno Dominicæ Incarnationis CIↃ XCI. Pontificatus vero Domini Vrbani II. Papæ quarto.

Plura sunt in hoc Diplomate, *quibus immensas de more fu-* Rocchus Pirrus ad euertendam Agathę patriam, Catanam inquam, (ipsissima illius verba vsurpo, quibus ipse in *Albertum Piccolum* inuehitur in Notit. Panorm. ad annum 1083. fol. 101.) *tenebras offundere omni ope contendit, sed infra se caliginem hanc illi despiciant, qui supra odij, inuidiæq; studia excelso animum continent loco.* Quin & eidem *Pirro*, & qui eum ducem nuper sequutus est, Augustino Inueges *in sua Panorm. Sacra fol.* 192. iudiciū libens lubēsque committam, *ita enim mea causa, & eorum cōscientia confido, vt eos non dubitem constituere Iudices eorum, quæ in Catanenses*, quę item in hoc Diploma *ab ipsis dicuntur*, vt ad rem ferè similem dicebat *D. Chrysostomus hom.* 24. *in* 1. *Corin. h. cap.* 10.

Dissertationē hanc plurib' ex industria assequebar in edito à me libello *AGATHA CATANENSIS*, qui adhuc sub prelo gemit, ea vel maxime, quę à *Pirro* in hac Anni sede consignātur, & ab *Inueges* fol. 192. accersita narratione refellēs cap. 22. per totū. Veritatis studium, in Agatham pietas & obsequium, aduersariorum deniq; calumnię ad id me coegerunt. Ea consultò prętermisimus, ne imprudenter eadem repetere videamur, ac proprium opus ex propriis pagmis amplificasse.

Proximo huic anno 1092. Rogerius idemq; Sicilię Comes Catanensi Ecclesiæ dono dedit *Catanam vrbem*, Agros, Ætnam montem, Syluas, Mare, Amnem, & Acidis Castrum; omnia tandem Iudicia, quę ad Regem, cęteroſue Principes in iurisdictionis signum spectare noscuntur, Episcopo indulsit, demandauitq; Elargitionis authographum apud Tabulas *Matthæi Vernagallo* 18. *Martij* 12. *Ind.* 1282. publica fide trāscriptum inspeximus, id quod testatur *Matthæus Siluagius Colloquiorum peregrinorum fol.* 165. En illud.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

Sciant omnes mei successores, atq; alij Christi fideles, qui hoc priuilegium nostrum quandoque viderint, quòd ego Rogerius Comes Sicilię atq; Calabrię pro anima mea, & pro anima patris mei, & matris meę, & pro animabus omnium propinquorum meorum, Deo inspirante, constitui Abbatiam tēporibus meis cum vxore mea Adelasia, & cum filijs meis Gaufrido videlicèt, & Iordano in Ciuitate Catanensium, ad honorem Domini nostri Iesu Christi, & Sanctę Marię matris eius, atque semper Virginis, & Sanctę Agathę Virginis, & Martyris; ibiq; secundum Dei gratiam cum vxore mea, & cum filijs meis, &

illas poſſeſſiones terrenas, quę ſibi ad inuicem datæ fuerunt à noſtris hominibus in Sicilia, vel in Calabria, ſiue ſint illæ poſſeſſiones in Villanis, ſiue in terrenis hæreditatibus.

His verò omnibus ordinatis per me, & per meam vxorem, & per meos filios, Gauffridum videlicèt, & Iordanum, rogaui ego Rogerius Comes ſuppliciter Dominum Papam Vrbanum II. qui tunc temporis regebat Romanã Eccleſiam, vt ipſe pro Dei charitate hanc noſtram Conſtitutionem tam bene factam laudaret, atq; in perpetuum confirmaret, & corroboraret. Dictus verò Papa charitatiuè acquieſcens meæ petitioni laudauit hanc noſtram Donationem, & hanc noſtram Conſtitutionẽ, atq; in perpetuum benedicendo confirmauit; & omnes illos homines excommunicauit, atque maledixit, & ab omni ſacro ordine Dei ſeparauit, qui hanc noſtrã Donationẽ, vel Conſtitutionem tam bene factam vnquam violarent, vel deſtruerent, vel aliquid inde ſubtraherent, vel Monachos ibi Deo ſeruientes in iuſte perturbarent, niſi pro tali præſumptione Deo dignos fructus pœnitentiæ redderent, & Abbati, & Monachis huius Monaſterij inde congruam emendationem facerent. Illos autem homines benedixit, & de omnibus ſuis orationibus participes eſſe fecit, qui hanc noſtram eleemoſynam cuſtodirent, atq; conſeruarent, & Monachis ibi Deo ſeruiẽtibus aliquid beneficij tribuerent.

A

B

C

D

Si quis igitur tẽpus ſcriptionis huius noſtri Priuilegij cognoſcere voluerit, ſciat hoc noſtrũ Priuilegiũ eſſe ſcriptum anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Indict. 15. V. Idus Decembris, tempore Domini Vrbani Papæ II. Domino Rogerio Duce Apuliæ Calabriam atq; Siciliam regente. In Francia Philippo regnante. In Theutonica terra Henrico. In Græcia Alexio.

Et ecce teſtes huius noſtræ Donationis & Conſtitutionis.

Ego Albertus Dei gratia Tarentinus Archiepiſcopus interfui.

Ego Rodulphus Archiepiſcopus Conſentiæ interfui.

Ego Guillelmus Abbas Cœnobij S. Euphemiæ ſimiliter interfui.

Ego Geroldus Capellanus domini Rogerij Comitis ſimiliter.

Ego Gauffridus filius domini Rogerij Comitis ſimiliter.

Ego Iordanus filius eius ſimiliter.

Ego Guillelmus de Altauilla ſimiliter.

Ego Robertus Borrellus ſimiliter.

Ego Guisbertus de Luciaco ſimiliter.

Ego Petrus de Montecaro ſimiliter.

✝*Signum domini Rogerij Comitis.*

✝*Signum vxoris eius.*

In Sigillo tandem pendente cum ſerico viridis coloris, hæc latinè leguntur verba.

✝ *Chriſtus Ieſus vincit. Domine adiuua ſeruum tuum Rogerium.*

Hoc eodem anno *Templum D. Mariæ* (de Ioſephat vulgus appellat) in oppido, nunc Citate, *Paternionis* à prætacto *Rogerio Comite* excitatũ eſt, ac latifundijs locupletatum, *Anſgerio* eiuſq; in Catanenſi Epiſcopatu

superiora dono sanctissimo monasterio Dei, & tibi sanctissimo Episcopo domino Ansgerio propter animam & salutem beatissimi domini mei, & patrui diuini Comitis Rogerij, & semper memorabilium meorum parentum, & nostram. Et hæc scripta superius dona sint consecrata vsq; ad consummationem seculi, nullo impediente, neq; contradicēte nostrum hoc instrumentum: & me viuente ad me spectat defensio; & me mortuo ad nostros filios & hæredes. Siquis autem auctoritate propria diuidet hos agros, eadem & ipse patiatur. Si quis vero neglexerit hanc largitionem, & immutauerit hanc præsentem donationem, & instrumentum, habeat anathema à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & eius portio sit cum Iuda Ischariote, & cum clamantibus Tolle, Tolle, crucifige eum. Ad abundantem autem fidem consignauimus hoc præsens nostrum Instrumentum plumbeo Sigillo in pede propter iam dictum Monasterium, & propter te sanctissimum Episcopum, & spiritualem fratrem in Christo Iesu Dominum Ansgerium. Mense & Indictione descriptis anno MXCII. in præsentia & in oculis testium.

Aitardus Onocephalus.
Giosphorus Rudellenus.
Raus Porzmum.
Alex. de Malarbè.
Caitanus dessentos.
Guillelmus de Mulbentos.
Guillelmus Bicostanus.
Ioannes Syracusius.

A *Giroldus Aspallius.*
Charbas Cellerarius.
Ascettinus Onocephalus.
Raus de Saltzes.
Guillelmus f. Chimbrè.
Philippus Biscoleon.
Gualterius Lumansù.
Gaietanus Nicolaus.

Scriptum manu Basilij Notarij.
Tancredus Syracusius filius Comitis Guillelmi, & uxor eius Muriella.

B *Ansgerius* igitur in Catanensi Cathedra collocatus iuxta insigne *D. Agathæ Templum tota Sicilia maximum* (Fazelli verba trāscribo, cuius cēsioni subscripsere *Georgius Brauuius, Franciscus Lanosius, & Rocchus Pirrus hic fol.* 16.) à Rogerio ædificatum, vt vt dicebam, Cœnobium pro Monachis erexit anno 1094. Erectionis huius exordia in annum 1091. consignant laudati patres, ac tertio reuoluto iam anno absolutam coniectantur: id quod euincit ex marmore Tabella ad Septentrionalem Basilicæ plagā inædificata. *Anno ab Incarnatione Domini MXCIIII. Indict. I. Vrbano Papa Romæ, Philippo Rege Franciæ, Rogerio Vuiscardi Ducis filio Duce Italiæ, Rogerio quoque fratre ipsius Comite Siciliæ totius, & Calabriæ, Dominus Ansgerius Cathaniæ Abbas, & Episcopus cepit hoc ædificare Monasterium: & ad:* pro erasis hisce literis hæc substituit Fazellus & Pirrus. *Et ad finem vsque complevit, adiuuante Domino nostro Iesu Christo.*

Sub idem fere tempus noster *Ansgerius* vnà cum Panormitano Tropeensi, Squillacensi, Militensi, ac Neocastrensi Episcopis,

sacris interfuit de more cæremonijs quibus consecratum est Templum, quod supradictus Rogerius in Eremo apud Squillaciū in Calabria ædificarat, ac donarijs auctum obtulerat *Diuo Brunoni* Chartusianæ Religionis institutori vitæq; Anachoreticæ restauratori: actæ rei monumentum placuit exscribere.

In nomine Dei æterni Saluatoris nostri Iesu Christi.

Anno ab Incar. Dñi MXCIIII. Indict. 2. Cum ego Rogerius Comes Calabriæ et Siciliæ pro Dei amore, et animæ meæ remedio, et pro salute animæ Roberti Guiscardi fratris mei gloriosissimi Ducis Apuliæ, et Calabriæ, et pro remedio fratrum meorum, atq; omnium parentum, et vxorum mearum, vellē dedicari fecere ad honorē Dei, et B. Mariæ, et B. Io: Baptistæ Ecclesiam de Eremo, quæ sita est inter Arenam et Oppidum, quod dicitur Stylum, super territorio dicti oppidi Styli per venerabiles et sanctissimos Patres Panormitanensem Archiepiscopum, et Militensem, Tropeensē, Catanensem, atq; Squillacensē Episcopos, collaudātibus eisdem sanctis patribus, dedi B. Patri Brunoni magistro eiusdem Eremi, sibi, et successoribus suis Monasterium S. Mariæ de Arsafia cum omnibus pertinentijs suis, anno Domini nostri Iesu Christi 1094. mense Augusti, festo B. Mariæ Assumptæ.

Ego Alcherius Nico. Archiepiscopus Panormitanus consecraui Ecclesiam istam in nomine Dei, & B. Mariæ Virginis eius matris et B. Ioannis Baptistæ in præsētia Militensis, Tropeensis, Neocastrensis, CATANENSIS, et Squillacensis Episcoporum, vnā cum domino Rogerio Comite Calabriæ magistro Brunone Lanuino, et cæteris fratribus Eremitis assistentibus, et in præsentia plurimorum hominum.

✝ *Ego Alcherius Nic. Archiepiscopus Panormit.*

✝ *Ego Tristanus Tropeensis Episcopus interfui.*

✝ *Ego Ansgerius Catanensis Episcopus interfui.*

✝ *Ego Theodorus Episcopus Squillacensis interfui.*

✝ *Ego Gosfridus Militensis Episcopus interfui.*

✝ *Ego Henricus Neocastrensis Episcopus interfui.*

Labitur sanè *Pirrus hic fol.* 17. et iterum *fol.* 103. sub anni huius spatium *Ansgerium* Monasterio Argyrensi Catanen. diœcesis facultatem fecisse scribens, quòd *ea Ecclesia S. Philippi habere posset Baptisterium, Cæmeterium, Sponsalia, & Decimas*. Id namq; non ab *Ansgerio*, sed à *Roberto* Catan. Episcopo, de monachorum cōsensu, Cœnobij illius Abbati concessum est mēse Februarij 1179. Id quod post multa temporum spatia ratum habuit *F. Simon de Luteo* Roberti successor, scripto diplomate 26. februarij 1370. et iterum *Scipio Caracciolus* in eadē Catan. Cathedra vtrique successor, datis Literis 31. Iulij 1537. opportunius suis quibusq; locis singula sistemus.

Innuisse tamen hic proderit quæ

quæ ex eiusdem *Pirri* officina fuimus mutuati, sacram scilicet *D. Philippi Argyrensis* Ædem à *Rogerio* I. *Siciliæ Rege* Rogerij Comitis filio primùm ædificatam, tum prædijs adauctam, Benedictinis tandem monachis donatam anno ab orbe cõdito 6635. mense Iulio Indict. 4. Atqui annus iste anno redempti eiusdem orbis respondet 1127. auctore post alios eodem *Pirro in Appendicijs ad Notit. Eccles. Panorm. fol.* 476.

Notandus item *Fazellus Decade 2. lib.* 10. *cap.* 1. et qui ei subscripsit *Arnoldus Vuion. Ligni Vitæ lib.* 7. *cap.* 27. Ansgerium anno 1095. à Catanensi Ecclesia ad Agrigentinam assumptum assueransque per ea tamq; temporum spatia Agrigẽtinæ Ecclesiæ præsidebat S. *Gerlãdus* ab anno 1093. ad annum vsq; 1104. Ecclesiam illam sanctissimè moderatus, auctore præ cæteris *Rocchi Pirro in illius Ecclesiæ Notitia fol.* 270.

Anno à rerũ fascia 6610. qui post Virginis partum 1102. numeratur : *Tancredus* Rogerij Comitis ex *Guillelmo Perebach* fratre nepos Syracusiorum Comes (*Tancredi* huius genealogiam describit *Pirrus in Notit. Ecclesiæ Syracus. ad annum* 1104. *fol.* 156.) medietatem magni fluminis Catan. quod aliquibus *Simethi*, nonnullis *Lineti*, plerisq; Lineti Musæ nomine nuncupatum legimus ; Insuper et *Iarrettam* (scapha est, qua homines et iumenta alueo fluminis traijciuntur, vulgò *Iarretta S. Agathæ*, quod ante nos testatũ reliquit *Fazellus Decad.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2.) latifundia tandem eidem Catanensi Ecclesiæ dono dedit 3. Iunij Indict. 10. Elargitionis Autographum græcè primùm exscriptum, tum latinè redditũ est anno 1210. et in Magnæ Episcopalis Curiæ Catan. tabulis transcriptum in Registro anni 1381. fol. 107. In illius tergo hæc latinè leguntur verba.

Charta Tancredi filij Comitis Guillelmi nepotis Comitis Rogerij de dono Terrarum, quas donavit Ecclesiæ S. Agathæ de Catania, à Flumine magno vsq; ad flumen & confinia Leontini, & ab eodem magno Flumine vsq; ad prædictum Flumen Leontini.

Notum sit omnibus hominibus, quicumque viderint hanc chartam, quòd ego Tancredus filius Comitis Guillelmi fui frater Ecclesiæ Catanensis, & dõnaui Ecclesiæ de meo loco pro beata dormitione Comitis Rogerij, qui locum mihi tribuit, & pro beata dormitione patris mei Guillelmi, & residuorum meorum consanguineorum, & pro anima mea in veritate, medietatem magni fluminis Catanæ, quod dicitur flumen Paternionis Limethi muse, quod meũ erat. Similiter & medietatem Piscariæ, & Iarrettæ, quæ transducit gentem, quæ Iarretta est in flumine prope mare : & meã partem medietatem Piscariæ. Similiter & Iarrettam, & quantũ est supra dicta Iarretta ; vt toto tempore sint Ecclesiæ. Similiter donaui Ecclesiæ totam terram, & mare, quæ est magni fluminis

Catan.

Catan. Linethi muſe vſque ad flumen Leontini, vbi diſtendit ad mare, & deinde ſimiliter incipit meta Eleemoſynæ, quam feci Deo, aſcendit rectè, & vadit per medietatem Pantani Leontini, & tendit ad caſale Xirres, quod vetus caſale eſt propè viã, quæ tendit Leontinum; deinde ſimiliter à caſali Simodi extendit à meta verſus montana, & extenditur ad vallonem Lagani, ſcilicet ad illam Cauam, quam Sarraceni vocãt Chardec laghã; inde itur à Vallone Lagani, vadit rectè, & extenditur à Grenlugutaph, ita nominant eum Sarraceni. Inde itur à Grenlugutaphi, tendit rectè, & extenditur ad Cauam, quæ eſt vltimum montium de Guerenelalachi verſus partem Leontini: ibi habetur vna vetus Eccleſia, & itur tamẽ ſic per pedem montium Leontini circum totum vſq; ad viam Paternionis, quæ tendit Leontinum, & tenet à via illa vſq; ad pontem Duedetayn, quem Chriſtiani vocant Pontem Ferri, & Sarraceni Bantareſarch, & inde intus rédit ad flumẽ Muſe, in quo eſt locus Rachalbualch, quod eſt ſub S. Anaſtaſia, & quantum habetur ab anteriori parte pedum mõtium Leontini, & Duedetayn, & à via Paternionis, & a magno Flumine; hæc omnia ſunt intra metas loci, quem ego Tancredus donaui Eccleſiæ Catamẽſi, & a magno Flumine vſq; ad flumen Leõtini quantumcũq; habetur intra fines ſecundum quod ſcripti ſũt, Nemus, Terras, Aerbas, Pantanos, & Aquas,

A ego Tancredus donaui Eccleſiæ Catan. & intra terminos habetur bonus lacus Piſcariæ, quæ eſt propè Cryptas propinquas mõtibus Leontini, & habetur alius malus lacus, qui eſt inter Linethi Muſe, & magnũ lacum, & quandoq; ſiccat, & alia loca, & lacus habentur in multitudine: ſed ſoli iſti duo lacus ſunt Piſcariæ, & flumen & mare ſunt Piſcariæ, & locum iſtum, & cauſam totã

B donaui ego Tancredus Eccleſiæ Catanienſi pro Deo ſine vſu aliquo, & petitione, & nihil de his mihi tenui pro me, vel pro meis hæredibus, ſed totum donaui Eccleſiæ Cat. pro Deo, & quicũque fecerit contrarium Eccleſiæ de hac re, ſiue in vita mea, ſiue poſt mortem meam, ſint ligati a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto; & hanc ligationẽ feci confirmari ab omnibus Epiſcopis, & bo-

C nis Presbyteris. ✝ Hæc charta ſcripta fuit 3. mẽſis Iunij Indict. 10. anno 6610.

Ex diplomatis huius ſerie nõnulla deducebam *Catan. Decach. Chord. 5. fol.* 229. plura item deduxit noſter *Carrera lib. 3. cap. 5. tom. 1.* illa percurras, ne caſſo iterum labore alibi dicta repetamus.

D Anno 1104. *Tancredi*, quem dicebamus, in Syracuſanam Eccleſiam ſummopere enituit pietas, quando patrui æmulatus exemplum Eccleſiam illam latifundijs adauxit, donarijs ditauit: ſingula quæque recenſet exſcriptum ideò Diploma, quod integrum tranſcribit *Pirrus in Syracuſ. Notit. ad hunc annum fol.* 154. Ne

154. Ne tamen perditorum hominum flagitijs Principis huius pietas è suo deturbaretur gradu, in eos, qui aduersus illam moliri aliquid præsumpserint, ab *Ansgerio* nostro Syracusas ideò accersito, Anathema imprecatum est: edocet id *Ansgerij* subscriptio. *Ego frater Ansgerius Catanẽsis Coenobij seruus constitutionem huius Priuilegij, quod dominus Tancredus pro vtilitate animæ suæ, & parentum suorum Syracusanæ Ecclesiæ fecit, interfui, & illam excommunicationem, vel contradictionem, quam ipse ibi scribere fecit ad confusionem illorum, qui hoc Priuilegium ad inuicem violarent, auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti confirmaui, & hoc signũ sanctæ Crucis in testimonium Constitutionis huius Priuilegij manu mea composui,*

Post hæc anno 1106. *Robertus* Messanensis Antistes, de Messan. Canonicorum Consensu, Templum *D. Ioannis de Flumine frigido* in agro Tauromenitanæ Ciuitatis *Ansgerio* nostro, Catanensis Ecclesiæ nomine, largitus est. En Diploma.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Sciant & cognoscant omnes Christi fideles, qui hanc chartã ad inuicem viderint, quòd ego Robertus Dei gratia Messanensium Episcopus pro Dei Omnipotentis charitate, & pro salute animæ meæ dedi monasterio S. Agathæ Virg. & Mart. quod in Ciuitate Catanensium est, Ecclesiam S. Ioannis de Flumine frigido cum omni sua possessione; quæ Ecclesia in territorio Tauromenitanæ Ciuitatis sita est: sed Tauromenitana Ciuitas in nostris temporibus secundùm dispositionem S.R.E. Sedis Messanensium Ecclesiæ cum omni sua possessione in Parochiam data est. Verè dedi ego Robertus Messanensium Episcopus Monasterio S. Agathæ V. & M. Ecclesiam S. Ioannis de Flumine frigido: & omnes illas consuetudines, vel omnia illa iura, quæ de Ecclesijs, vel de Monasterijs videntur pertinere ad Episcopum, concessi ego Robertus Episcopus pro remedio animę meę de memorata Ecclesia S. Ioannis supradicto Monasterio S. Agathæ, scilicet vt Ecclesia S. Ioannis de Flumine frigido nemini seruiat, nisi Deo, & Monasterio Beatissimę Virginis Agathæ. Igitur hanc chartam feci ego Robertus Episcopus anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo sexto Ind. 14. Mensis Iulij die tertio. Et hanc chartam dedi ego Robertus Episcopus in præsentia fratrum nostrorum, videlicet Canonicorũ Messanensiũ dilecto fratri ANSGERIO memorati Monasterij S. Agathæ V. & M. Abbati. Et hęc sunt nomina illorum fratrũ, quorum consilio vel concessione hanc chartam composuimus.

Ego Robertus Episcopus in testimonium huius nostræ constitutionis hoc signum Sanctæ Crucis manu mea composui + Signum Odonis Decani + Signum Visionis Cantoris + Signum Milonis + Signum Roberti subcantoris.

Anno

Anno quartodecimo ſupra milleſimum & centeſimum *Eccleſiæ S. Mariæ de Ioſaphat* à Rogerio Comite in oppido Paternionis, vt dicebam, erecta, & *Anſgerio*, ſiue rectius Catan. Eccleſię conceſſa, ab *Henrico* Manfredi Marchionis filio prætacti Rogerij Comitis genero, ac Paternionis domino (Duxerat is in vxorem *Flandriam* ſeu *Flandinam* alteram *Rogerij* filiam, quæ *Hugoni Gozelta* primùm nupſerat, cum dominatus Paternionis, & Policaſtri dote) Benedictino Cœnobio *S. Mariæ Vallis Ioſaphat* in Ieruſalem, è cuius nomine denominationẽ excepit & noſtrum, annexatum legimus: *Anſgerio* ſuũ adijciẽte auctoritatis fulcimentum, eamq; ab omni ſubiectionis iure, quo Catanenſi Eccleſiæ adſtringebatur, exemptante. Immunitatis Diploma, quod plura nos docet, placuit exſcribere.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Amen.

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quartodecimo, vltimo die Menſis Septembris 7. Indictionis. Sciant omnes Chriſtiani fideles, qui hoc Scriptum quandocumq; viderint, quòd cum nos Anſgerius Epiſcopus & Abbas apud Paternionem eſſemus, & ibi eſſet vna Eccleſia, quam Comes Rogerius dominus Paternionis conſtruxit in honorẽ S. Mariæ matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & poſt mortem ipſius domini Comitis Rogerij, dominus Henricus gener eius fuiſſet dominus Paternionis, ipſe dominus Henricus ad preces noſtras, & Dei charitate, & amore, & pro animabus parentum ſuorum, ac ſalute ſua, iſtam Eccleſiam, quæ ſita eſt in Paternione, conceſſit Domino Hugoni Abbati, & Conuentui S. Mariæ de Valle Ioſaphat, & ſucceſſoribus eorum; quam Eccleſiam poſtea de aſſenſu domini Innocentij II. & ad preces prædicti Comitis Henrici quondam Mamfridi Marchionis filij, ob reuerentiam Dei Genitricis Mariæ adiudicauimus, & conſtituimus eſſe perpetuo liberam & abſolutam ab omni poteſtate, dominio, & debito Catan. Eccleſiæ, & ita liberam eſſe conſtituimus, vt Nos, & noſtri ſucceſſores de illa Eccleſia aliquod ſeruitium non debeamus habere, neq; Monachos ibi moraturos iudicare. Monachi verò huius Eccleſiæ in poteſtate ſui Abbatis & Prioris, ac ſucceſſorum eius ſint omninò: ſolummodo Chriſma, Oleum ſanctum, ordinationes monachorum, et clericorũ, eorum iuriſdictionẽ, ornamentorum Eccleſiaſticorum, et dedicationes Eccleſiarum, et Altarium perpetualiter, et charitatiue dari concedimus Monachis prædictis, hoc eſt ſine pretio, et ſine aliqua pecunia. Cõcedimus inſuper, vt eadem Eccleſia habeat Cæmeterium, in quo liceat Monachis prætaxatis ſepelire corpora omnium illorum, qui in vltima volũtate ſua ibi ſe elegerint ſepeliri. Item concedimus eis Baptiſterium, et Decimationem, quã de ruſticis Sarracenis, quos prędictus Comes Henricus

præ-

Digitized by Google

A prædicto Monaſterio conceſſit,
percipiunt annuatim. Præterea
concedimus eidem Monaſterio
prædicto omnes abſolutiones,
& eleemoſynas, quas Chriſti fi-
deles eis voluerint charitatiuè
elargiri: Et quicumq; hanc no-
ſtram cõceſſionem diſſipare, vel
violare præſumpſerit, ſciat ſe vin-
culo excommunicationis eſſe li-
gatum, niſi ad congruam peni-
tētiam debita ſatisfactione per-
B ueniat. Ad huius itaq; noſtræ do-
nationis, & conceſſionis memo-
riam, & perpetuam firmitatem
præſens Scriptum prædicto Hu-
goni Abbati, & ſucceſſoribus, ac
fratribus ſuis fieri fecimus, & de
conſenſu fratrum noſtrorum
Bulla plumbea, & ſubſcriptioni-
bus Monachorum noſtrorũ no-
biſcum exiſtentium, aliorumq;
proborum hominum roboratũ.

C ✝ *Ego Ruſſus filius Roluedi Monachus Catan. Eccleſiæ interfui, & conceſſi.*

✝ *Ego Hugo Norbandus Monachus eiuſdem Eccleſiæ concedo.*

✝ *Ego Nicolaus de Cuſentia Monachus eiuſdem Eccleſiæ concedo.*

✝ *Ego Henricus Manfredi Marchionis filius, qui ſupra, teſtor.*

✝ *Ego Gualberius de Valle currente teſtor.*

Cęnobij huius iura omnia, ſta
D tumq, innuebā *Catan. Decachord.*
Chord. 2. *Mod.* 5. *fol.* 125. Adela-
ſiæ Rogerij Comitis vxori pri-
mam illius inſtitutionem adſcri-
bens, nondum etenim ad noſtrā
peruenerat Notitiam recitatum
Diploma, quo *Rogerij* pietas in
eo ædificando commonſtratur
pariter & commendatur.

Anno vigeſimo duodecimi ſeculi *Gauffridus* Rogerij, quem ſępiſſimè dicebamus, filius, Raguſiæ dominus, plura Catan. Eccleſiæ largitus eſt bona, quæ in ſubiecto Diplomate legere eſt.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Monaſterij Cataniēſis fratrib⁹ vniuerſis tam modò viuentibus, quā futuris Gauffridus de Raguſia filius Rogerij Comitis cũ vxore ſua Rogalia, & filijs Bartholomæo, Silueſtro, atq; Gotifredo ſalutem, & debitam in Domino deuotionem. Quoniam Deus Omnipotens mihi peccatori in hoc ſeculo contulit multa bona, non meis meritis, ſed gratuita pietate ſua, iuſtum eſt vt ego beneficijs ipſius piæ voluntatis pro vt eſt, recompenſarẽ vicem, quatenus ego, & vxor mea, & filij eius miſericordiam, & animarũ noſtrarum ſalute in adipiſci perpetualiter valeamus. Igitur de Terra, & de Villanis, quos pater meus Rogerius Comes Siciliæ, atq; Calabriæ mihi filio ſuo in oppido Raguſiæ dedit, ſtabiliui ego quādam eleemoſynam, & dedi illam atq; conceſſi Reuerendiſſimo Angerio Epiſcopo, atq; Abbati Cataniēſi, & omnibus eius ſucceſſoribus in perpetuum, vt ipſi tam pro animabus patris & matris meæ, quàm pro ſalute mea, vxoris, atq; filiorum, & etiam pro illorum, qui in adquiſtatione Terræ Siciliæ mortui ſunt, remiſſione omniũ peccatorum, Diuinæ pietatis clementiam exorarent. Cuius terræ diuiſionem, & Villanorum

numerum, vinearum quoq; plātationem, & duorum molendinorum determinatam conſtitutionem in quodam Priuilegio diligenter ſcribi feci, & prædicto domino Anſgerio Epiſcopo, & eius Eccleſiæ liberaliter dedi, Hoc autem Priuilegium ſcriptū eſt in ſermone Gręco per manus Ioannis Notarij mei. Verū poſt hæc, longa temporis decurſione tranſacta, venit ad me Hugo Prior cum fratribus ſuis Rogerio, Anſgerio, Engelbardo, atq; Norbando, & rogauerunt me, vt illis prædictam meæ Conceſſionis donationem, ſicut olim ordinatum fuit, extenderem, & eam perpetua Priuilegij mei atteſtatione firmarem. Quorum petitioni Ego cum vxore mea& filijs libenter annui, & Priuilegium fieri bona voluntate conceſſi. Quod volo, ſicuti definitū eſt, à meis ſucceſſoribus firmiter teneatur, & à Monachis Catanenſibus ſine calumnia, & ſine inquietitudine per omnia liberaliter mea Donatio poſſideatur. Si quis autem hanc Conſtitutionē violare præſumpſerit, ſemel, & iterum, tertioue commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, a Deo, & omnibus Sanctis maledictus ſit; qui verò hæc illibatè ſeruauerit, huius Largitionis atq; noſtri beneficij particeps ſit. Hoc autem factum eſt Dominicę Incarnationis anno 1120. Indict. 13. Menſ. Decembris, 16. die Menſis. Anno Pontificatus Domini Calixti II. ſecundo.

Et ecce teſtes huius conſtitutionis ſunt

A *Bartholomæus, Silueſter, & Robertus filij domini Gauffridi.*

Petrus magiſter Cappell. ipſius.

Petrus alius presbyter.

Stephanus alius presbyter.

Nicolaus de Amatul.

Sarlo miles filius Roberti de Gulfo.

Vgo de Modica.

Gerardus de Modica.

Silueſter de Humet.

Gauffridus de Porta.

B *Vrſio de Modica.*

Rainerius miles Magiſtri Bartholomæi.

Diplomatis huius ſeries nonnulla nos docet: & primò *Raguſiam* poſt exactos Sarracenos iuris fuiſſe *Gauffridi*, quem dicebā, *Rogerij Comitis* filij quem de Raguſia, ſiue *Raguſiæ Comitatu* genitor *Rogerius* eum exornauerat. C Is ex Rogalia vxore fœmina nobiliſſima tres ſuſcepit filios, vt legiſti, *Bartolomæum* natu maiorem, qui ſine prole deceſſit, Silueſtrum, cui ſucceſſit *Vuillelmus Marſici Comes & Dominus Raguſiæ*, de quo nonnulla dicemus inferiùs, & *Robertum* natu minimum etiam abſque prole defunctum, quem *Gothofredum Robertum* dixit *Pirrus in Nupera Sicil. Regum Chronologia fol.* 14.

D Aliud occurrit. Eleemoſynam, quam ſtabilijſſe teſtatur *Gauffridus*, illam fuiſſe conijcio, quæ *Prioratus S. Mariæ de Raguſia*, ſiue *de Noua*, vel *de Monacho* nuncupatur, cuius prouentus hodie Capitulari Canonicorum Catan. menſæ ſunt aggregati. Illius iura omnia poſtliminio quaſi reſtituebam *Catan. Decachord. Chord.* 2.

Mod.

Mod. 3. *fol.* 77. Hodie domus eſt Regularium Franciſcanorũ Tertij ordinis, ſi credimus *Pirro in Syracus. Eccleſ. Notitia fol.* 258. Prioratus D. Mariæ de Raguſia nomine adhuc retento.

Sed iam ad *Anſgerium* noſtra conuertatur Oratio. Præſul itaq; noſter ob vitæ integritatem ciuibus exteriſq; commendatus, haud vulgaribus ab *Maurolico* celebratur enchomijs *Hiſtor. Sicil lib.* 3. *fol.* 97.

Pietate in pauperes ſũmopere enituit, ad quorum calamitates ſubleuandas certos ſtabilijt redditus, quibus 50. pauperes alimẽtis ac cibarijs in dies refocillarẽtur, frigore ac nuditate confecti decenti tegerẽtur amictu. Pietiſſimam porrò huius operis inſtitutionem, contenſioſiſſima, quibus commiſſo ſibi gregi inuigilabat, Paſtoralis ſollicitudinis ſtudia, pręclara tandem illius facinora, ex ordine refert *Matthaus Siluagius Colloquio trium peregrinorum cap.* 44. *fol.* 167. Leonino ſtylo, vt illa ferebat ætas, mettrice deſcribens.

CVnctis ſit notum præſentibus, atque futuris,
Qui metuunt, & amant Diuini culmina iuris,
Anſgerius quòd ego, qui Præſul, & Abba vocatus,
Nomine, non meritis hac cernor in Arce locatus,
Iſtius Eccleſiæ primus fundamina ieci,
Muros, & Turres, faciendaque cætera feci,
Atque ruinoſas reparaui ciuibus ædes,
A Quæ fuerant auibus nocturnis antea ſedes.
Struxi Piſcinas, Hortos, Virgultaque ſeui,
Quæ ſatis eſſe queant præſentis in vſibus æui.
Innumeras colui Vites, Ficus, & Oliuas,
Singula multiplicans nouitates per rediuiuas.
Nec ſata, nec fruges variæ multiplicitatis;
B Aruaque non deerant numeroſæ fęlicitatis.
Fratres præterea nonnullos aſſociaui,
Quos Euangelica crebrò dulcedine paui.
Libros deſcribens multos ſatis eloquiorum,
Qui redolent plenè flores, & thura Sacrorum.
Plurima conficio, quibus inſudans vehementer
C Largifluis opibus vitabar ſufficienter.
His ita diſpoſitis, qua ſollicitudine noram
Ignorans mortis mihi dandę tẽpus, & horam,
Et recolens quanta vitiorum mole grauatus,
In me, qui fuerat, vigor eſſet debilitatus.
Fratribus acceptis in tempore conuenienti.
D Quod peto, conſiliũ dant omnes corde libenti.
Scilicet vt ſolitum pręter munus quod egentes,
Accipiunt cuncti, quauis de parte ruentes,
Sint in præbenda quinquaginta numerati,

A Veſtimenta quibus dentur, Victuſque parati.
Idque prius pro me, quoad hac in carne morabor,
Semper erit, ſemperq; ſimul ac defunctus humabor.
Poſt me pro Monachis, qui ſunt hic, ſuntue futuri,
Aut obierunt iam, ſeu ſunt iſtinc obituri.
Omnes vt veniam peccatorum mereamur,
B Talia pro Chriſto dum peruigiles operamur;
Neſcio de reliquis quid agent in ſe ſtabilita,
De me polliceor, quia dum fuerit mihi vita,
Nil minus omninò, quàm diximus, inuenietur;
Si plus contigerit, laus Chriſto, non mihi detur.
C Qui veniunt poſt me, ſi ducent hæc negligenter,
Aut pro poſſe ſuo non ſeruent iſta decenter,
Paupertate loci niſi fortè quis minuetur.
Quod cum larga Dei manus affuerit, reparetur;
Sint cum complicibus Maranatha ſuis anathema,
Nec cœleſte ferant cum Chriſticolis Diadema;
D Sed ſit eis merces fornax, & flamma Gehennæ,
Suppliciumq; luant ibi feruens, atque perenne,
At qui non præſumpſerit hoc violare ſtatutum,
Poſt obitum ſit eis iter ad cœleſtia tutum. Amen.

Haud vulgari apud vtrumque *Rogerium* auctoritate præſtitit noſter *Anſgerius*, quo vel maximè rem promouente, *Rogerius II. Comes* (nondum per hæc tempora Regalibus Infulis, ac Corona fuerat redimitus) *Maſchalarum Oppido*, latifundijs, prædijs tandem Catanenſem Eccleſiam donauit, ditauitque anno 1124. qui *Anſgerij* poſtremus numeratur. Elargitionis Diploma Græcè ſcriptũ latinè dein trãſcriptũ in libro Priuilegiorũ fol. 107. legere eſt. Eũ quoq; præclarus rerum vſus, inſignis morum probitas, effuſa deniq; in pauperes munificentia cunctis ferè ſeculis commendatum reddidere: fides ſit *Gauffrido Malaterra* res æuo illo geſtas exſcribenti, quiue librum de Principum Northmannorum aduentu in Sicilia *Anſgerio* nuncupauit; nec alienæ fuit mentis *Maurolicus Hiſtor. Sicil. lib.* 3.

Qui cum populo ſibi cõmiſſo ſollicitus pręfuiſſet annos ſex & triginta, lethali morbo correptus, octuagenario maior, dignus nominis immortalitate mortalitatem expleuit anno 1124.

Errant ſane qui *Anſgerium* ſolemni pompæ, qua *Rogerius* II. cæterorum omnium primus Siciliæ Rex conſalutatus eſt anno 1129. die 25. Maij adfuiſſe ſcripſerunt, interquos *Franciſcus Baronius de Maieſt. Panorm. lib.* 4. *cap.* 7. eos ſcitè refellit *Pirrus in Notit. Syracuſ. ad annum* 1129. *fol.* 158. temporum item calendaria, quibus hæc acta ſunt, nemine perſequente, confodiunt.

§. XXI.

MAVRITIVS.

Anno à Virginis partu 1124.

MAVRITIVS Diuæ Agathæ Cœnobita, idemq; *Catanenſis, vir bonus & pius, cuius memoria in benedictione eſt*, initi Pręſulatus initio, anno ſcil. 1124. cum *Hugone* Syracuſ. Epiſcopo Templum *D. Mariæ de Ioſaphat* apud Paternionem ſacra deliniuit olei vnctione, ac *Deo* ter Optimo Maximo in honorem eius Genitricis dicauit; en actæ rei monumentum.

Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo quarto, quartodecimo die menſis Iulij Indict. 2. Ego Mauritius Dei gratia Catanenſis Epiſcopus notum facio tam pręſẽtibus, quàm futuris, quòd ſimul cum dilecto, & Reuer. fratre domino Hugone venerabili Syracuſ. Epiſcopo dedicaui Eccleſiam S. Mariæ Matris Domini noſtri, ſitã apud Paternionem precibus Pagani monachi, & aliorum fratrum Monaſterij S. Marię de Ioſaphat, & domini Henrici domini Paternionis, & poſt conſecrationẽ eiuſdem Eccleſiæ, rogatu prædicti Syracuſ. Epiſcopi, & prænominati domini Paternionis, totum illud, quod Prędeceſſor noſter Anſgerius Epiſcopus ipſi Eccleſiæ, quam conſecraui, donauerat, voluntariè de conſenſu, & voluntate Monachorum Catanenſium confirmaui. Et cum A idem prædictus dominus Paternionis heri multa beneficia eidẽ Eccleſiæ impendiſſet; tamen in eius Dedicatione, admonitione noſtra, pro animabus parẽtum ſuorum, & pro ſalute ſua, & hæredum ſuorum, dedit eidem Eccleſiæ Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ ſitam in ſuburbio Paternionis cum Hoſpitali, & Ecclecleſia S. Michaelis, & S. Heliæ cum tenimentis ſuis, & B clauſuram Patellinæ, & Caſale Meſepi cum Villanis, & omnibus pertinentijs ſuis: & ego Mauritius ſupradictus amore ipſius Syracuſ. Epiſcopi, & prædicti domini Henrici, de aſſenſu domini Papæ, & conſenſu monachorum fratrum meorum, qui mecum aderant, quicquid iuris in Eccleſijs prædictis pro animabus Epiſcopi Anſgerij, & omnium C fratrum meorum Catanenſiũ Monachorũ habebat Catanenſis Eccleſia, charitatiuè cõceſſi. Itẽ de aſſenſu & cõſenſu prædictorum conceſſi prædictæ Eccleſiæ ſitæ in prædicto ſuburbio Cœmeterium, Confeſſionem, Baptiſma, Chriſma, & Oleum sãctum habere ſemper auctoritate noſtrà Eccleſiæ Catanenſis, liberè, & ſine aliqua ſeruitute. Quicumq; igitur hanc donationem D infringere ſeu infirmare ſiniſtra parte laborauerit, Dei vindictæ ſubiaceat, niſi digna pænitentiæ ſatisfactione reſipiſcat. Ad cuius donationis, & conceſſionis noſtræ memoriam, & perpetuam firmitatem, præſens ſcriptum à prædicto Pagano Monacho Ioſaphat pro parte Monaſterij ſui,

de conſenſu fratrum noſtrorum fieri fecimus, Bulla noſtra plumbea, & ſubſcriptionibus monachorum noſtrorum roboratum, & aliorum teſtium ſubſcriptorum.

In teſtimonium autem huius Conſtitutionis feci Ego Mauritius Signum hoc ✝ Sanctæ Crucis.

Ego Hugo Graſſus manu mea ſubſcripſi.

Signum Ioannis Archidiaconi.

Signum Domini Hugonis Syracuſanæ Eccleſiæ Epiſcopi.

Signum Domini Henrici.

Signum Salomonis Cantoris

Signum Aldebrandis.

Signum Gauffridi filij Roaldi.

Signum Gribaldi de Conticinio.

Signum Roberti maioris.

Signum Dominæ Flandrinæ.

Fœlicia ſane fuerunt huius Antiſtitis tempora: eo namque ad Catan. Eccleſiæ clauum ſedente ſacra Diuæ Conciuis *Agathæ* Pignora Conſtatinopoli *Catanam*, vnde impia manus abduxerat, pio *Goſelmi*, & *Giliberti* miniſterio reducta ſunt anno Chriſtianæ ſalutis 1126. Admirandam hanc, nec abſq; superni diſpenſatione conſilij Reliquiarum translationē luculenta perſtrinxit narratione Mauritius, illam hic ad primigenium exemplar emendatam pariter ac expurgatā ſiſtere placuit. Hiſtoriæ huius à Mauritio deſcriptæ meminit *Philippus Ferrarius in ſuo Martyrologio ad diem* 17. *Auguſti* hæc inquiens. *Catanæ in Sicilia translatio S. Agathæ Virg. & Mart. ex Mauritio Epiſcopo Catan. hac die officium conſtruente.*

A Mauritius diuina protegente gratia Cathanenſium Præſul cū omnibus ſuis Cœnobitis, omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Monachis, Clericis, militibus, viris, ac mulieribus in Chriſto piè viuentibus ſalutem.

Gaudium, quod in præsēti nobis euenit tempore, vobis cælare nolentes, his literis patefacimus, quatenus vnà nobiſcum corda veſtra lætētur. Igitur ſciat B dilectio veſtra, fratres Chariſſimi, corpus beatiſſimæ Virginis & Martyris Agathæ ad proprios deductum eſſe alumnos, vnde ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vice B. Petri Apoſtoli, cui à Domino ligandi, atq; ſoluendi collata eſt poteſtas, de omnibus peccatis, quæ confeſſi fuerint, venientes ad ſuum ſacratiſſimū C corpus recto corde adorandum, tertiam partem dimittimus. Et ſi fortè incœpto itinere, quia morte præuentus obierit, & cōfeſſus peccata ſua fuerit, omnia dimittimus ei, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Amen.

D *Incipit Epiſtola Mauritij Cathanienſis Epiſcopi de Tranſlatione S. AGATHAE VIRGINIS.*

Mauritius nomine, non merito Cathanienſis Epiſcopus vniuerſis eius prouiſioni commiſſis, filijs, & fratribus omnibus intra Siciliā ſub Chriſtianæ legis profeſſione ſalutem. Diuinorū eloquiorum promulgata ſanctione didi-

A didicimus, quoniam ſacramentũ regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare honorificum eſt. Et idcirco Dilectiſſimi pro humanæ mentis ignauia remanere nullatenus debet occultum, quod gratuita pietate ſui pro omnium ſalute communi vult Dominus Omnipotens fieri manifeſtum.

Ipſe quippe in ſua natura immutabilis perſiſtendo, mutabilitates B humani generis, quod deceptione diabolica varijs ſemper atq; multimodis vitiorum iaculis vulneratur, ſanare, & in bono ſolidare procurat. Et nunc Sanctæ Scripturæ dulcibus eloquijs admonendo, nunc minarum ſuarum aſperitatibus deterrendo, nunc Sanctorum ſuorum exemplis, & miraculis demulcendo, & ſic ad æternam vitam prædeſtinatos informãs de ma- C lis bonos efficit, & de collatis ſibi beneficijs ad ſe laudandum, & glorificandum promptiores reddit.

Igitur & Nos pro inęſtimabili beneficio nuper nobis, non noſtris meritis, ſed ſua bonitate, collato, illi deuotas gratiarum rependimus actiones, & vt vos congaudendo nobiſcum eadem faciatis, veſtras præſentibus no- D ſtræ humilitatis apicibus pulſamus aures. Reddidit enim nobis AGATHÆ Beatiſſimę Virginis & Martyris Corpus ſanctiſſimũ totius Sicilię pignus, & amabile patrocinium. Quo autem ordine, quibuſue miniſtris actitatum, quantiſque miraculorum indicijs declaratum, cunctis ſcire volentibus in huius Scripti pagina declaramus, breuitati ſtudentes, & verborum ambages penitus deuitantes: Quapropter ſtudioſos quoſque Lectores, qui hunc qualemcumq; dictatum legere dedignati non fuerint, dulciter admonemus, ne in nobis linguę nitorem, vel verborum ornatus inquirant, ſed ſimpliciter, & veraci mente ſuſcipiant, ſcientes procul dubio Deum non Philoſophica diſertitudine, ſed in ſimplicitate, & veritate ſemper eſſe quęrendum.

Sicut in Antiquorum libris authẽticis inuenitur, Decio perſecutionem Chriſticolis ingerẽte, beatiſſima Virgo, & Martyr Agatha martyrio coronata eſt in prouincia Sicilię apud vrbem Cathaniam ſub Quintiano Proconſule, ibiq; ſepulta longo quieuit tempore, Domino per eam miraculorum inſignia faciente. Verum poſt multa annorũ curricula populus Chriſtianus ſuis peccatis promerentibus, Iuſtitia Diuina caſtigante, in vindictam traditus eſt manibus Barbarorum. Qui diruentes Eccleſias, & Ciuitates, totam circumquaque Prouinciam ſuo dominio ſubdiderunt ſeruiliter. Quam ſtragẽ fidelium Conſtantinopolitanus audiens Imperator, Exarchum, quem in bellicis rebus habebat expertiſſimum, vocabulo Maniacũ, cum armata manu in Siciliã deſtinauit, qui in breui totam peragrans Inſulam, eam ferro, ingenioq; perdomitam in ditionẽ accepit. Qui Maniacus Corpus Deo dilectæ Virg. AGATHÆ,

cum

cum multis aliorum Sanctorum corporibus Conſtantinopolim, quæ prius fuerat vocata Bizantium, delegauit, credens Orientis Imperium, iam iamq; caſurum, per eorum preces, & merita poſſe in robur priſtinum releuari: ſic igitur translatum eſt corpus beatiſſimæ Virginis, & Martyris Agathæ de Catanienſi Ciuitate Bizantiũ, ibiq; decenter à quibuſdam loci incolis eſt conditũ, & deuotiſſime veneratum.

Volente autem Domino, cuius vniuerſa reguntur imperio, relatum eſt tali modo. Anno Incarnationis eius milleſimo centeſimo vigeſimo ſexto, Indictione quarta, Apoſtolicæ Sedi præſidente poſt Calixtum Honorio, duo quidã Latini apud Vrbem Conſtantinopolim mãſitabant, quorum vnus Gislibertus, alter verò Goſelinus vocabatur, prior quidem genere Gallus, ſequens autem Calabricus. Cui videlicet Gisliberto, qui in aula Regis militari fungebatur officio, ſicut ipſe præſentibus nobis aſſeruit, per nocturnam viſionem ſe beatiſſima Virgo & Martyr Agatha ſemel, & iterum, atq; tertiò repræſentans præcepit, vt ſe ab Eccleſia, in qua iacebat, latenter ablatam, Cathaniam, vbi pro Chriſto fuerat coronata martyrio, reportaret. Quæ viſio, quoniam nonnullis videtur incredibilis, à nobis non debuit humanæ rationis libramine diſcuti, ſed Dei cuncta ſcientis iudicio reſeruari. Hæc tamen veraciter affirmare poſſumus, quia niſi Deus voluiſſet, ad nos Virgo beatiſſima non rediiſſet. Cæterum nos legem ſequentes Hiſtoriæ, reliqua proſequamur ex ordine.

Gislibertus ergo ſolus tam magnos auſus inchoare formidans ſocium ſibi fide conſtrictum Goſelinum accerſens, quieto tempore noctis vnà cum illo, ſcala ſuppoſita, in qua iacebat corpus Virginis, Eccleſiam introiuit, illudq; reperientes furto laudabili rapuerunt, & in cophino roſis odoriferis hinc indeque referto venerabiliter collocarunt. Protinuſq; ad domum Goſelini cum Theſauro ſibi diuinitus attributo, greſſu concito repedantes, caput Virginis venerandum in duabus ſcutellis, quanta potuerunt honorificentia, condiderunt. Artus verò reliquos, ne quouis indicio poſſent detegi, in duabus pharetris, quos vulgo Turcaſias nominant, attulerũt.

Interea tantæ rei ſtatim circũ quaq; fama diſcurrens populari motu ad aures vſq; Principis peruolauit, dicens euenìſſe ſibi, & in ipſius Imperio triſte præſagiũ, Agathæ ſcilicèt corpus amiſſum. Nec moram patitur, miſſis vbique curſoribus per totam Ciuitatem, perq; vicini maris littora Regia proponuntur edicta; ne quis ab Vrbe non interrogatus abſcederet. Sed quid valet humana cuſtodia cõtra Diuinę diſpoſitionis induſtriam? Non eſt, ait ſapientiſſimus Salamon, ſapientia, non eſt conſilium contra Dominum. Nam prędicti viri, nullo ſe moleſtante, vel iſtius facti ab eis ſciſcitãte negotiũ, ab vrbe regia, Domino protegente,

pro-

progreſſi portum maris adeunt, ibiq; conſcenſa naui, vento proſequente ſecundo, veloci remigio Smyrnam viq, perueniunt. Quo in loco diebus quatuor cõmanentes, & Turcaſias, vbi ſanctas occultauerunt Reliquias, aptius componere diſponentes, grauí terræ motu ſunt repentè perterriti, & repentino terrore turbati.

Gislibertus autem Goſelino ſapientior, atq; fidentior, ſocium ſuum, ne trepidaret, multiplici conſolatione confortans, aiebat Diuinam illis adeſſe preſẽtiam, nulloq prorſus euentu ſe debere terreri, aut à cœpto deſiſtere, quos talis tantique potentatus Domina ſui comitatus præſidio roboraret. Extẽplò facta dictis æquantes, Ratem, inde Corinthum nauigare volentes, facta pactione, conſcendunt, & maria pacata pro voto ſulcantes ad optatum prędictæ Ciuitatis portum, Domino proſperante, perueniunt, ſic nihil obſtat terreni Regis vetitum, cui cœleſtis Imperatoris virtus obſtabat, nullũ potens defuit auxilium.

Igitur Corinthum peruenientes, vt diximus, ibidemq, plus neceſſitate, quam voluntate, quatriduò ſubſtiterunt, optantes inuenire nauigium, quo vehente poſſent in Siciliam deuenire. Sed cum deſiderio deeſſet effectus, poſt diurni temporis fatigationes, nocturno ſopore depreſſis, vt poſtmodum retulit, Gisliberto nominato ſuperiùs imago beatiſſimę Virginis admirandæ venuſtatis crinibus diſſolutis apparuit, & plurimùm de ipſius tarditate conqueſta, vt cum ſocio ſe comitante nauigaret, admonuit. Simulq; per viſum nauem oſtendit, quæ iam anchoram leuans curſum dirigere properabat. Qui ſtatim euigilans, indeq; nociua moroſitate contempta feſtinans, iuxta illud.

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

Peruenit ad Portum, vbi per omnia ſuæ voluntatis, & Diuinæ præoptationis compos effectus, naulica conſuetudine diſtributa, nauem ſubijt, nulloq; vel ſibi, vel nautis, interuentu Virginis, obſtante periculo, vna cum Goſelino laboris & conſilij ſocio, Methone littori applicuit. Inde quibuſdam negotiatoribus ſociati fœliciter Adriaticum mare tranſmeantes, altiſſimi volente conſilio, Tarenti ſalui perueniunt ad littus, in quo deſcendentes Ciuitatem adeunt Tarẽtinam, ibiq, celebrata Miſſa ſuper Virginis glorioſæ Reliquias, ac ſumpto cibo priſtinum redeunt ad littus, vbi clam depoſitis artubus à pharetris cauſa melioris repoſitionis; factum eſt Diuino miraculo, quòd reponentes glorioſas Reliquias Virginis glorioſę glorioſam credẽtes ipſã iam repoſuiſſe, extra dimiſerunt Mamillam, vbi fons quidam aderat, ad quem fœmina vidua fama laudabilis, morum honeſtate venuſta, cauſa abluendi pannos cum quadãFilia ſua paruula, quam adhuc lacte nutriebat, aduenit. Quæ lotis pannis ſomno ſoporata fortiter obdormiuit.

Puella autem naturali instinctu appetens refocillari, materna quærebat vbera, vt lac sugeret, vt consueuerat, eundoque manibus pedibusque hinc inde discurrens, ad glorioſam mamillã miraculo diuino peruenit, quam in ore ponẽs illam sugere cępit, à qua lac miræ dulcedinis emanabat.

Igitur puella cum maxima delectatione sugente, apparuit matri Virgo glorioſa, dicens, surge, & vade, quia Filia tua meam tenet in ore mamillam. Quæ cõsurgens venit ad Filiam, viditque illã mamillã, sicut in somnis viderat, in ore tenentem. Ea ibi relicta, ad Ciuitatis Episcopum festinãter cucurrit, & per ordinẽ omnia explicauit. Quo cõperto ab eodem, conuocato vniuersæ Ciuitatis Clero, & populo in vnum coadunato, venerunt processionaliter ad locum vbi iam Puella relicta fuerat. Omnes insimul aduenerunt Mamillam volentes extorquere prædictam ab ore Puellæ, sed nec laudibus, nec vi extorquere valuerunt. Tunc præcepit Episcopus, quod omnes Sacerdotes confiterentur cũ deuotione, & reuerentia, & quilibet per se deberet accedere ad Puellam, forte inter eos esset aliquis fama, & vita laudabilis, cui prædicta Mamilla diuinitus condoneturꝰ. Quo etiam peracto, prædictã Mamillam nec sic aliquo pacto habere potuerunt.

Tunc Sacerdos quidam bonæ vitæ, morumq; honestate compositus dicit Episcopo. Fiat processio in Ecclesiã Sancti Cataldi.

A Tunc præcipiẽte Episcopo facta est dicta Processio. Dum cantarent Letanias, & deuenirent ad Beatam Virginem AGATHAM, cantantes, Sancta Agatha ora pro nobis, Puella, quam Sacerdos lateri gestabat in vlnis, Mamillam in ipsius Sacerdotis sinũ ab ore proiecit, videnſq; ipsam Sacerdos, eam Episcopo reuerenter consignauit, & sic perceperunt illam fuisse Mamillã

B glorioſæ Virginis Agathæ. Tunc Sacerdos ille, Episcopo concedente, de domo sua Ecclesiam in honorem Virginis Agathæ cõstrui fecit, ibiq; seruiens sub habitu monachali sanctissime suã vitam finiuit.

Axioma hoc, ſcil. capta poſſeſ
ſione Eccleſiæ principalis cenſetur capta poſſeſſio reliquarum
ſubiectarum, locum obtinet in caſu ſuo, quando ſcil. verè conſtaret de ſubiectione Catan. Eccleſiæ; quod tamen pugnaciſſime negatur, & prorſus paſſim venit in diſceptationem: & ideo corruat ædificium neceſſe eſt, quod fallaci ſuperſtruitur fundamento.

Præterea, Propoſitio illa nequaquam ſibi vendicat locum
quando alius eſt in poſſeſſione
eius quod prętenditur acceſſoriũ ad principale, vt aduertit *Gloſſ. in l. 4. in principio in verb. quilibet ff. de ac-*

de acquir. poſſeſſ. Cum itaque Catanenſis Eccleſia fuerit per ea tempora vt dicebam, exempta: capta poſſeſſione Eccleſiæ principalis, nequaquam Catanenſis Eccleſiæ, vtpote ſuffraganeæ aut annexæ, poſſeſſio capta prætendi poteſt. Ad hæc, locum id habet reſpectu iurium, in quorum poſſeſſione conſtat Eccleſiam tũ fuiſſe, ſecus reſpectu eorum, in quorum poſſeſſione non erat, vel poſſeſſio erat controuerſa, vt in caſu noſtro, ita *Rota Rom. in vna Piſtorienſi Prioratus* 13. *Martij* 1615. *coram Veroſpio*, quam refert, & ſequitur *Riccius collect. deciſ* 3140. *parte* 7. Et tandem, in actibus ſignificantibus translationẽ Iuris de vno in aliud, capta poſſeſſione principalis non venit acceſſorium ſuo principali nõ omninò cohærens, aut connexum, *ad text. l. quoties ff. de contrah. emption. l. final. ff. de ſuppell. legat. l.* 2. *ff. de fund. inſtr. Coſta ſiculus conſil.* 1. *nu.* 74. Quamuis ergo Monteregal. Archipræſul creditæ ſibi Eccleſiæ poſſeſſionem nactus fuerit ab initio, non ideo tamen in Catan. Eccleſiã ſubiectionis iura acquiſiuiſſe dicẽdus eſt, quę Mõteregal. nullatenus cohęreſcebat ab ea prorſus immunis, ac Romanæ immediatè ſubiecta.

SECTIO IV.

IAm Deciſio Rotæ Romanæ. *Tum ex eo quòd in libro Prouinciali Romano Epiſcopus Catanenſis reperitur ſcriptus ſuffraganeus Arch. epiſcopi Montis Regalis, talis enim liber probat ſubiectionis effectu actionem & obſeruantiam, Mohed in. deciſ. 5. incipit Archiep ſcopus. de fide inſtrumentorum.*

Verùm eſto, citra veritatis diſpendium, *Catan. Epiſcopus* in libro illo veluti ſuffraganeus deſcriptus reperiatur (vide quantùm demus aduerſarijs) adhuc nihil inde Epiſcopi iuribus præiudiciale deduci quiſpiam dixerit, qui bene norit, Pontificalem librum, quamuis Authenticum, & indubitatæ fidei tunc demum probare in præiudicium deſcripti, quando iſte talis deſcriptioni conſenſit, id quod euenſſe diximus quando ex cauſa huiuſcemodi deſcriptionis Subiectionẽ preſtitiſſet & obedientiam; ad tradita per *Alexandrum conſ.* 35. *nu.* 4. *lib.* 4. *Baldum in l.* 3. *C. de natur. liberis, Pelinum in cap. cauſam nu.* 3. *de Probat. Menoch. conſ.* 147. *nu.* 53.

Cum itaq; Catanẽſis Epiſcopus nedum obedientiam aut ſubiectionem nõ preſtiterit Antiſtiti Monteregal. verùm & illam preſtare neruoſiſſimè renuerit, Apoſtolicę Sedi immediatè ſubiectus Id quod ad annum 1591. iugiter inconcuſsè ſeruatum perhibent Apoſtolica documenta *Catanen. Decach. Chorda* 2. *Mod.* 3. *fol.* 97. à nobis exſcripta, & inferiùs recentanda, quibus Catanẽſis Eccleſia Apoſtolicę Sedi immediatè ſubiecta enunciatur: omninò concludendum ſequitur, Librum Pontificalem, appoſitamq; in eo deſcriptionem nihil Catanenſis Eccleſiæ iuribus obeſſe, nihil Monteregalenſi prodeſſe.

SE-

SECTIO V.

SEquitur Deciſio. *Tum ex eo quòd idem Lucius III. Epiſcopo Catanenſi . . . . interdixit vſum Pallij, ac tum Archiepiſcopus videbatur acquiſiſſe effectuationẽ ſubiectionis reſpectu iuris Metropolitani cap. ad ſupplicationem §. finali de renunciatione.*

Hic parumper ſiſtendum; ne capto veluti circuitu, aut declinatione modica corporis, illata aduerſus *Catan. Epiſcopum* tela vitabundi declinaſſe, aut hoſtilem impreſſionem eluſiſſe videamur. Ignoſcet tamen amicus lector, ſi per aduerſa omnia atq; obſtãtia eluctantes, circumſcriptos Excurſus noſtri fines aliquando tranſiliamus; nec enim aliter potuimus; vt vel ſic veritati conſona ſit veritas, & quęcumq; de *Sacri Pallij* vſu ex ſacra congeri poſſunt antiquitate, paucas contrahentes in chartas, vniuerſa ac ſingula pro *Catan. Eccleſiæ* iuribus ſtabilitate ſua ſubſiſtentia commonſtremus.

Initio igitur indubitatum aſſumpſerim, allegatum *tex. cap. ad ſupplicationem §. final. de Renunciat.* parum facere ad rem, ad quam vrgendam adducitur. Ideò ſiquidem Raguſienſi Antiſtiti fuit interdictus Pallij vſus, non quia ſuffraganeus erat Eboracenſi Archipræſuli, & multo minus quia ex Pallij interdictione ſuffraganeum audiebat, aut inde ſubiectionis vaſſallitium (vt ita dicam) neceſſario deducatur, id quod in controuerſiam modò venit, ac diſceptatur; eſſetque probandum. Sed quia Præſul ille Raguſienſi, cui præerat, Eccleſię renuncium dederat, quo caſu non poſſe Archiepiſcopum, etiam ſuffraganeo Epiſcopo permittente, Pallium deferre, quamuis Pontificalia exercere vbiq poſſit (ni Dignitati & Eccleſiæ pariter renunciaſſet) nullam habet iuris dubitationem; adeundus ideò *Maiolus de Irregularit. lib. 3. cap. 6. nu. 8. verſ. hinc fit. Durand. rational. diuin. Officiorum lib. 5. cap. 17. nu. 12. verſ. ſed ſi quis. Flaminius de Reſignat. lib. 1. queſt. 17. nu. 20. Marcus Anton. Genuenſ. in Praxi Archiep. Curiæ Neapol. cap. 70. nu. 16. in fine*. Verba tex. quò magis agnoſcantur adijciam.

Ad ſupplicationem Raguſienſis Archiepiſcopi, eum à cura, qua tenebatur Eccleſiæ Raguſienſi, duximus abſoluendum, eò quòd ibi non poterat ſecure morari: & ſi acceſſum haberet ad illam, mortis ſibi periculũ imminebat: & infra. Ne verò idem in vituperium miniſterij noſtri defectum in rebus temporalibus patiatur: mandamus, quatenus beneficium, quo de liberalitate Regia, ac conceſſione tua, in Epiſcopatu Cardeoli, & Eccleſia de Malebrou eiũ illi collatum, ad ſuſtentationem conſerues ipſius. Cui conceſſimus, vt in ipſo Epiſcopatu abſque vſu Pallij officium Epiſcopale valeat exercere, tibi tanquam Metropolitano reuerentiam & obedientiam impẽſurus. Ita Decratalis illa (eam ad rem quam vrgemus expendente *Proſpero Auguſtin. in addit. ad Stephan. Quarant. in ſum. Bullar. verb. Archiepiſcopi auctoritas. Auctor. 32. verſ. item Archiepiſcopus*, & nouiſſimè

ſſimè Barthol. Gauantus in Manuali Epiſcop. verb. Archiepiſcopus nu. 42. è cuius teſſera quid pro Monteregalenſi Eccleſia ſubinſeratur, plane non video.

Præmonendum quoq; reor; tres apud Eccleſiaſticos Scriptores ſtatui cauſas, cur Pallij geſtãdi iura Pontifex impertiret: prima erat ipſius Præſulis probitas, & virtus, quæ honorem illũ promereretur, id quod non obſcurè innuiſſe viſus eſt *D. Gregorius Epiſtola 5. Indict. 1 lib. 7.* & nos aliqua dicebamus §. 24. fol. 92. Altera fuit vetus deceſſorum Antiſtitum conſuetudo, qui in Eccleſia illa id ornamentum iugiter à Pontifice ſuſcepiſſent, vt vel ſic quod virtuti deerat in ſuperſtite Epiſcopo, id deceſſorum meritis pẽſaretur. Tertia tandem erat ipſius Eccleſiæ prærogatiua, & Sedis illius ſplendor. Quas omnes ac ſingulas geſtandi Pallij cauſas ad eruditionis ſpecimẽ pluribus exornat *Albertus Piccolus de Antiquo iure Eccleſiæ Siculæ cap. 9. &* 10. *par.* 1.

Triplicem porrò hanc Pallij geſtandi cauſam facultatemque penes *Catan. Eccleſiam*, eiuſque Præſules nunquam non excelluiſſe, ex ijs, quæ iam dicebam, innegabiliter euincitur. Et vt rebus punctim indicatis, capita eamus per ſingula. Paſtoralis ſollicitudinis exempla, Sanctitudo, probitas, dexeritas deniq; Præſulum, qui pro vario temporum ſtatu Catanenſi præfuerunt Eccleſiæ ab anno 700. adhæc vſque tempora, quonam ſteterint gradu, qua apud Pontifices, A Imperatores, Reges, alioſue magnates excelluerint virtutis opinione, referre non eſt neceſſe: percurrenda ideo quæ hoc Libello paſſim dicebam, ne ſerram eamdem aſſidue videar reciprocaſſe.

Catanenſis itẽ *Eccleſiæ* ſplendor ac pręrogatiua ſatis ſuo ſe prodit lumine, ab Apoſtolorum Principe per *D. Beryllum* primitus inſtitutæ. Eamdem ſub *D. Petri* protectione, ac Romanorũ Pontificũ B clientela ſuſceptam, Sediq; Apoſtolicæ immediatè ſubiectam, alienæ ſubiectionis neſciam, ſuo iure pręſtantem, Apoſtolica Diplomata ſuperiꝰ exſcripta, vel me tacente cõuincunt. Collatis ideò teſſeris dijudicare quiuis facilè poterit, num citra iniuriam Pallij geſtandi vſus *Catanenſium Præſuli* fuerit interdictus, quando & prædeceſſorum Antiſtitum C virtus, & priſca Catan. Eccleſiæ cõſuetudo, peruetuſta tandem, qua ad quingentos & ampliùs annos gemmabat, Metropolitica dignitas, ampliori illum honore dignum reddiderant. Ideoq; poſt eiectos è Sicilia Sarracenos ab *Alexandro III.* collatum fuiſſe Pallium legimus, vt vel ſic prærogatiuas, quas Barbarorum tyrannis è ſuo deturbarat gradu, Catan. Eccleſia recuperaret, & D quo ante Sarracenicam irruptionem Pallij honore decorabatur, iterum afficeretur, id quod ſcitus aduertit *Rocchus Pirrus in Meſſan. Eccleſiæ Notitia ad annum* 1166. *fol.* 317.

At inquies caſſabundo hæc fuiſſe excogitata conſilio, nihilue inde roboris aut firmitatis rei,

quæ in diſceptationem vertitur, accedere quando veteri quo *Pallij vſus* Metropoliticæ dignitatis argumentum in Præſulibus nequaquam fuerit, ſi credimus Emin. *Baronio tom. 5. ad annum 432. nu. 94.* pluribus id euincenti, *Pallij ſcil. prærogatiuam perſonale fuiſſe beneficium, non loci*, id quod pluribus exornant *Albertus Piccolus de Antiquo iure Eccleſiæ Siculæ, par. 2. cap. 9.* & *Rocchus Pirrus in Notit. Eccl. ſ. Meſſan. ad annum 603. fol. 290.* & iterum in *Notit. Syracuſ. ad annum 596. fol. 135.* caſſo igitur labore contendimus de locuſtis iſtis vincere poſſe gygātes.

At non ita fœliciter in nos cōtorta dixerim tela, quin faciliùs multò, imò & fœliciùs in aduerſarios retorqueri poſſe crediderim. Audi. Si Pallij geſtandi ius perſonale eſt beneficium, non loci, igitur ex interdicto *Leoni de Rauenna Catan. Epiſcopo* Pallij vſu nullum Catan. Eccleſiæ paratur præiudicium; ergo perſonalia ipſius Ep.ſcopi *Leonis*, non Epiſcopalis Eccleſiæ iura fuerūt imminuta; ergo non Eccleſia ſuo decidit gradu, ſed Antiſtes honore illo fuit orbatus. Corruat igitur oportet Archiepiſcopi illius prærogatiua tā labili ſuperinnixa fundamine, iam tum ſcil. in Catan. Eccleſiā ſubiectionis præeminentiam fuiſſe quæſitam, quando à *Rom. Pontifice* Catan. Epiſcopo ſacri Pallij vſus fuit interdictus. Hæc ſane mea argumentandi ratio ſuo, ni fallor, inceſſu ad veritatis tribunal ſe ſiſtit impauida.

Verùm quia de *Pallio*, eiuſque vſu non ſemel dicebamus, placuit in eruditorum gratiam aliquantulum euagari. *Pallium*, quo plenitudo Pontificalis officij deſignatur, eò quòd abſq; eo pleraque Preſules præſtare nō poſſent (ſingula hæc ex ordine recenſet *Azorius Inſtit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 34.*) Indumentum eſt, quod honoris gratia Romani Pontifices indulgere ſolent Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, ſiue Metropolitanis, & olim etiam Epiſcopis quibuſdam, qui ob id Palliati dicebantur; quo inter ſacrificandum, & certis alijs actibus, ſolemnibus item diebus, & alijs, iuxta cuiuslibet Eccleſiæ Priuilegia, vtuntur, de candida lana contextum, habens circulum humeros ſub collo cōſtrigentem, ac duas lineas pendentes, quarum altera poſt dorſum, altera progreditur ante pectus, quatuor item Cruces continens purpureas, vel, vt ego non ſemel obſeruaui, virides, ſcil. ante, & retro, à dextris, & à ſiniſtris.

Dicitur autem Pallium, eo quia ſuper omnia Pontificalia indumenta induatur: Pallia ſiquidem, auctore *Polluce lib. 7. cap. 3.* ſunt exteriores veſtes, quæ ſuper induuntur: cum itaq; ſuper omnia Epiſcopalia indumenta Pallium Archiepiſcopale induatur, non male Pallium appellatur, vt aduertit *Stephanus Durātus de Ritib. Cath. Eccleſ. lib. 2. cap. 9. nu. 43.*

Porro Pallij origo antiquiſſima eſt. Auctor namq; Rituum, ſiue Ceremon. *S. R. E. lib. 1. tit. 10. cap. 5.* ex *D. Maximo homil. de*

veſte Sacerdotali, & *Euſebio Cæſarienſi ſermone de Epiphania*, docet in lege gratiæ antiquum eſſe illud noſtrum Ephod, ideſt Pallium, quod a Lino poſt *D. Petrum* ſecundo Rom. Pontifice inſtitutum eſt, & in ſingulare poteſtatis priuilegium noſtris Præſulibus datum. *Rupertus Tuitienſis lib. 2. de Diuinis officijs cap. 27.* ſcriptum reliquit, Maternum à D. Petro miſſum Treuerenſi Eccleſiæ hæreditatem Pallij ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe.

Hoc autem indumentum, in quo, vt dicebam, eſt plenitudo Pontificalis officij, de Corpore D. Petri dicitur aſſumi: id quod monuit ſummus Pontifex relatus *in cap. ſignificaſti 48. §. finali de Electione*: cuius aſſertionis duplicem apud Eccleſiaſticos Scriptores aſſignatam obſeruo rationem. Alteram, eò quòd à ſolo Rom. Pontifice *B. Petri* ſucceſſore ſit accipiendum; vt præ ceteris tradidere *Lelius Zecchius de Republica Eccleſiaſtica tit. de ſtatu Illuſtriſſimorũ Patriarcharum num. 5. Vaſconcellos in Harmonia Rubricarum ſub tit de Auctorit. & vſu Pallij*. Alteram, quia ſuper altari, vbi *D. Petri* corpus eſſet, eius benedictio conſecratioq; de more perageretur. ita *Gloſ. in d. cap. ſignificaſti in verb. corpore aſſumitur de Electione*, cuius hæc verba. *Sed qualiter aſſumitur de corpore B. Petri? ſic intelligitur, quòd de corpore B. Petri &c. Pallium benedicitur & conſecratur à Papa ſuper altare B. Petri, & ibi ponitur, & ille, qui debet vti Pallio, recipit ipſum de Altari, ſi eſt praeſens, vel alius pro ipſo ſi eſt abſens, & ſic aſſumitur de corpore B. Petri*: referunt, & ſecuntur *Guido Pancirol. in Theſauro variar. lection. lib. 1. cap. 20. Stephanus Durant. de Ritibus Eccleſiæ lib. 2. cap. 9. nu. 43. Ruſeus de Praeminẽtia Archiepiſc. dignitatis priuil. 21. verſ. & ſciendum. Barboſa in collectan. ad allegatum cap. ſignificaſti de electione nu. 6. Rubeus in nouo Rationali diuin. officior. lib. 1. cap. 80. verſ. Pallium dicitur ſumi*.

Peti autem à Præſulibus conſueuit Palliũ ſub hac forma verborum, vt *Azorius* laudatus enarrat. *Ego N. electus Eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius, inſtantiſſimè peto mihi tradi & aſſignari Pallium de corpore S. Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis officij*. Traditur autem ſub hac forma verborum. *Ad honorem Dei omnipotẽtis, & B. Mariæ ſemper Virginis, & Beatorum Petri & Pauli N. & Eccleſiæ Romanæ, & Eccleſiæ N. tibi commiſſæ, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri ſumptum in plenitudinem Pontificalis dignitatis, vt vtaris eo intra Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in Priuilegijs Eccleſiæ tuæ conceſſis à Romana Eccleſia*. Ita Gloſſ. in *cap. ad honorem 4. de Auctoritate & vſu Pallij, Azorius Inſtit. Moral. par. 2. lib. 3. cap. 34. quæſt. 2. Rubeus dicto cap. 80. verſ. pallium*.

De Pallio eleganter ſcripſit *Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 136. ad Herminium Comitem*, vbi ſentit Chriſti typum & imaginem eſſe Epiſcopum, *ex eo*, inquit, *quòd cum amiculum circa humeros geſtet non ex lino, ſed ex lana contextum, ſignificat ſe imitatorem Chriſti ma-*

gni

gni illius Paſtoris, qui ouem aberrãtem quæſiuit, & inuenit, inuentãq; humeris ſuſtulit. Hiſ ſimilia cumulant *Gretſerus in Codinũ* loquẽs de Omophorio *lib.1 comment. cap.1. Durandus Rational. diuin. officiorũ lib. 3. cap. 17. Rubeus eodem tract. cap. 80.* & Auctores omnes, quos lata manu cumulat *Barboſa in collectan. ad Rubricam de Auctoritate & vſu Pallij*, ad quos te delegatum ſcias amice lector, fontem, quo ſitim expleas, quoue fluenta propinare vberiùs valeas, indigitaſſe ſit ſatis.

SECTIO VI.

SEd iam ab diuerticulo regrediamur ad viam. Ergo Deciſio. *Tum ex iuramento fidelitatis præſtito Archiepiſcopo Montis regalis ab Epiſcopo Catanienſi tanquã ſuffraganeo; huiuſmodi enim iuramentũ probat ſubiectionis effectuationem, cap. ſi diligenti, vbi hoc notant Canoniſta, de Præſcriptionibus. Socinus ſenior conſ.187.nu.12.lib.2.*

Hic paulìſper hærendum, vt ampullioſa hæc atq; euanida Iuramenta, quibus Catanenſes Epiſcopos ſanctè ſe obſtrinxiſſe Patres iſti ex veriſſimo ſupponunt, in bullas euanuiſſe ineuitabiliter oſtendam. Initiò igitur veriſſimum aſſumpſerim & innegabile, Libellum de Monteregalenſi Eccleſia *Aloyſij Lelli* nomine vulgatum ab ipſomet *Ludou. Card. de Torres Archiepiſcopo Montis regalis* confectum eſſe & elaboratum, vt vel ſic Eccleſiæ ſuæ prærogatiuas licentiùs extolleret, in ſuiq; ipſius laudibus liberiùs ſpatiaretur. Fidem adhibeas velim *Roccho Pirro in illius Eccleſiæ Notitia ad annum 1607. fol.435.* hæc ſcribenti. *Ab eo confectum eſſe Librum de Monteregalenſi Eccleſia plurimi ferunt, quem edidit Aloyſius Lellus, qui ei à ſecretis erat.* Et iterum in Præfatione, quam ſuis Sicilienſiũ Eccleſiarũ Notitijs præmiſit, hęc ad rem inquienti. *In Bibliotheca Monteregalenſi Fazelli liber eſt, in cuius ora plura Antiſtitum Sicilienſium nomina ſunt adſcripta: ea in ordinem digeſſit Ludouicus Torres Monteregalenſis Cardinalis & Archiepiſcopus; nam fecit is, vt ſæpe plura euoluerẽtur Romæ tabularia, dum opus illud elaborabat, quod nomine IO. ALOYSII LELLI editum eſt de Monteregalenſi Eccleſia.*

Quin Ludouicus ipſe Hiſtoriã hanc ex antiquis monumẽtis excerptam (eum ad id impellente altero Ludouico Torres etiam Monteregalenſi Archipræſule eius patruo, quando ſacra illa præfectura potiebatur) ediditſe teſtatur in Epiſtola nuncupatoria ad Andream Spinolam, quã Libello de *Reædificatione Monaſterij S. Martini* præmiſit fol.2. hæc inquiens. *Antiqua Italiæ tabularia multa euolui, ac Diplomata apud omnes ferè Prouinciæ huius Eccleſias aſſeruata inſpexi, vt Ludouici Montis Regalis collegæ tui, & patrui mei mandatum quàmdiligentiſſimè exequerer. Is enim præcepit mihi, vt quidquid ad nobiliſſimæ, cui præſt, ECCLESIÆ DECVS ET GLORIAM pertinet, ex vetuſtatis monumentis colligerem.*

Hunc autem Libellum in pluribus auctum, in multis diminutum

tum, vt quoquo posset iure Ecclesiæ suę iura stabiliret, suæq; iurisdictionis confinia peramplius extenderet, aduertit laudatus *Pirrus in Notit. 1. Monasterij S. Martini Panorm. fol. 167. & 168.* hæc inquiens. *Seruatur adhuc integer in Archivio S. Martini primæuus in pergameno conscriptus à quodam pio viro illeus aui scriptore Codex de Reædificatione S. Martini de Scalis Panorm. de quo ita testatur Ludouicus Torres tunc vtriusq; Signaturæ Referendarius, post Archiep. Montereg. Antiqua tabularia euolui &c. Eum verò, quem Romæ anno 1587. & dein anno 1596. imprimendum voluit Libellum, in multis vel auctum, vel diminutum, ad propriæ suæ Ecclesiæ Montregalensis firmandam iurisdictionem, suo primario exemplari M. S. non correspõdere facile hodie prospiciet quispiam.* Insincera ideo, nullamque prorsus fidem dictis factura, quæ ex huius libelli prodierunt officina, nemo sapiens dubitabit.

His ita prænotatis, tria per Aduersarium excogitata sunt iuramenta fidelitatis. Alterum à *Leone de Rauenna* anno 1195. præstitum, quod ita ex eodem *Lello*, siue rectiùs, & veriùs Ludouico, recitat *Roccbus Pirrus in nostræ Catan. Ecclesiæ Notitia fol. 30. & 31.* vtriusque subscribens erroribus.

Leo iste fuit primus, qui sub Henrico VI. Imper. anno circiter 1195. se iuramento obstrinxit Caro Archiepiscopo Monteregalensi vti suo Metropolitæ; eius concepta verba, quæ de more vsurpabat ad fidei iuramẽtum erga Metropolitanum, nos accepimus ex Aloysio Lello in Histor. Montis Regalis part. 2. fol. 33. & retulimus in Notit. Monteregalensi ad eum annum fol. 415.

Alterum consignat in annum 1279. *Angelo Boccamatio* Catan. Præsuli id adscribens, quod ex eodem *Lello* refert prætactus *Pirrus hic fol. 37.* hæc inquiens. *Angelus Boccamaza Romanus Ioannis Boccamazæ Cardinalis, atq; Archiepisc. Montis Regalis in Sicilia germanus frater ex familia Sabellorũ, auctoritate Nicolai III. Sũmi Pontificis Catanensis Ecclesiæ clauum tenebat; cum a sancte Archiepiscopo Monteregalensi Ioanne prædicto illius Ecclesiæ Metropolitanó, Monachorum Capitulo anno 1279. se fidelitatis iuramento adstrinxit, vt notat Lellus in Histor. Montis Regalis part. 2. fol. 57.*

Tertium denique ad annum 1331. coniectatur, quod, vt & reliqua, refert ex eodem Lello *Pirrus hic fol. 39.* qui vbi de *Leonardo de Fliseo* Catan. Episcopo sermonem absoluit, ita ad rem cõcludit. *Obijt tandem Ianuae die 21. Martij ann. 1331. Fliscus. Tunc Monachorum Canonichorum Capitulum suum elegit Episcopum Angelum Saccanum, electionemq; confirmandam ad Metropolitanum Archiepiscopum Monteregalensem transmisit, apud Lellum part. 2. fol. 72. & 83.* Confecta igitur hæc subiectionis Iuramenta à *Catanen. Episcopis* Monteregalensi Archipræsuli præstita; in annos 1195. 1279. & 1331. consignantur, vt vidisti.

Atqui *Clementis VI.* Rescripto dato Auenione anno 1343. quod integrum supra exscribebam, *Catanẽsis Ecclesiae* exẽptio aduersus Mon-

Monteregalēſem acclamata eſt, tum Archiepiſcopi temeritas cōpreſſa, nedum acriter obiurgata, & demum quæ in exemptionis diſpendium fuerant attentata, conſultò ſcienterq; per Pontificē reuocata. Precaria igitur ſit Iuramentorum fides & auctoritas neceſſe eſt: eaq; vel nunquā præſtita, vel ſponte conficta velint nolint fateri cogūtur aduerſarij: *Magna eſt ueritatis vis*, aiebat Tullius, *quae contra hominum ingenia calliditatem, ac ſolertiam facilè ſe per ſeipſam defendit*.

Quod verò laudatus Lellus, ſiue veriùs Ludouicus infarcit ſubiectionis iuramentum à Martiali Catan. Epiſcopo præſtitū Guillelmo Monaſtrio Mōteregal. Præſuli vti Metropolitæ, Vrbano V. Pont. vrgente, quod & refert *Pirrus in illius Eccleſiae Notit. ad ann.* 1370. impugnatore non indiget, relatorē dūtaxat exquirit.

Audi. Guillelmus ille Archipræſul Epiſcopum vix retulit, ea ſanè prouincia indignus, Eccleſiæ ſuæ iura ac bona omnia diſſipauit, ventri ac veneri ſemper indulgens; eius tandem deſidia factum eſt, vt Monteregalenſe cœnobium regularibus primùm inſtitutis, tum religioſis viris fuerit deſtitutum; hinc *Gregorius XI.* qui proximus *Vrbano* ſucceſſerat, Guillelmi ſocordiam ab experto cognoſcens (erat Guillelmus Gregorio gentilis, vt aduertit *Pirrus in Notit. Meſſan. fol.* 346.) Martiali Catan. Epiſcopo præſcripſit *Auenione* 10. *Decembris* 1371. vt Cœnobium illud monachis viduatum, monaſticis item diſciplinis deſtitutū priſtinæ reſtitueret dignitati, ac viginti Monachos è *D. Nicolai*, ac *S. Mariae de Licodia* Monaſterijs accerſitos illic ſiſteret, regularem denique diſciplinam *Guillelmi* inertia proſcriptā poſtliminio reſtitueret. Id quod laudatus *Pirrus Not. 1. Abbat. S. Martini fol.* 175. edixerat. *Haud ſecus idem Gregorius XI. die* 20. *Decēbr. ann.* 1371. *Martiali Epiſcopo Cat. praeſcripſit, vt Apoſtolica auctoritate ſuffultus, quoniam in Monteregalēſi Cœnobio nec vnus monachus reliquus fuiſſet, Guillelmi Praeſulis deſidia, ex alijs Siculis Cœnobijs S. Nicolai de Arena, S. Mariae de Licodia ſuae Diœceſis &c.* 20. *deligeret monachos &c.* Errore tandem lapſus turpiſſimo, ac ſchiſmate implicatus, ab Epiſcopali ſpecula deijcitur, amandaturq; Fides ſit eiſdem *Lello*, & *Pirro* illius facinora ſcitè promentibus. Gratis igitur hanc ſubiectionis contentionem dixeris attētatam ab Archiepiſcopo paſtoralis vigilantiæ ſollicitudiniſq; penitus experte, quiue Eccleſiæ ſuę iura ſæua cum dilapidatione depompauit, bona omnia perdidit, Eccleſiaſticam diſciplinam abiecit, Epiſcopalis tandem officij maieſtatem conſpurcauit, tanto muneri impar & inidoneus: quis hæc à *Guillelmo* expetat aut expectet? quis in animum inducat ſuum, vt à *Martiali* Catanenſi Antiſtite viro prudentia ſummo, religione præcipuo, ad collapſa quæque repiranda dexterrimo, Eccleſiæ iuæ iurium pugnaciſſimo defenſore, ſummis quibuſq; Præſulibus iure coæquando, ſubiectionis exege-

rit iuramentum? Nonnè fabellę propiùs accedere videtur, *Martialem*, qui Eccleſiaſticæ diſciplinam à Monteregal. cænobio Archiepiſcopi deſidia lõgiùs amãdatam, illi reſtituendam curauit, ac quæ *Guillelmo* deerant, ſagaciter adimpleuit, iureiurãdo ſe aſtrinxiſſe, eumq; Metropolitam agnouiſſe, Eccleſiamue ſuã illi ſubieciſſe? aptiori ſanè penicillo huic ſcenæ ſeruiendum fuerat, vt fabellæ fides cõciliaretur.

Hæc, quamuis ad veritatem hanc euincendam ſatis ſuperque factura nemo non viderit, dabo tamen multò maiora, quæ aſſertam ſubiectionem efficaciter eneruent. Erunt ea, ipſiſſima Romanorum Pontificum aſſerta (à quibus reſilire nefas) Catanenſem Eccleſiam Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectam neruoſius euincentia: ſingula in ordinem compellabimus, ne ſumũ pro fuco venditaſſe ſubdubites.

Rem in primis obſignat *Eugenius IV.* dato Diplomate Romæ apud S. Petrum XI. Kalendas Decẽbris 1431. Pont. ſui anno 1. Hic *Ioanni de Primis* Catan. Eccleſiæ ſacras Infulas vel conferens, vel collatas inſtituens, ſic ait,

EVGENIVS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio Ioanni electo Catanienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Diuina diſponente clementia, cuius inſcrutabili altitudine ordinationem ſuſcipiũt vniuerſa, in Apoſtolicæ Sedis ſpecula, licèt immeriti, conſtituti, ad vniuerſas orbis Eccleſias, præſertim Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubiectas aciem noſtræ cõſiderationis extendimus. *Et Paulò poſt*. Dudum ſiquidem b. m. Ioanne Epiſcopo Catanienſe regimini Catanienſis Eccleſiæ Romanæ Sedi immediatè ſubiectæ ord. S. Benedicti præſidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum ea vacare contigerit, per Apoſtolicæ Sedis prouidentiam vtilem & idoneam prouidere perſonam &c.

Idipſum affirmat *PIVS V.* in Diplomate, quo *Antonium Pharaonium* è Cephaludenſi, cui tunc præerat, ad Catanienſem euexit Eccleſiam, dato Romæ 5. Idus Februarij 1568. hęc inquiẽs.

Cum itaq; Nos hodie te à vinculo, quo Eccleſiæ Cephaludenſi, cui præeſſe dignoſceris, tenèris, de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſoluere, & ad Eccleſiam Catanienſem Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectam, ad præſens certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutã, de ſimili conſilio Apoſtolica auctoritate trãſferre &c.

Idipſum replicat laudatus Pontifex in alio Reſcripto ad *Meſſan. Antiſtitem* anno 1570. vt de controuerſijs inter *Antonium* Epiſcopum, quem dicebamus, & Canonicos obortis cognoſceret, & quid iuris eſſet, definiret. Verba ſcitus omitto, eadem enim ſunt ac ſuperius recitata.

His paria dixit *GREGORIVS XIII.* in diplomate, quo *Ioannem Horozco & Arze* ad Catan. Eccleſiam euectum, Apoſtolicę cõfirmationis munimine inſtituit, dato

dato *Romæ apud S. Marcum* 3. *Idus Auguſti* 1574. his verbis. Sanè Eccleſia Catanienſis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, quæ de Iure patronatus chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, nomine Regni Siciliæ &c.

Nec abſimilia eloquitur in Bulla abſolutionis à vinculo iuramenti, quo Ioannes iſte Syracuſanæ Eccleſiæ, cui præerat, obſtringebatur, eodē die emanata. Cum itaq; nos (inquit Pontifex) hodie te à vinculo, quo Eccleſiæ Syracuſanæ, cui præeſſe dignoſceris, teneris, de Fratrum noſtrorū conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſoluere, & ad Eccleſiam Catanienſem Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectam, tunc per obitum b. m. Antonij olim Epiſcopi Catan. extra Romanam Curiam defuncti, Paſtoris ſolatio deſtitutam, de ſimili fratrum noſtrorum conſilio tranſtulimus &c.

Veritatem hanc iterum obſignat Laudatus *Gregorius* in Reſcripti ſerie, qua *Vincentium de Cultellis* in patria Catan. Cathedra inſtituit, dato Romæ apud *S. Petrum* 3. *Idus Septembris* 1577. ita ſententiam proferens. Sanè Eccleſia Catanienſis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, quę de Iure patronatus Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Hiſpaniarū Regis Catholici &c.

Et tandem in Apoſtolicis literis, quas ad Cathedralis Eccleſiæ Capitulum dedit, hæc ait.

Hodie Eccleſiæ veſtræ Catanienſi Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectæ, tunc per obitum b. m. Ioannis olim Epiſcopi Catan. extra Romanam Curiam defuncti, Paſtoris ſolatio deſtitutę, de perſona dilecti filij Vincentij electi Catan. ob ſuorū exigentiam meritorum Apoſtolica auctoritate Prouidimus &c.

Idipſum expreſſit *Sixtus V.* in Apoſtolico Reſcripto, quo *Ioannē Corrionerum* eidem Catan. Eccleſiæ præfecit Epiſcopum, dato *Romæ pridie Nonas martij* 1588. ab illis exſcribendis conſultus abſtineo, eadem namque leguntur, quæ in alijs Bullatis diplomatibus exhibentur.

Et tandem *Gregorius XIV.* in Apoſtolica Bulla, qua ſuper Epiſcopalis Menſæ fructibus impoſitam aureorum 100. penſionem *Nicolao Formoſello* exſoluendam præſcripſit dat. *Romæ* 6. *Idus Decembris* 1590. hæc præ cæteris ad rem, quam intendimus, enunciat. *Dudum ſiquidem felicis recordationis Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, qui Eccleſiæ Catanienſi Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectæ, quæ de Iure patronatus chariſſimi in Chriſto filij noſtri, tunc fuit, Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici &c.*

Noſti iam, quisquis recenſitas pontificiorum Diplomatum cenſiones expenderis, num ſubiectio effectum fuerit ſortita? num ſubiectionis iuramenta pro Monteregal. Archiepiſcopo ſteterint? an potius per aduerſariorū lubētiam gratis conficta ſponte ſua in bullas euanuerint? ſolidè ſubſiſtente in ſe *Catan. Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubiectæ* prærogatiua.

SECTIO VII.

SEd iam alia Decisionis fundamẽta percurramus. *Tum ex alijs deductis in alia decisione in hac causa facta die 25. 8bris 1596. & consequenter Archiepiscopus de iure communi haberet fundatam suam intentionem ad exercendam in Ecclesiam Catanien sem sibi suffraganeam ius sibi competens ratione prædictæ subiectionis; nec poterat super hac prætensione tã claris fundamentis subnixa sibi iustitia denegari.*

Et quidem singula quæque in alia Decisione per eamdem Rotam discussa, verbatim in Decisione ista continentur, ac replicantur: id quod apud laudatum *Marchesanum* legere obuium est ac promptum; notioraque hæc sunt, quam vt sæpius repetere sit necesse.

SECTIO VIII.

RVrsus Decisio. *Supradictis accedebant aliorum Pontificum enunciatiuæ, quibus eadem subiectio firmiùs roborari videbatur. Nam Clemens VIII. Prouinciam Ecclesiæ Metropolitanæ Montis Regalis augens, eidem assignauit Ecclesiam Syracusanam in suffraganeam, eo modo quo Ecclesia Catanien sis sibi fuerat subiecta; & tamen subiectio respectu Ecclesiæ Syracusanæ effectum sortita fuerat.*

Nouissima hęc *Clementis VIII.* sanctio Catan. Ecclesiæ iura depompare nõ potest. Primo, quia contra Ius, nullam continens derogationẽ Apostolici Priuilegij, A quo Catan. Ecclesia ab Alexandro III. fuerat insignita: id quod, vel me tacente, conuincunt summorum Pontificum sanctiones:

Secundò, quia Ludouico Archipresule, tantum informante emanata, inauditis Catan. Antistitis Iuribus, vt ex allatæ Decisionis serie haud dubium edocemur: circumuentus ideo Pontifex non cõcedenda concessit, nec describẽda descripsit, ad tex. *cap. cum in iuuentute 12. 9. cæterum de Purgat. canon. can. importuna de Pœnitentia dist. 1. cap. 2. de Præbendis lib. 6. Gonzal. z. ad reg. 8. Cancellariæ glos. 15. nu. 31.* & consequẽter Catan. Ecclesiæ iura exemptionẽq; temerasse, aut illis præiudicium intulisse dicendus non est. B

Sat grauiter assertionẽ nostrã euincit vulgata Iuris conclusio, Pontificem potius circumuentũ præsumi, quam vt alteri præiudicium, quantumuis minimum, inferre voluerit *cap. super eo 15. de officio delegati, Tiraquellus de iudicio in rebus exiguis verſ. 61. fol. 42.* quamuis in Rescripto inserta legeretur clausula *De plenitudine potestatis*, & alia, *Ex certa scientia*, consulendus ideo *Augustinus Barbosa*, quem pro omnibus sisto, *in collect. ad d. cap. super eo nu. 3. de officio deleg. & in Tractatu de Dictionib. & clausul. clauſ. 19. nu. 10.* & iterum *clauſ. 25. num. 21.* C D

Tertiò. Esto ritè processerit *Clementis* sanctio, quia tamen ex ea *Catan. Ecclesiæ* læditur status, vt dicebam, restringi ideò debet strictèq; interpetrari, vt eatenus illam Monte regalensi subijcere voluerit Pontifex, quatenus verè

fuerit

fuerit ſuffraganea ac ſubiecta, & nõ ſecus, ad tradita *in cap. ſuper eo, & ibidẽ Barboſ. n. 4. de officio delegati, Gonzal. ad reg. 8. Cancell. §. 5. proæm. nu. 9.* Cum itaque Catan. Eccleſia ad *Clementis* vſque tempora iugiter Romanæ Eccleſiæ fuerit immediatè ſubiecta, vt dicebam: neutiquam dicendum eſt ex aſſerta Pontificis deſignatione *Catan. Eccleſiæ* parari præiudicium: licèt enim Pontifex cunctarum, quæ in Orbe ſunt, Eccleſiarum dominus ſit, ac diſpẽſator, &, vt inquit *Pariſius* poſt Baldũ *cõſil. 5. n. 71. lib. 4.* ſit omnia, & ſuper omnia: abſoluta nihilominus illa poteſtas intelligitur in ædificationem, non in deſtructionem, iuxta *D. Pauli* monitũ *2. Corinth. cap. 10.* accipientes *poteſtatem, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram.* Et iterũ cap. *13. vt non duriùs agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.*

Quartò tandem verba illa (eo modo) quibus concepta aſſeritur Clementis ſanctio, ſunt præſuppoſitiua, vt patet: ſupponunt ſiquidem Catanenſem Eccleſiam fuiſſe Monteregalenſi ſubiectam (quæ tamen libera ſemper fuit) & ideo diſpoſitionem non inducunt, *Rot. Rom. deciſ. 1. de Procur. in antiquis, Menoch. conſil. 177. nu. 9.* Conſectarium igitur euadit, Clementis deſignationem Catanenſis Eccleſiæ iura labefactare haud quidẽ potuiſſe, quin, ea parum obſiſtẽte, vegetior proſiliat & illuſtrior.

A

B

C

D

SECTIO IX.

ETiam Deciſio. *Rurſus Bonifacius Papa IX. quadam conſtitutione enunciabat Archiepiſcopũ Montis Regalis tanquam Metropolitanum, ac iure deuolutionis contuliſſe beneficium quoddam S. Agathæ Diœceſis Catanienſis.*

Hic Rotam aduerſus Rotam rotare nemo nõ dixerit, qui Deciſionis noſtræ verba verſ. neq; obſtabãt, perpenderit: & quidẽ enunciatiua iſta Bonifacij tanquam vnica, & directo contraria literis Alexandri III. Eugenij IV. Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. & Gregorij XIV. ſpernenda eſt & non attendenda, *Rota Rom. apud Ludouiſ. deciſ. 77. nu. 7. & deciſ. 407. nu. 6.*

Secundò, quia Pontifex non ſe fundabat in ea enunciatiua, vt ex ſe conſtat, & ideò non poteſt ex ea induci ſubiectio ad fauorem Eccleſiæ Montis regalis, *Roman. conſ. 180. nu. 3. & 4. Innocent. in cap. inter dilectos nu. 6. verſ. hæc verba. de fide inſtrumentorum.*

Tertiò, talis atteſtatio eſt de facto alieno, vt patet, & ideo nullam facit probationem, etiã ſi Papa in eo ſe fundet, *Pariſius conſil. 15. nu. 3. vol. 4.* vbi ſubdit Doctores omnes ita tenere, *Gabriel commun. concl. lib. 1. tit. de Probation. concl. 2. nu. 50.*

Quartò tandem; quia enunciatiuæ Principis non creditur quoad præiudicium tertij, *Matrill. de Magiſtratib. lib. 3. cap. 10. nu. 17. & 18.* Careat ergo vi ſua laudata *Bonifacij* enũciatiua neceſſe eſt.

Hæc ad elidendum argumenti huius robur, quod ex *Bonifacij IX.* enunciatiua deſumi videbatur, adduxiſſe ſit ſatis; cęterum non immeritò, nec iniuria poſſet in dubium refricari, num aſſerta Archiepiſcopi collatio effectum verè fuerit ſortita? num deuolutio hæc ritè proceſſerit, ſuoq; inceſſerit gradu, an potius per ſaltum, & ab Archiepiſcopo malis artibus vſurpata, vt vel ſic Metropolitica iura ſibi adſciſceret, vendicaretque? num deniq; deuolutio iſta Epiſcopo in Cathedra ſedente obuenerit, an potius Epiſcopali ſede vacante, qua perdurante nihil innouandum explorati iuris eſt: quæ omnia altiſſima caligine inuoluta, neque ſatis quæ vera forent dignoſcere poſſumus aut dijudicare; ſingula ideò, donec diligentius aliquid exploratum fuerit, lectoris iudicio ac lubētiæ ſunt relinquenda.

SECTIO X.

ITerum Deciſio. *Clemens præterea VII. literas prouiſionis Epiſcopatus Cataniēſis dirigebat Archiepiſcopo Montis Regalis, tanquā illius Metropolitano, & in eis ſimiliter enunciabat Eccleſiam Cataniēſem illi ſuffraganeam.*

Verùm enim verò *Clemēs VII.* anno 1524. Pontifex renũciatus, quique ad annum vſq; 1534. Pontificatum protraxit, die 25. Septembris viam vniuerſæ carnis ingreſſus, nullum *Catanenſi Eccleſiæ* præfecit Epiſcopum, niſi vnum *Marinum Caracciolum S.R.E. Cardinalem*, qui Pontifice ipſo ac
A Rege indulgentibus, reſeruato ſibi, vt dicunt, acceſſu, & receſſu, primùm *Scipioni* fratri anno 1525. quo defuncto, iterum in gratiā *Aloyſii* nepotis eo Præſulatu ſe abdicauit anno 1529. Atqui in Eccleſiæ noſtræ Tabularijs ac Regiſtris *Apoſtolicas* enarratarum Prouiſionum literas ſemel, iterum, ac ſæpius perlegi, luſtraui, expēdi, appicta tamen verba per *Rotalem* hanc deciſionem
B enunciata nequaquam offendere licuit, niſi res toties obuerſata vel legentis oculos effugerit, vel ego lippientibus oculis ſim, qui tamen ſatis acutè vident, nec ſenio caligant, aut indiligentia laborant, & Codicum fidem appello.

Argumentum hoc vtpotè negatiuum parum ſibi ipſi cōſtare facilè quiſpiam dixerit; altiora ideò dabo, ſanctius fidem dictis
C factura. Sint in Apoſtolicis hiſce literis verba illa; quia tamē ſunt narratiua, & ſuper contingentia facti emanata, ideò diſpoſitionē non inducunt, nec ex eis arguere licitum eſt: ita *Bernard. regul.* 781. *Guttierrez practic. quæſt. lib.* 3. *quæſt.* 17. *nu.* 61. *ad* id expenſi per *Auguſtinum Barboſam in collect. ad cap. auditis* 29. *nu.* 9. *de electione*.

Eſtò tandem *Clementis* ſanctio talis audiat, qualis per Rotalem
D hanc deciſionem aſſumitur; adhuc tamen aduerſus *Catan. Eccleſiam* nil inde deduci poſſe nemo non viderit, qui tot Romanorũ Pontificum cenſiones perpenderit, quot toties exſcribebā, nempe *Pij V. Gregorij XIII. Sixti V.* & tandem *Gregorij XIV.* qui poſt Clementē VII. *in Petri* Cathedra

con-

conſecutis temporibus conſedere, quiue Catan. Eccleſiam *Romana* immediatè ſubiectam edixerunt, aſſeritarunt. Corruat igitur oportet Clementis aſſertio poſteriorum Rom. Pontificũ eneruata cuniculis: tum quia vltima derogant primis, *ad tex. l. pacta nouiſſima 12. C. de Pactis, Decius conſil. 445. nu. 10.* & poſterior ſcriptura ſemper attenditur, *l. tutor datus 8. in fine.* ibi. *nouiſſimam ſcripturam eſſe ſpectandam ff. de tutelis.* Quod citra vulnus & ictum procedit, quãdo poſteriora prioribus contradicunt (prout in caſu noſtro) & ſunt inuicẽ pugnantia; vel ſecunda diſpoſitio facta eſt ex interuallo, vt concludit *Decius in d. l. pacta nouiſſima nu. 4. & 5. C. de Pactis*, id extendens in contractibus, inſtrumentis, ſtatutis, verbis ſententiæ, poſitionibus, ſcripturis, & ſimilibus, refert & ſequitur *Gratian. diſcept. 290. nu. 24. tom. 2.* Tum quia diſpoſitio Principis poſterior expreſſe derogat priori, etiam ſi de ea expreſſe mentionẽ nõ faciat. *Felinus, Ripa, Gonzalez, Menochius* & alij, quos ſequendo cumulat *Gratianus diſcept. 940. nu. 37. to. 5.*

SECTIO XI.

Iam ad Deciſionem. *Quod ipſum & Pium V. etiam feciſſe apparebat ex iuribus in hac propoſitione adductis.*

Verùm *Pius V.* nedum aduerſus Catanenſẽ Eccleſiã *Clementi VII.* non ſubſcripſit, verùm & pro illa validiſſima dedit ſuffragia, vt vidiſti, quæ ne ab aliquo negata aſſertionis noſtræ veritatem perturbent, exſcribenda denuo erunt, & ad examen vocanda: ſic etenim ait in Diplomate, quo *Antonium Pharaonium* è Cephaludenſi Eccleſia ad Catanenſem euexit, dato *Romæ 5. Idus Februarij 1569.* Cum itaque nos hodie te à vinculo, quo Eccleſiæ Cephaludenſi, cui præeſſe dignoſceris, tenèris, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſoluere, & ad Eccleſiam Catanienſem Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectã, ad præſens certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutam, de ſimili cõſilio Apoſtolica auctoritate trãſferre, &c,

Id ipſum repetit laudatus Põtifex in Apoſtolico Reſcripto, quod ad *Meſſanenſem Archiepiſcopum* exſcripſit anno 1570. vt obortas inter prætactum *Antonium Epiſcopum* ex vna, & Catan. Eccleſię Canonicos ex alia, controuerſias cognoſceret, ſeruatis tãdem ſeruandis ad Iuris tramites ſententiam ferret.

SECTIO XII.

Sequitur Deciſio. *Neque obſtabant in cõtrarium allegata pro Epiſcopo Catanienſi, & primùm enũciatiua contenta in literis Eugenij IV. in qua Eccleſia Catanienſis enũciatur Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta. Quia reſpondebatur, eam enunciatiuam tanquam vnicam, & directo contrariam literis ſubiectionis Lucij III. fuiſſe ſpernendã, & maximè quia emanauerat ad inſtantiam Capituli:* & *Papa in ea nõ*

ſe ſun-

ſe fundauerat, vnde non poterat ex ea induci exemptio Metropolitana Montis regalis, & ſubiectio ad fauorem Sedis Apoſtolicæ, Roman. conſ. 180. nu. 3. & 4. Innocent. in cap. inter dilectos nu. 6. verſ. hæc verba de fide inſtrumentorum, Gabriel de Probat. concl. 2. nu. 50. verſ. & propterea: & conſequenter eum huiuſmodi literæ Eugenij nõ diſponerent, ſed ſolum enunciarent, non poterãt deſeruire pro titulo putatiuo, Felinus in cap. de quarta nu. 35. verſ. 2. cõſidera, de Præſcriptionib. Verallus deciſ. 361. nu. 4. parte 2.

Initiò igitur à vero deuium eſt Deciſionis aſſumptum, Enunciatiuam nempe, qua *Catan. Eccleſia* Romanæ immediatè ſubiecta acclamatur, vnicam fore, & directò cõtrariam literis ſubiectionis à *Lucio III.* emanatis: plurimæ ſiquidem pro Catan. Eccleſiæ exemptione ſtant Summorũ rum Pontificum enunciatiuæ, vt vidiſti, *Clementis* ſcil. *VI. Eugenij IV. Pij V. Gregorij XIII. Sixti V.* & tandem *Gregorij XIV.* & Rota eadẽ vel inuita fatetur in ſuperiùs exſcripta Deciſione fol. 102.

Nec præterea directò contraria literis *Lucij III.* audire debet, quæ *Clementis VI.* ſanctione vallata ac ſtabilita robur obtinet & firmitatem, nec adeò deferendũ eſt *Lucij* literis, quæ nunquam effectum habuere, nec ante Rotalem hanc Deciſionem in pretio habitæ: fides ſit ſuperiùs exſcriptis *Clementis VI.* literis, quibus Archiepiſcopi temeritas cõpreſſa eſt, & in cõtradictorio iudicio *Catan. Epiſcopo* cauſa omnis adiudicata.

A Sed demus quòd nõ dandum, vnica ſit enunciatiua. Quia tamẽ antiqua eſt, ſatis vltra metam centum annorum, id quod negari non poteſt, ideò diſpoſitionem inducit pleneque probat exemptionem, ita docet *Gloſ. in cap. cum olim 19. in verb. inſtrumentis de Cenſibus, conciuis meus D. Abbas conſil. 54. num. 3. Vol. 1. Maſcard. de Probat. concl. 918. nu. 3. tom. 2. Marius Antoninus Macerat. reſol. 109. nu. 47. lib. 1. Socin. Iun. conſil. 65. nu. 7. lib. 1. Riccius deciſ. 10. nu. 5. part. 4.*

B Antiquum autem dicitur ſi excedat metam, ſiue tempus centum annorum, *Crauetta de Antiquit. tempor. part. 1. nu. 4. & 5. Ramon. conſil. 37. nu. 217. Maſcard. de Probat. vol. 2. concl. 621. nu. 16. Socin. Iun. conſil. 65. nu. 7. lib. 1. Dectan. reſp. 21. nu. 26. lib. 1.*

C Id quod citra vulnus & ictum fidem ſibi vendicat & auctoramentum, quando, præter antiquitatem ac longiſſimũ temporis ſpatiũ, plura concurrerent ad minicula, vtputa longa rei poſſeſſio, plura à RR. PP. emanata confectaq; inſtrumenta, & alia huiuſmodi (quæ omnia peroptimè verificari in caſu in quo verſamur, ſingula quæque toties à nobis replicata demõſtrant) hoc

D inquam caſu enunciatiua, quamuis vnica, plenè nihilominus probat, valideq; diſpoſitionem inducit, ita eadem *Rota Romana apud Farinacium deciſ. 585. nu. 2.* & iterum apud *Ludouiſium deciſ. 172. nu. 8. Ramon. conſil. 37. num. 217. Maſcard. de Probat. cõcl. 621. nu. 15. & 25. lib. 2. Gloritius reſp. 10. nu. 33.*

A *nu.33. Barboſ. in collect. ad cap. cum olim 19. nu. 8. de cenſibus.*

Ad hæc. Aſſertio iſta. Vnica enunciatiua non probat, nec diſponit, non procedit quoties enũciatiua profertur à Principe, & ſic ab eo, qui tempore enunciationis poteſt illum caſum gerere, & facultatem habet conſtituendi, tunc enim plenè probat, & diſponit, ita ex *Bartolo in l. ex his C. de teſt. m,* . *Addit. ad* B *Alexandr. conſil. 21. nu. 6. litera B. vol. 1.* & alijs, firmant *Aponte conſil. 95. nu. 17. Ramonius conſil. 37. nu. 219. & 223. Mut. deciſ. 67. nu. 6.* Quod citra difficultatẽ locum ſibi vendicat in antiquis, prout ex *Maſcard. Macerat.* & alijs dicebam ſupra, quo caſu ſtatur aſſertioni ipſius Principis, etiam ad tertij præiudicium, ita *Crauetta conſil. 276. nu. 1. vol. 2. Ramon. conſil. 87. nu. 14.*

C Nec mihi negotium faceſſit *Maſtrillus in tract. de Magiſtrat. lib. 4. cap. 13. nu. 103.* verba enunciatiua propter aliud emiſſa, etiam à Principe prolata non inducere diſpoſitionem affirmans, & ideò ſi Papa enunciatiuè dicat Eccleſiam aliquam eſſe exemptam, non ob id induci exemptionem ſubiungens; & eſt textus expreſ- D ſus *in cap. ſi Papa de Priuil. lib. 6.* & ita poſt alios nouiſſimè concludit *Auguſtinus Barboſ. in collect. ad cap. accepimus 8. nu. 3. de Priuilegijs, & in tract. de Poteſt. Epiſcop. alleg. 113. nu. 16.*

Non obſtat inquã, primò, quia Exemptio plenè dicitur probata ſi Pontifex in Reſcripto dixerit Eccleſiã aliquã de iure B.Petri, vel ad Rom. Eccleſiam immediate ſpectare, ita *Dom. Abbas conciuis meus in d. cap. accepimus nu. 2. de Priuil.* vbi etiam *Socin. nu. 7. & 32. Maſcard. de Probat. concl. 713. nu. 1. tom. 2. Eraſmus Cochier de Iuriſd. part. 1. quæſt. 9. nu. 1. verſ. in primis. Rodriguez quæſt. regul. lib. 2. quæſt. 64. artic. 3. in fine.* Cuius cõcluſionis illa per Doctores aſſignatur ratio quia omnes mũdi Eccleſiæ ad ius *B. Petri* pertinere dicuntur, & Rom. Eccleſiæ ſubiectæ eſſe noſcuntur, *can. cuncta per mundum 9. quæſt.* 3. iuncta veriſſima, & Catholica doctrina de Romanæ Eccleſiæ primatu, de qua *in can. ſacroſancta diſt. 22. & in cap. 1. de ſumma Trinit. & fide cathol. lib. 6.* Vt igitur verba Reſcripti aliquid ſpecialiter operẽtur, ad tradita *per Gonzal. ad reg. 8. cancell. gloſ. 6. nu. 26. & ſeqq.* illa facienda eſt interpetratio, quòd per illa verba voluerit Pontifex concedere, vt ſpeciali modo talis Eccleſia ſubiecta maneat iuri ſuo, & ab omni Ordinariorum iure penitus exempta.

Secundò, eſtò præmiſſa aliqualem patiantur difficultatem, nihilo tamen minus adducta per *Maſtrillum & Barboſ. ſicut & tex. in cap. ſi Papa* non procedunt vbi talia verba enunciatiua, ſiue rectiùs narratiua, ſint geminata, & in pluribus reſcriptis repetita (prout in caſu noſtro) ita *Bartol. in l. cum ſcimus nu. 7. C. de agric. & cenſit. lib. 11. Felin. in cap. ſi cautio nu. 39. de fide inſtr. Decius conſ. 152. nu. 5. Riminal. iun. conſ. 314. nu. 15. Abbas, Alexander, Roman. Socin.* & alij quos probant *Decian.*

reſponſ.

reſponſ. 21. nu 25. Vol. 1. Ramon. conſil. 87. nu 32.

Præterea allegatus textus non procedit quando alias conſtaret de ſcientia Principis, ſiue Papæ, tunc enim verba enuntiatiua bene probant, ita *Maſtrill. vbi ſupra nu. 115. Decian. d. reſpon. 21. nu. 24. ad finem*.

Cum igitur Catanenſis Eccleſia per tot ſummorũ Pontificum Reſcripta quamſpiſſimè fuerit nominata Rom. Eccleſiæ alũna, eique ſubiecta, geminatio hæc procul dubio pleniſſimã faciet probationem, & perinde eſt ac ſi motu proprio omnia narrata, & facta, fuiſſent in ipſis Reſcriptis expoſita, vt poſt *Bald. Alexandrum, & Romanum* concludit *Decianus vbi ſupra nu. 24.* Et præterea talis geminatio idem operatur quod clauſula Ex certa ſcientia, *vt eſt gloſ. notab. in Cap. 1. verſic. noſcatur de Conſtitut. lib. 6. & gloſ. 1. in can. reſcripta quæſt. 2. Felin. in cap. ſi quando nu. 31. de Reſcriptis, Decian. d. reſp. 21. nu. 24. verſ. & talis etiã geminatio*: nemo anceps hærere poterit, ex huiuſmodi enunciatiua plenè probari exemptionem ad fauorem Catanenſis Eccleſiæ.

Et tandem vt omnis abigatur ſcrupulus, arceſſenda ſunt hic allegati tex. verba, è quibus tanquã ex vberrimo fonte, imò patentiſſimo flumine diſcurſus noſtri manant fluenta; ait ergo Pontifex. *Si Papa in aliquo priuilegio, vel ſcriptura nõ facta principaliter ſuper datione, vel ſententia exemptionis, ſeu etiam libertatis, aliquam Eccleſiam ad ius & proprietatem*

A *Romanæ Eccleſiæ pertinere, vel cõſimilia verba narret, non propterea illius Eccleſiæ exemptio eſt probata. NISI DE LIBERTATE ALITER DOCEATVR.* Pende verba illa, *niſi de libertate aliter doceatur*, & mecum ſtatim ſenties in re, qua nos vera ſentimus. Non etenim in vnica hac Eugenij enũciatiua fundatur Eccleſiæ Catan. exemptio, ſed aliunde: ideoque aptiùs, atque apertiùs; tum ex

B *Clementis VI.* reſcripto, quo Monteregalenſis Archiepiſcopi prætenſio ſuppreſſa eſt, Catanenſis Epiſcopi exemptio atteſtata, & tandem quæ in hac cauſa fuerãt per Archiepiſcopum temere tentata, grauiter repreſſa ſunt, & annullata. Tum ex *Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. ac Gregorij XIV.* Rom. Pont. geminatis, iteratiſq; Reſcriptis, ac cenſionibus ſtabilita. Corruat ergo neceſſe eſt

C Rotalis huius deciſionis ædificiũ, hiantibus fundamentis, ædificiorumq; commiſſuris.

SECTIO XIII.

IAm Deciſio. *Rurſus non obſtabat, quòd Catan. Epiſcopus ab antiquo tempore, nempe ab anno 1417. vſque ad præſens prætenderet ſe cognouiſſe cauſas in prima & ſecunda inſtantia. Quia reſpondebatur, quia præterquam quòd hoc non dum fuerat pro parte ſua concludenter probatum, cum iura, quibus vtebatur, non eſſent in forma probanti, vt fuerat reſolutum in hac cauſa: licèt id eſſet verum, non tamen licebat inde arguere ad vniuerſalem exemptionem à ſuperioritate*

D

Eccle-

Eccleſiæ Montis regalis, ſed tantum A
ad caſum in ſpecie exercitatum vel
præſcriptum, *Romanus conſil.* 368.
nu. 11. *Mobedan. deciſ.* 6. *de Præ-*
ſcriptionibus .

Hic Rotam aduerſus Rotam
rotare planum eſt, & innegabi-
le: & quæ in ſuperius exſcripta
Deciſione ſect.2. fol.103. pro in-
dubitato habuerat, Epiſcopum
Cataniensem ab antiquo tempo
re, nempe ab anno 1417. vſque
ad præſens cognouiſſe cauſas in B
prima & ſecunda inſtantia, *in*
quibus potiſſimum actibus conſiſtit
Ius Metropoliticum, modò in con-
traria deflectens, ſubiungit. *Ex*
cognitione cauſarum in prima & ſe-
cunda inſtantia non licet arguere
ad vniuerſalem exemptionem à ſu-
perioritate Eccleſiæ Montis Regalis.

Sed altiùs rem attingamus.
Duo hìc aſſumuntur, alterum
quòd cognitio cauſarum in pri- C
ma & ſecunda inſtãtia ad *Catan.*
Epiſcopum antiquiſſimo iure ſpe-
ctans haud concludenter fuerit
probata. Alterum quòd ex pecu-
liari hac cauſarum cognitione
minùs rectè inferatur ad vniuer
ſalem exemptionem, de qua no-
bis ſermo.

Verum enim verò quod ad pri
mum ſpectat, leuius eſt, quam
vt id operoſius diluere ſit neceſ- D
ſe; rem omnem planè plenèque
citra vulnus & ictum euincunt
noſtra *Epiſcopij* tabularia, ipſorũ
fidem appello, ea me tacente
loquuntur, cunctis obuia. Quin o-
lim in cõtradictorio iudicio cau-
ſa ad examen vocata Epiſcopo
fuit adiudicata: reuocatis ideò
literis à Tribunali Regiæ Monar
chiæ in contrariũ emanatis. Ad-
eundus ad rem liber Priuilegio-
rum Epiſcop. fol.33. & 53. & re-
liqua Regeſtorũ volumina paſ-
ſim; ne ſingula quæq; Acta iudi-
ciaria huiuſmodi cauſarum co-
gnitionem euincentia ſeriatim
ſcribens, aut exſcribens, nimius
ſim ac moleſtus.

Quod verò ad ſecundum ſpe-
ctat: initiò id præhabendum, nẽ-
pè cauſarum cognitio in prima
& ſecunda inſtantia, vt vocant,
& exẽptio in taliter cognoſcente
à Iure Metropolitico ſub vno eo-
demq; genere Immunitatis con-
tinentur, quinimo ſunt hæc duo
adeo inuicem connexa, vt alterũ
abſq; altero nequeat exerceri. Ap
pellatio ſiquidẽ gradatim eſt in-
terponẽda, & ſic ab inferiori iudi
ce ad eũ appellatur, qui eſt ſupe
rior, & proximior iudici, qui ſen-
tentiã tulit, *l. Imper.* 21. *ff. appellatio-*
nib' latè *Scaccia de Appellat. quæſt.*
7. Et inter Eccleſiaſticos iudices
ab Archidiacono ceteriſue Pręla
tis inferiorib' appellatur ad Epiſ-
copum, ab Epiſcopo ad Metro-
politanum illius Epiſcopi, *cap. di-*
lecti 66. de Appellat. vbi Barboſ. in
collectan. plures ad idem cumu-
lat concordantes Doctores *nu.2.*
cap. Romana eod. tit. de Appellat. lib.
6. Roſeus de Prærogatiuis Archiep. di
gnit. priuil. 6. Scaccia de Appell. quæſt.
7. nu. 3. & quæſt. 8. nu. 32. & ſeqq.
& ideò Epiſcopus, qui iure ordi-
nario ſententiam tulit in prima
Iudicij inſtantia, ſi poſtmodum
appellationis remedio de iuribus
ſententiæ à ſe latæ cognoſcat in
ſecunda Inſtantia, exẽptus ideò
ſit à Metropolitica Archipręſulis

ſubiectione neceſſe eſt, cum aliàs non poſſet cognitionem illam ſibi vendicare, & multò minùs cõtẽtioſos actus iuridice expedire.

His ita præhabitis, iurè argumentũ in aduerſarios retorqueo. Vtẽs iuriſdictione in aliquo actu acquirit poſſeſſionem iuriſdictionis vel quaſi quoad omnes actus, qui ſunt ſub eadem ſpecie iuriſdictionis, vt tradunt *Cynus, Bartolus, Salycetus, Baldus, Caſtrenſis, Felinus*, & alij, quos probat *Surdus conſil. 492. nu. 45. & 46. tom. 3.* ergo à contrario, exemptio à iuriſdictione Metropolitani in vno actu inducit exemptionem quoad alios actus, qui ſunt ſub eadem ſpecie exemptionis, & immunitatis. Id quod à fortiori procedit, cum exemptio Catan. Eccleſiæ, quæ Romanæ eſt immediatè ſubiecta, ſit conformis diſpoſitioni Iuris communis ita mãdantis, omnes ſcil. Eccleſias Romanæ fore immediatè ſubiectas, vt ſupra dicebam.

Præterea, argumentum ab incluſione vnius ad excluſionem alterius, quo vtitur Rota in deciſione, non procedit quando incluſum & excluſum ſunt inuicem connexa, *l. 3. in princ. ff. de acquir. poſſeſſ. Menoch. conſil. 14. nu. 14.* eſſe autem inuicem cõnexa duo hæc, videl. cognoſcere de cauſis in prima & ſecunda inſtantia, & ideò Metropoliticæ Iuriſdictionis iura non cognoſcere, ſupra dicebam.

Iam: in caſu, de quo nobis ſermo, non agitur de acquirenda de nouo exemptione, ſed de cõſeruanda iam acquiſita, quæue

A de Iure communi Catan. Eccle-
ſiæ competit, quæue in contra-
dictorio Iudicio Epiſcopo fuit ad
iudicata, vt toties dictum eſt, &
ideò Catan. Epiſcopus vtendo e-
xemptione in vno caſu, eam in
alijs iure ſibi cõſeruaſſe dicendũ
eſt, ad tradita in ſimili de Iuriſ-
dictione per *Roman. conſ. 291. &*
Surd. conſil. 429. nu. 46. tom. 3. &
conſequenter Catan. Epiſcopus
vti dicitur eo iure, vt ipſe eſſet
B loco Metropolitani, ad tradita
per *Menochium conſil. 191. nu. 56.*
tom. 2.

Ad hæc: propoſitio illa, Exẽp-
tio in vno caſu non tribuit ius in
altero caſu, eſt vera quãdo exer-
citium exemptionis eſſet tãtum
in vno caſu, ſeu actu, ſecus erit
dicendum in caſu noſtro, cum
exemptio *Catan. Eccleſiæ* nedum
verſetur circa cognitionem cau-
C ſarum, verùm & circa plures,
imò omnes actus, quibus exemp-
tio ineuitabiliter infertur, vt cõ-
ſtat ex dictis, ita *Decianus reſpõſ.*
74. nu. 21. tom. 5.

Et tandem, Propoſitio illa lo-
cum ſibi vendicat, quando agi-
tur de exemptione quærẽda per
præſcriptionem, ſecus eſt vbi agi-
tur de conſeruanda exemptione
competẽte vel ex iuris commu-
nis diſpoſitione, vel ex geminatis
D Summorum Pontificum priuile-
gijs, ſcil. *Alex. III. & Clemẽtis VI.*
his enim caſibus exẽptio in vno
caſu cõſeruat ius in alijs caſibus:
ita *Romanus conſil. 291.* quem ad
id expendit M. Ant. *Genuenſis pra-*
cticab. Eccleſiaſt. quaſt. 663. verſ.
non obſtat doctrina Bartoli. qui li-
cet loquantur in iuriſdictione,

e orum

A eorum tamē dicta à fortiori procedent in exemptione à Iuriſdictione: tum quia eadem eſt regula contrariorum: tum quia in exemptione propiùs acceditur ad diſpoſitionem Iuris communis: tum deniq;quia ſicuti ſe habet vnum proportionale ad aliud, ita aliud ad reliquum.

SECTIO XIV.

B HAbet iterum Deciſio. *Neq; obſtabat ſimiliter, quòd Priuilegium per non vſum amittitur. Quia reſpōdebatur, Archiepiſcopum non niti Priuilegio, ſed clara & euidenti erectione.*

Erectionem hanc Pontifex nō vltroneus conceſſit, ſed ad Guilelmi Regis inſtantiam, id quod Lucius ipſe fatetur in Diplomate, quo Monteregal. Eccleſiam in C Archiepiſcopalem erexit, apud *Pirrum in illius Eccleſiæ Notit.* trāſcripto fol. 410. ſic inquiens. *Epiſcopatū Catanenſē proprio duximus vocabulo deſignandum, quem Nos de fratrum noſtrorum communi conſilio ad MVLTAM prædicti Regis INSTANTIAM tibi tuiſque ſucceſſoribus, ſicut proprijs Archiepiſcopis, Metropolitico in perpetuum conſtituimus iure ſubeſſe &c.* D Grauiſſimas ideò pati difficultates Iuris ratio ſuadet: non enim ſpōte quis dicitur facere, qui alicuius imperio coactus, vel blanditijs allectus, aut precibus impulſus aliquid facit, vt docet *Gloſſa in §. item Sacramenta in verb. facta de Pace iuramento firmanda*, & poſt eam *Hieronymus Butigella in Rubr. ff. de verb. obligat, nu. 20. Gratian. diſcept. 544 n. 5. tom.* 3. & velle non creditur qui alterius obſequitur imperio, *l. velle 4. ff. de regulis iuris. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 1. Tit. 3. nu.* 10. quo caſu in ſuperficie volitionem, ſed in medulla nolitionem dicitur habere, *Mantica l. cit. nu.* 11.

Nec me deturbat Decij aſſertio *in l. 2. nu. 25. C. de pactis*, quod imò dicitur ſponte fieri quod ad alterius fit petitionē. Tum quia contra ipſum ſtat communis Doctorū cenſio quod imò ſponte id dicitur fieri, quod fit motu proprio, liberè, & ad nullius petitionem, ita *Ancharan. in clem. præſenti in 5. notab. de Cenſibus*, quē ad id expendit *Decius* ſibi ipſi contrarius, *in l. velle non creditur nu. 6. inf. ff. de regul. Iur. Gratian. diſcept. 544. nu. 22. tom.* 3. Tum quia, quod ex principio extrinſeco procedit (alienis ſcil. precibus aut ſuggeſtione) id vel planè violentum, aut ſaltem inuoluntarium dicitur, ſi credimus *Ariſtoteli 3. Ethicorum cap. 1. & D. Thomae prima 2. quaeſt. 6. artic. 2.* Id ſiquidem voluntarium dicitur, quod ex libero mentis arbitrio proficiſcitur, *can. 1. §. in voluntatem* 15. *quaſt.* 1.

Sed valida ſit Erectio, & à Pontifice ſponte proceſſerit: adhuc tamen infirmior eſt, quàm vt ei cauſa hæc committatur: & quia vſu non recepta: & quia Pontificio Alexandri III. Priuilegio, cui innititur Catanenſis Eccleſiæ exemptio, non derogat expreſsè, nec aliquam continet clauſulam illius derogatoriam;

& quia per *Clementis VI.* ſanctionem viribus eneruata; & demũ quia iteratis Eugenij IV. cæterorumq; Pontificum cenſionibus *Catan. Eccleſiam* Romanæ Sedis alumnam, eiq; immediatè ſubiectam acclamantibus, elumbis iureq; ſuo fruſtrata ſemper audijt, eritque deinceps auditura.

SECTIO XV.

QVin etiam Deciſio. *Et nihilominus ad retinendum priuilegium ſufficere ſi doceatur de vſu reſpectu alicuius rei vel actus in erectione comprehenſi, cum cauſa vtentis ſit vniuerſalis, Felinus in cap. auditis nu. 19. de Præſcriptionib. & tenuit Rota in vna Toletana annatarum die 16. Februarij 1581. coram b. m. Cantuccio. In caſu autem propoſito ex ſupraditis conſtabat de poſſeſſione & vſu reſpectu aliquorum actuum.*

Quinam fuerit vſus iſte, quænam poſſeſſio reſpectu aliquorũ actuum ad fauorem *Archiepiſcopi*, plane non video, ſi illos excipias, qui poſt emanatam Deciſionem geſti ſunt, quos caſui noſtro nequaquã cõferre indubitabile eſt.

Sed demus, Archiepiſcopum nonnullos exercuiſſe actus iuriſdictionem præſeferentes, non tamen ideo totalem, ſiue vniuerſalem iuriſdictionem ſibi quæſiuiſſe dicendum eſt; ſed illos tantum quos exercuit, & eorum apparet vſus, vt pluribus probat *Gloritius reſp. 1. par. 3. nu. 148.*

Ad hæc, exercitium aliquorũ actuum iuriſdictionem denotantium tunc demum iuriſdictionem deſignat in illos exercente, quando nemo alius in illorũ actuum exiſtit poſſeſſione, vt aduertit *Felinus* ex aduerſo allegatus, cuius hæc verba. *Secunda declaratio multum reſtrictius prædictorum. Vbi alius eſt in poſſeſſione, vel quaſi vniuerſalis iuriſdictionis certi loci, præſcribens contra eum in certis actibus ſolum in his acquirit, ſed nullo alio exiſtente in poſſeſſione aliorum actuum, poſſeſſio vnius actus generat ius vniuerſale. Ita ſolemniter declarat Innocẽtius &c.* Catanenſem autem Epiſcopum plures pluresque geſſiſſe actus, qui citrã ius & nomẽ exemptionis geri non poterant, in plurium quoque huius generis actuũ extitiſſe poſſeſſione ſuperiùs expenſa commonſtrant: quando ſcil. cauſarum cognitio in prima & ſecunda, vt dicunt, inſtantia ad ipſum ſpectabat, & tanquam Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectus ea omnia exercebat, quæ vniuerſalem, ac Metropoliticam in ſua Diœceſi iuriſdictionẽ prænotabant: ad eius tandem inſtãtiam Archiepiſcopus iuriſdictionẽ vſurpans per Apoſtolica Reſcripta obiurgat' arq; vt deinceps à ſimilib' audẽdis abſtineret, inhibitus, euidẽtiora ſunt hæc quam vt ſæpius ea repetere ſit neceſſe.

Quæ cum ita ſint, ſolidiùs pro *Catanenſi Eccleſia* ſtat, quę aduerſus illam vrgere videbatur allegata Deciſio, adeò vt in aduerſarios ita retorqueri poſſit argumentum. Exercens vnũ vel plures actus ratione iuriſdictionis, quam ſibi competere prætendit, acquirit, fortiuſq; ſibi conſeruat poſ-

A poſſeſſionē quoad omnes actus aduerſus illum, cui tales actus exerciti aliàs ſubderentur, *Oldrad. conſ. 172. Quia omnes ferè, nu. 24. & conſ. 254. Quia tota, nu. 17. Mareſcott. var. reſol. lib. 1. cap. 11. nu. 32. 33. Gratian. diſcept. 425. à nu. 39. & ſeq. lib. 4. Cutell. conciuis meus in ſuo Codice legum ſicularū ad leges Martini in Diſcurſu pro concordia inter Inquiſitores & Officiales &c. cap. 3. nu. 56.* ſed Catan. Epiſcopus B in ſua Diœceſi plures exercuit actus ratione iuriſdictionis, quam ſibi competere prætendebat, vti immediatè ſubiectus Romano Pontifici, & à Metropolitico iure prorſus exemptus, eiq; nequaquam ſubiectus, vt toties demonſtrauimus, ergo poſſeſſionem ſibi quæſiuit, quæſitam cōſeruauit aduerſus Archiepiſcopū Montiſregal. cui aliàs tales actus exerciti ſubderentur. Sed ad alia. C

SECTIO XVI.

ITem Deciſio. *Non obſtabat præterea Archiepiſcopos M. R. nunquam viſitaſſe Eccleſiam Catanienſem, nec conuocaſſe Epiſcopos ad Concilium prouinciale. Quia Reſpondebatur, ex actu negatiuo in his quæ ſunt meræ facultatis, non acquiri poſſeſſionem, aut non vſum in* D *contrarium. Verallus deciſ. 306. nu. 7. parte 1. & præſertim cum non conſtaret de prohibitione & patientia Archiepiſcoporum, ſine quibus nō acquiritur libertas à ſubiectione, Alexand. conſil. 136. nu. 19. lib. 2. Purpuratus conſ. 665. nu. 3.*

Addiderim ego idem firmantes *Surdum conſil. 127. nu. 21. & 22. & conſil. 130. nu. 17. Couarr. de Præſcript. part. 2. §. 4. verſ. huic ſanè obiectioni*.

Non negauerim ego in merè facultatiuis nō acquiri poſſeſſionem ex actibus negatiuis: quantumuis & id negari benè poſſet, ea ratione, quia in ijs quæ ſunt merę facultatis, & in actibus merè volūtarijs acquiritur poſſeſſio, quando facultas aliquid faciendi competit per modū Iuris, *Socin. Iun. conſ. 145. nu. 42. tom. 1.* Competit autem per modum iuris, quando prouenit ex Priuilegio, cōtractu &c. vt tradit idem Socin. *Decian. reſponſ. 108. nu. 21. verſ. primus eſt caſus lib. 3.* & in caſu noſtro ita ſibi competere contendit Catan. Epiſcopus: ac etiam quia præſcriptio libertatis currit ex ſolo nō vſu *Socin. Iun. cōſ. 145. nu. 68. lib. 1. Roland. à valle conſil. 52. nu. 30. 32. inf. lib. 3.* eò vel maximè quando caſus euenerit, quo quis illo iure vti poterat, & ne vteretur fuit prohibitus, vt in caſu noſtro veriſſimum fore iam dicenda probabunt.

Id dumtaxat, quod pro conſtanti aſſumitur in Deciſione, in caſu ſcil. noſtro non conſtare de prohibitione, & patientia Archiepiſcopi Montis regalis, ſine qua non acquiritur libertas à ſubiectione, hoc inquam ſcitus, imo tenaciſſimus negarim. Siſtendū ad rem, quam vrgemus, & denuò replicandum *Clementis VI.* reſcriptum, ex quo tanquam ab explorata teſſera arcitur Archiepiſcopo facta prohibitio.

CLEMENS EPISCOPVS
ſeruus ſeruorum Dei.

Vene-

Venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Montis regalis ſalutem, & Apoſtolicam beneditionem.

Expoſuit nobis venerabilis frater noſter Gerardus Patriarcha Antiochen' Adminiſtrator Eccleſiæ Cataniensis in ſpiritualibus & tēporalibus auctoritate Apoſtolica deputatus, quod licèt olim eadem Eccleſia Cataniensis à Iure Metropolitico per Sedem Apoſtolicam prorſus exempta fuit, & Sedi eidem immediatè ſubiecta; Tu tamen contra huiuſmodi exemptionem, & ſubiectionem, in eiuſdem Sedis contemptum veniens, memoratam Eccleſiam Catan. & perſonas eiuſdem viſitare, ac alia ibidem exercere, quæ tibi, ſi exemptio non obſtaret prædicta, competerent, de facto pro tuæ voluntatis libito, adhibita tecum nihilominus ſuper his laicali potentia, quod egrè, ſi ita eſt, ferimus, præſumpſiſti. Quò circa Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta diſtrictius iniūgendo mādamus, & inhibemus expreſsè, quatenus talia vel ſimilia de cætero facere non attentes, & attentata per te ſuper his in præiudiciū exemptionis prædictę, reuocare quantocius non poſtponas. Si verò tibi & Eccleſię tuæ in præmiſſis, vel circa ea, ius competere crediderís, quouis modo, illud apud Sedem Apoſtolicam, vbi tibi faciemus exhiberi iuſtitiam, proſequaris: præſertim cum dictus Patriarcha de huiuſmodi exemptione paratum ſe offerat facere promptam fidem. De receptione autē præſentium Nos per A tuas literas, vel inſtrumentum publicum eorum ſeriem continens, reddere ſtudeas certiores. *Datum Auenione 7. Idus Aprilis Pōtificatus noſtri anno ſecundo.*

Ex hac prohibitione, vt vidiſti, rectè deducitur Archiepiſcopi patientia, vt iura præſumunt, niſi contrarium euidentiſſimis documentis doceatur, Archiepiſcopo ſiquidem, eidemq; actori, incumbit onus probādi nequaquā B fuiſſe obtemperatum; quo non probato, prout probari minimè poterit, pro Catan. Epiſcopo, eiuſq; Eccleſiæ exemptione pronūciandum fore nemo ibit inficias; adeundus ideò *Crauetta conſil. 86. nu. 6.* & qui eum ſecuti ſunt *Teſaurus deciſ. 16. nu. 8. & Gratianus diſcept. 564. nu. 52. & 53. tom. 3.*

SECTIO XVII.

C IGitur Deciſio. *Nec ſufficere docere de non vſu ſubiectionis, niſi probaretur præterea ſubiectionem fuiſſe alteri quæſitam, cum reſpectu ſuffraganei libertas videatur impraſcriptibilis, niſi alteri acquiratur, Verallus deciſ. 306. nu. 7. parte 1.*

Difficultas hæc nō benè caſui noſtro aptari videtur, ni mea me fallat opinio: non etenim probandum erat ſubiectionem D alteri fuiſſe quæſitam, ex quo apertiſſimis tot ſummorum Pontificum documentis, Reſcriptis, ac Diplomatibus irrefragabile fit Catan. Eccleſiam Apoſtolicæ Sedi immediatè fore ſubiectam. Quæ ſiquidem in Deciſione aſſumuntur, eò tantum caſu locum ſibi poſſent vendicare, quando

inter

Digitized by Google

inter duos aut plures Metropolitanos orta eſſet contentio, cuinā ſcil. eorum Catan. Eccleſia foret ſubiecta, tunc etenim docto cuinam ſit quæſita ſubiectio, illi ſtatim redditur obnoxia, ab altera immunis, non ab vtraq; exempta, nec vtrique ſubiecta: hæc autem num caſui noſtro benè conueniant, tu ſis quæſitor & iudex.

SECTIO XVIII.

TAndem Deciſio. *Poſtremò nō obſtabat præſcriptio, quia deberet eſſe immemorabilis, & hæc non probatur per teſtes deponentes ad ſummum de 25. vel 30 annis citra, & tamen debebant deponere iuxta requiſita explicata à Gloſſa in cap. 1. in verb. titulum de Præſcriptionib. lib.6. Per ſcripturas autem licèt eſſent in forma probanti immemorabilis probari non poterat, Alex. conſil.16. nu.17. lib. 5. & fuit deciſum in cauſa Veronenſis iuriſdictionis die 18. Martij 1596. coram domino meo Pamphilio.*

Atquì ad præſcribendam exēptionem ſufficere ſpatium 40. annorum cum ſcientia & tolerantia illius, qui iuriſdictionem contendit, poſt *Menochium, Burſatum, Ruinum, & alios, firmat Io. Baptiſta Coſta de Facti ſcientia & ignorantia Inſpect. 67. nu. 6. tom. 1. & de Portione rata quæſt. 235. nu.11.* Per tale autem ſpatium, & vltra ſatis *Catan. Eccleſiam* Apoſtolicæ Sedi immediatè fuiſſe ſubiectā, & à Metropolitico Archiepiſcopi iure prorſus exemptam, perbelle conuincunt ſuperius exſcripta Roman. Pōtificum Diplomata, non eſt igitur cur in hoc vel illo apice hæreamus, & nūquid teſtes de 25. vel 30. annis deponant, vt Deciſio requirit.

Ad hęc, Præſcriptionē immemorabilē per publica documēta bene probari poſſe docet *Io. Andreas in cap. ſi diligēti de Præſcriptionib'* quē ad hoc expēdit & ſequitur Eminētiſſimus Dominus Abbas conciuis meus in cap. *cum nobis 14. de Præſcriptionib. nu.5. Maſcard. de Probat. tom.3. concl.1221. nu.47.* & alij paſſim. Eſſe autem tale ſpatium 200. annorū immemorabile, nemo cordat' negabit.

Atque ex his liquidum euadit opinor, quantum deferendum veniat Rotalibus Deciſionibus aliàs habitis in hac cauſa, de quibus *apud eumdem Peniam deciſ. 428. & iterum deciſ.* 513. Hæ ſiquidem altera tantum parte informante emanarunt, & ideò minimè attendendę. Iura inſuper in illis deducta eneruata sūt per aliam eiuſdem Rotæ deciſionem ſuperius exſcriptam *Sect.2. ad finem*. Quæ tandem in alia Deciſione *x. Maij 1599. penes laudatū Peniam* 607. ad fauorem Archiepiſcopi cumulantur, ex ijs, quæ in hoc Diſcurſu per totū deducebamus, euacuata penitus, ac funditus eneruata facilè quiuis poterit arbitrari.

Sed iam receptui canamus, & forēſibus hiſce diſceptationibus terminus fiat, ne amplius iuſto productæ nimietate diſpliceant: condonabit tamen ęquus Lector ſi diſputationem longiùs quam par fuiſſet protraximus, breuiori non licuit vti compendio, vbi doctiſ-

doctiſſimorum patrum ſentẽtijs fuit pro virili reſpondendum : & vltrò citroque ſe diffundentem Rotalem hanc Deciſionem rationum repagulis, Auctorum ſententijs, Doctrinarum deniq; obicibus, veluti vadis, cohibere : Si ſolidè id actum eſt, nullus qui verum amat, ſtomachari debet, ſed potius exhilarari. Sacrum habemus exemplum in ſacro Eccleſiæ vertice Petro, *qui*, vt ait S. Cyprian. epiſt. 71. ad Quintum cap. 2. *conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile conſenſit, documentũ ſcilicet nobis, & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus & collegis noſtris vtiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima, ipſa potiùs noſtra ducamus.*

Fit ideo ex dictis, iterum audiendum fore Catan. Epiſcopum, ne ex diuerſitate facti aliquid cõtra Ius ſtatuatur, prout ſemper Rota veritatis amatrix ſolita eſt facere, *Gratian. diſc. 532. nu. 28. tom. 3.*

A

§. XXVII.

ROGERIVS.

Anno à Virginis Aue 1194.

LEoni, quem dicebam, ſucceſſor datus eſt *ROGERIVS* Catanenſis ciuis, ac Regis familiaris, ex ordine D. Benedicti aſſumptus, anno labentis iam duodecimi ſeculi quarto ac nonageſimo : B quo tempore Henricus VI. Cæſar, extincta Northomannorum Principum Dynaſtia, Siciliȩ Regno ſiue iure ſiue iniuria Conſtãtiȩ vxoris nomine potitus eſt.

Henricus igitur, alias Northmãnicæ gentis clade barbarus Princeps, *Catan. Eccleſiæ* iura ſarta tectaq; nihilominus cuſtodiuit : quin nouis gratiarum honoribus adauxit hoc Diplomate.

C *In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis.*

Henricus Sextus Diuina fauẽte clementia Romanus Imperator ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ. Impenſis à Domino beneficijs reſpondemus, & ei gratiarum offerimus holocauſtum, cũ ſacroſanctas Eccleſias fauore noſtræ clementiæ intuentes, earum paci, & quieti miſericorditer prouidemus, & quæ tam à Principibus, D quàm ab alijs quibuſcumq; ipſis fuerint collata, noſtra Imperialis Serenitas rati habitione confirmat. Nos itaque pro reuerentia B. Virg. & Mart. Agathæ, cuius Reliquiæ in Catan. conſeruantur Eccleſia, & ad honorem Domini ibidem requieſcunt : attendentes etiam fidelitatem, &

grata

grata ſeruitia, quæ Rogerius ipſius Eccleſiæ electus fidelis noſter deuotione ſedula noſtræ Serenitati ſtudet exhibere: ad ſupplicationem quoq; fidelis noſtri Comitis Alberti, Eccleſiam ipsã Catanienſem cum fratribus, & vniuerſis obedientijs, communitate, & pertinentijs eius ſub noſtræ Maieſtatis protectione recipimus, ac tenemus. Confirmãtes ei vniuerſa Priuilegia, libertates, conceſſiones, & oblationes; quę ſibi tã à Comite. Rogerio, quam à Rege Rogerio eius filio minore, nec non & à Rege Guillelmo I. & II. piæ memoriæ fuerunt indulta, ſcil. vt homines, & tenimenta, & vniuerſas poſſeſſiones ſuas eidem Eccleſiæ à quibuſcũq; collata pacificè teneat; & libertatibus, & dignitatibus ſuis, ſicut prædictorum Regum temporibus conſueuerat, vtatur. Si qua igitur Eccleſiaſtica ſecularisue perſona, alta, vel humilis contra huiuſmodi noſtræ cõfirmationis contrauenerit inſtituta, in ſuæ temeritatis pœnam centum libras auri puriſſimi pro pæna componat, medietatem Camerę noſtrę, alteram partem iniuriam paſſis perſoluendam. Vt autem hæc noſtrę confirmationis pagina firma, & inconcuſſa permaneat, præſens ex inde Priuilegium conſcribi, & Maieſtatis noſtræ Bulla aurea iuſſimus inſigniri.

Teſtes hi ſunt, Philippus Dux Thuſcia frater noſter.
Conradus Imperialis aulæ Cancellarius.
Gualtherius Troianus Epiſcopus, & Regni Cancellarius.
Henricus Vuormatienſis Epiſcopus.
Bonifacius Marchio Montis ferrati.
Conradus Dux Spoleti, & Regni Siciliæ Vicarius.
Comes Albertus de Spanheim, & alij quamplures.
✝ *Signum domini Henrici VI. Romanorum Imperatoris inuictiſſimi, & Regni Sicil. Regis.*
Ego Cõradus Imperialis Aulæ Cãcellarius vna cũ dño Gualtherio Regni Siciliæ Cancellario recognoui.

Acta ſunt hæc Anno Domini M.C.LXXXXV. Indict. 13. Regnante domino Henrico VI. Roman. Imper. inuictiſſimo, Anno regni eius 25. Imperij verò 4. Regni quoq; Siciliæ anno primo. Datũ apud Caſale nouum per manus Alberti Imperialis Aulæ Prothonot. nono Kal. Maij.

Nouo ſubeunte anno 1196. *Rogerius* noſter Eccleſiam ſiue Monaſterium *S. Leonis de Pannachio* Benedictinæ familiæ, quod Ætnæis ignibus vaſtatum inter ſuas ipſius ruinas abſumptum eſt anno 1536. *Eccleſia S. Gregorij* iuxta Paternionem, eiq; adhæreſcente terrarum tenimento donauit 6. Auguſti 1196. Tum Cœnobiũ prædictum, aliudue, quod *S. Mariæ de Licodia veteri* nuncupatur, in Monaſteria Benedictina erexit. Eaque vt in vnum corpus ſiue Monaſterium eiuſdem Abbatis gubernio ſubiecta coaleſcerent, edixit, *F. Petro de Confrate* in Abbatem expræfecto. Erectionis prędictæ, ſicut & aggregationis Reſcriptum habes apud tabulas *Monaſterij D. Nicolai de Arenis fol. 9. & 11.*

Sub iſtius anni ſpatium Rogerium vna cum reliquis Catanæ

primo ribus ab Henrico Cæsare captum, & in Germaniam abductũ celebratur *Chronicon Germaniæ cap. 19. auctore H. Mutio*, his verbis. *Henricus Catanam vi cæpit, & eius exercitus è Germania in vrbẽ irruens, primo furore in vrbe occidit omnes vtriusq; sexus, nulla habita ratione ætatis: captis vrbis primarijs, & EPISCOPO, incendit vrbem, nec passus est extingui, donec omnia exusta in cinerem redacta sunt. Episcopum autem vna cũ reliquis Catanæ primoribus in Germaniam captiuos abduxit.*

Acria inter Burgenses Catanẽ ses ciues suborta dissidia, quibus perniciosissimi in vrbe nõ semel excitabãtur tumultus, Pastorali sollicitudine compescuit noster *Rogerius*, ac penitus sedauit: egregiam quoq; in ijs componendis nauauit operam *Albertus Comes de Spanheim* genere Alemanus *Henrici* Augusti consanguineus. Edocet hæc initæ pacis instrumentum apud Eccles. tabulas in Regiſtro anni 1381. trãscriptum.

Anno 1201. nonnulli perditionis filij in *Rogerij* necem conspirantes, è vitis illum tollere studebant, *Rogerio de Marotta* fidei ac propitiatoris sui proditore choream ducente. Re tamẽ detecta, seditiosi meritas scelerum pœnas dederunt. *Marottæ* tamẽ facinoris auctori *Rogerius* indulsit, vitamq; vel dono dedit, vel a Principe impetrauit. Rem habes apud Episcop. tabulas *in lib. ann. 1381. fol. 1.*

Vetus *D. Mariæ de Licodia* Tẽplum, quod in Monasterium siue Abbatiam erexerat, nouis adauxit honorum incrementis; illius Abbati Pontificalia, Mitræ scil. ac Baculi indulgens insignia, scripto *Diplomate . . . . . Martij* 1205. Ratum id habuit *Gerardus* S. R. E. Cardinalis, & Apostolicæ Sedis in Sicilia Legatus, ac sua, qua fungebatur, muneris auctoritate stabilijt *8. Idus Ianuarij* 1206.

Qui cum creditæ sibi Ecclesiæ ad annos duodecim verbo & exemplo præfuisset, fato cessit anno 1207. Cuius effigies senili aspectu venerabilis hac circũ fertur Epigraphe.

Rogerius Catanæ & Episcopus Catanensis, ac Regis familiaris.

§. XXVIII.

GVALTHERIVS DE PALENA.

Anno Verbi 1207.

ROgerio sufficitur *GVALTHERIVS DE PALENA*, seu *de Palearijs*, genere Northmannus, *Henrico Imp.* cõsanguinitate propinquus, ac familiaris, magnus Siciliæ Cancellarius: ita namque con-

conceptam eius ſubſcriptionem in Regijs Diplomatibus inuenies. *Gualtherius Dei gratia Catanẽſis electus, & Regni Siciliæ Cancellarius.* Friderici Sicilię Regis poſt modum Imperatoris, dum impubes eſſet, ab Innocentio III. actor ſubſtitutus ac deſignatus, Troianus primùm in *Apulia* Epiſcopus conſtituitur; inde à *Cencio S. R. E. Cardinali*, atque in Sicilia Apoſtolicę Sedis Legato, nulla ab *Romano Pontifice* expetita aut expectata facultate, ad *Panormitanam* euehitur *Eccleſiam*.

Diſplicuit id Innocentio Sum. Pont. acres ideo ad *Cencium* ſcripſit Epiſtolas; habes eas in *cap. niſi ſpecialis 8. de Officio legati in Decretal.* quas genuino candori reſtitutas exſcribit *Antonius Auguſtinus* lectionis plurimæ vir & eruditionis in collect. ad hunc textum.

Renuit igitur *Innocentius Pontifex*, vt Gualtherius in Panorm. Eccleſia, in qua fuerat intruſus, ſederet Antiſtes, *Catanenſem* ideò præfecit Epiſcopum anno 1207. per obitum Rogerij, vt dicebam, Eccleſia noſtra Paſtoris ſolatio deſtituta: *Præcepit*, ſubdit Petrus hic, *ex Apoſtolicis literis 19. Nouembris tranſmiſſis Caro Archiepiſcopo Monteregalenſi, ne Gualtherium Catanenſem electum Regijs Friderici obſequijs, ac præſertim Cancellarij negotijs inuolutum, ad præſtandum ſibi Metropolitæ obedientiæ iuramentum cogeret, ſed differret.* Noſtrum verò iudicium habes *Chorda 2. Modulo 3. Excurſu 5.* & iterum hoc eodem Libello in *Leone IV. Catan. Epiſcopo §. 26. per tot.*

A

B

C

D

Gualtherio in Catan. Cathedrâ ſedente, *Conſtantia II. Auguſta, Sicilia Regina*, Friderici hoc nomine I. Siciliæ Regis vxor, pro eximia in ſuperos pietate, *Calatabiani* oppidum Catanenſi dedit Eccleſiæ ann. 1213. En Diploma.

COnſtantia Diuina fauente clementia Romanorum Regina ſemper Auguſta, & Regina Siciliæ, vnà cum Excellentiſſimo filio ſuo Hẽrico Illuſtri Rege Sicilia, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ.

Licèt ex commiſſi nobis cura regiminis Eccleſias vniuerſas Regni noſtri Siciliæ protegere, fouere, ac noſtris etiam debeamus beneficijs ampliare; quæ tamen ope, & opibus progenitorum Domini & viri noſtri pia ſunt deuotione fundatæ, tanto potius noſtrę ſunt gratię largitionibus ampliandæ, quanto propenſius ſucceſſiua quadã ipſius Domini & viri noſtri deuotione parentum, ad earum commoda trahimur, & in eis conſequendæ miſericordiæ ſpem gerimus potiorem.

Eapropter quia Catanienſem Eccleſiam à progenitoribus Domini & viri noſtri fundatam eſſe cognoſcimus, & magnis beneficijs etiam dotatam; ad indemnitatem eius eò magis benignitatis noſtrę ſtudium debemus apponere, quò ſibi & ratione ſeruitij, quod Dominus noſter vir, ac Nos pariter ab ea grande ſuſcepimus, & iure fundationis tenemur deuotione maiori.

Cum igitur dictus Dominus, & vir noſter, & nos cum eo dudum Catanam veniſſemus, Celſitudini Regiæ noſtræ innotuit,

tam relatione Conuentus ipſius Cataniẽſis Eccleſiæ, quam etiam noſtrorum fidelium aſſertione multorum, quòd Comes Paganus, & Comes Gualtherius de Pariſio ipſam Cataniẽſem Eccleſiam vltra modum in bonis ſuis ſæpe ſæpius expoliauerint, & frequenter afflixerint fideles ipſius Eccleſiæ per incurſus plurimos, & rapinas, violantes iuramẽtum pacis, quo ipſi eidem Catanienſi Eccleſiæ, & ipſius terræ Burgẽſibus tenebantur. Interim autem Comite Gualtherio ſublato de medio, cum ex mentis perfidia Comitis Pagani venerit, vt Excellentiſſimus dominus, & vir noſter ipſum tanquam perfidum proditorem capi fecerit, ex eo quòd ſe Maieſtati ſuæ oppoſuit, & contra perſonam Regiam arma ſumere non expauit; vniuerſa bona ſua quæcumq; in Regno Siciliæ habuit, publicari mandauit, & ea ſtatuit perpetualiter confiſcari. Quia igitur dicti Comes Paganus, & Gualtherius, ſicut dictum eſt, nominatæ Catanienſi Eccleſiæ afflictiones & damna multa intulerant, nullã aut erga Maieſtatem Regiam, aut Iuramentum quod præſtiterant, reuerentiam exhibentes: dilectus Cancellarius, & fidelis noſter GVALTHERIVS venerabilis Catan. Epiſcopus, vna cũ conuentu ipſius Eccleſiæ ſupplicarunt domino noſtro Regi, ac Nobis, vt Caſtrum Calatabiani cum caſibus, villanis, terris, tenimentis, & pertinentijs ſuis, quod ſicut dictum eſt, ex prædicta proditione Comitis ad Fiſcũ Regium fuerat deuolutum, ipſi Catan. Eccleſiæ obtentu obſequiorum, quæ dominus noſter, & nos inde ſæpius recepimus; intuitu quoq; damnorum, quæ ipſi Comites dictę Eccleſię contra iuſtitiam intulerunt, concedere dignaremur.

Nos autem attendentes ingẽs ſine intermiſſione ſeruitiũ, quod Dominus & Vir noſter, & Nos ab ipſa Catan. Eccleſia, & dicto Cancellario & fideli noſtro Catanienſi Epiſcopo habuimus, & habemus, Conſiderãtes quoque donum, quod de ipſo Caſtro idẽ Dominus noſter, cum præſens erat, ipſi Eccleſiæ coram Venerab. in Chriſto patre noſtro Gregorio tit. S. Theodori Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato liberaliter fecit, neç nõ & immenſa grauamina, & iacturas, quas eadem Catan. Eccleſia a nominatis Comitibus grauiter, & ſæpe ſuſtinuit. Licet, quod nõ duximus omittendum, Caſtrum ipſum Comes Armaleo de Regia conceſſione teneret, & vellet vẽdere alijs, per quos ſeruitia noſtra impediri poſſet, & dicta Catan. Eccleſia damnificari valeret, ſolutis de mandato, & licentia noſtra ipſi Comiti Armaleoni quindecim millibus tarenorum, ſicut potuerint ad inuicem conuenire, de gratia noſtra, & ob meritum dicti Cancellarij fidelis noſtri ſupplicationem eorum clementer admiſimus, dictum CASTRVM CALATABIANI à prædicto Comite Armaleone, ſicut dictum eſt, emptum, ipſi Catan. Eccleſiæ loco, & vice

Do-

Domini & viri noſtri, cum omnibus tenimentis & pertinentijs ſuis Auctoritate regia concedentes, præſenti Priuilegio perpetuo confirmamus. Statuentes vt Caſtrum ipſum Catan. Eccleſia omni futuro tempore ſemper habeat, & ſine moleſtia, vel grauamine alicuius pacificè poſſideat, & quietè. Vniuerſis inhibentes attentius, ne de Caſtello ipſo Catanēſem Eccleſiam aliquatenus in poſterum quiſpiam inquietet.

Ad huius autem noſtræ Conceſſionis & confirmationis memoriam, & robur in perpetuum valiturū, præſens Priuilegiū per manus Philippi Notarij, & fidelis noſtri ſcribi, & maieſtatis noſtræ ſigillo iuſſimus communiri.

Datum in Ciuitate Meſſanæ Anno Dominicæ Incarnationis 1213. *Menſe Martij* 1. *Indictionis. Regni verò Dom. noſtri Friderici Dei gratia Illuſtriſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno* 15. *Regni verò Romanorum* 1. *Regni autem domini noſtri Henrici filij eius, Dei gratia Illuſtris Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno* 2. *Regni verò dominæ Conſtantiæ Dei gratia Illuſtris Reginæ Romanorū ſemper Auguſtæ, & Reginæ Siciliæ, Regni Siciliæ* 4. *Regni autem Romanorū* 1. *Feliciter. Amen.*

Ex huius Reſcripti ſerie illud initio edocemur: *Conſtantia* oppidi huius domatrix Regis Aragonum filia fuit, ac *Friderico Regi* Henrici VI. Cæſaris filio deſponſata anno 1209. *Innocentio III. Summo Pontifice* nuptias ſollicitante. Ex ijs *Henricus* primogenitus naſcitur anno 1211. quem in Regni Sicilię conſortem illico *Fridericus* pater adſciuit.

Tum Comes Paganus, Comes itē Gualtherius de Pariſio Auellani in Calabria Comites olim fuere, ſuum ipſorum genus ab Hadrani dominis ducentes. Plurima in *Sicilia* poſſederunt latifundia, inter quæ *Calatabianum* oppidum. *Friderico* aliquando militarunt, mutatis tādem inſignijs ab eo defecerunt anno circiter 1298. bonorum ideò omnium expoliatione à Rege mulctati.

Ad hæc. Caſtrum hoc, ſiue oppidum non gratuita Regis elargitione *Catanenſi Eccleſiæ* condonatum eſt, ſed iuſto exburſato pretio comparatum, hodie ab Eccleſiæ patrimonio, ac ditione, neſcio quo fato ſubtractum eſt: eò vel maxime, quia agitata olim de oppido iſto cauſa Epiſcopo tandem in contradictorio iudicio adiudicata eſt, anno 1267. vt in Othone Capocio dicemus.

Degebat per id temporis in Sicilia *Gregorius Cardin. Creſcentius* Apoſtolicæ Sedis Legatus, cuius auctoramento elargitio hæc cōprobata eſt, ac ſtabilita.

Gregorius miſeratione Diuina S. Theodori Cardinalis Sānæ Apoſtolicæ Sedis Legatus. Venerabili fratri Gualtherio Catanienſi Epiſcopo in Regno Siciliæ Cancellario, & dilectis filijs Conuentus Catanienſis in vero ſalutari ſalutem.

Dignum eſt, & rationi cōſentaneum, vt quæ ratione præuia ſunt ſtatuta, gaudere debeant perpetua firmitate. Ea propter dilecti in Domino fratres, veſtris iuſtis

iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, CASTRVM CALATABIANI, quod dom. Fridericus Romanorũ & Siciliæ Rex Illuſtris dudũ vobis, & Eccleſiæ veſtræ in præſentia noſtra cõceſſit, & poſtea de mandato Illuſtris Reginę nobili viro Comiti Armaleoni pro eodem Caſtro quindecim millia tarenorum ſoluiſtis, ſicut in Priuilegio ab ipſa domina Regina vobis, & Eccleſiæ veſtræ facto pleniùs continetur: dictum Caſtrum ſicut eſt vobis & Eccleſiæ veſtræ à Regia liberalitate conceſſum, vobis & Catanienſi Eccleſiæ auctoritate Legationis, qua fungimur, confirmamus & præſẽtis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, & Eccleſiæ Romanæ nouerit incurſurum.

Datum Meſſanæ 15. menſis Martij primæ Indict. 1213.

Hoc eodem anno Antiſtes noſter tres numero moletrinas aquarum fluentis ex Fonte, quem *Gemma Zita* vulgus appellat, agitatas *Guillelmo & Roſae Francinæ* voluit conceſſas, ſcripto ad id Inſtrumento in *Eccleſiae Tabulario ad diem . . . Iunij* 1. *Indict.* 1213. Notitijs id nequaquã ſubtrahendum duxi, tũ vt certò ſcias multo copioſiores quàm noſtra conſpicias ætate, fuiſſe aquarum ſcaturigines ex fonte illo manantes: tũ vt intelligas, quid in rebus humanis valeant rerum viciſſitudines, quando ad ſplendidiorẽ vrbis ornatũ ea demolita legimus, quæ iuſtiùs fuiſſent extruenda.

Largitionem *Eccleſiae S. Trinitatis, & D. Nicolai* cum iuribus earum omnibus *in agro Centorbi propè flumẽ, quod dicitur Pſmitrum*, qua Catanenſẽ Eccleſiã donarat *Gauffridus Secretus* Ioannis Secreti (cuius meminit *Pirrus in Notit. Meſſan. ad annum* 1176.) filius, ſcripto ad id inſtrumẽto per manus ſ. Roberti de Paternione Eccleſię S. Marię de Centorbi Prioris, ratam acceptamq; habuere *Nicolaus, Adamus, & Andreas* germani fratres, *Gauffridi*, quem dicebam, filij; *Gauffridus* item, & *Simon* Nicolai, cuius præmemini mus, filij, ac tandẽ *Rodia* Andreę filia; *Gualtherio*, eiuſq; in Catan. Cathedra ſucceſſorib' firmã fore mãdantes. Ram habẽt *Eccleſiæ Tabular. . . Aprilis* 1216. *Indict.* 5.

Sacrarum Virginum collegiũ ſub Regulari diſciplina *S. Claræ* adhuc viuentis, quæue ſanctiſſimo Monialium inſtituto ſub legibus S. *Franciſci* iam initium dederant, à fundamentis erexiſſe ann. 1220. nomine ab *Sancta Maria Virginum* accepto, ac 40. ſanctimonialibus illuc introductis, ſcribit *Pirrus ad hunc annum fol.* 35. ibidemq, *Aleonoram Siciliae Reginam* ſacris mancipatam inſtitutis ſe ſe recepiſſe ſubiungit *fol.* 41. *in huius noſtrae Eccleſiae Notitia*: quod & fatetur *P. Lucas Vuadingus Annal. Minor. tom.* 1. *ad annum* 1258. *nu.* 23. in anno conſignando dumtaxat diſſentiens.

Paren-

Parentalia, quibus *Conſtantiæ Aragoniæ* Friderici II. Auguſti vxor regio more tumulata eſt *Catanæ*, vbi diē ſuum obierat 23. Iunij 1222. perſoluit noſter Antiſtes, ſacris item ritibus expiauit. Regium deinde cadauer *Catana* Panormum traductum eſt, auctore *Fazello Decade 2. lib. 7. cap.* 57. Peruetuſta Ænea lamina in illius tumulo adinuēta (quando Regia Sepulchra ann. 1499. curioſiùs exploraretur *Ferdinandus Acunna Prorex*) hęc proloquēte.

Hoc eſt corpus Dominæ Conſtantiæ III. Imperatricis ſemper Auguſtæ, Reginæ Siciliæ, vxoris Domini Imper. Friderici & Siciliæ Regis, & filiæ Regis Aragonum. Obijt autem anno Incarnationis 1222. die 23. Iunij x. Indict. in Ciuitate CATANÆ.

Per hæc temporum confinia anno ſcil. 1232. Fridericus, quem dicebam, Catanam eò quod Romano Pontifici adhæſiſſet, quādo ipſe, ob peſſundatas Eccleſiaſticas leges, Imperiali titulo, Regio item diademate fuerat iure priuatus, ſolo æquandā, Catanenſes item omnes enſe tranſfigendos barbaricè demandarat. Atqui dum impium decretum exequi ſtudet, AGATHA conciuium ſuorum ærumnas miſerata Fridericum ab eo exequendo deterruit. Dum etenim ſacras preces e libello recitaret, pro Pſalmis & Orationibus in quolibet Pſalterij folio ter verba hæc, *NOLI OFFENDERE PATRIAM AGATHÆ, QVIA VLTRIX INIVRIARVM EST*, aureis characteribus exarata vel inuitus legit. Rei nouitate perculſus impiam, quam edixerat, ſententiam protinus abrogat, ciuibus indulget, vrbem deniq; ſeruari iubet illæſam. Ne tamē Cæſar eo verbo derogaretur, Portam quādam in vrbis meditullio erigendam iubet, qua ciues omnes gladijs alias transfigendi, locatis pūctim enſibus vtrinque duobus, pertranſirent illæſi.

Veriſſimam hanc cęlitus indictæ comminationis cantilenam ſuppoſititio partu fucū ementitam criminatur *Rocchus Pirrus in Catan. Eccleſ. Notit. ad hunc annū fol.* 49 & nouiſſimè *Auguſtinus Inueges in ſua Panormo ſacra fol.* 196. Vtriuſque cenſionem largiſſimè ex induſtria, nec tamen extra lineam, refellebam ego ipſe *Catan. Decach. chord. 6. Mod. x. fol.* 48. *& ſeq.* & iterum *in libello AGATHA CATANENSIS cap. 27. fol.* 156. Ut patis Scriptorū ſuffragijs, rationum momētis, Inſcriptionum acceſſionibus, Experimentis deniq; omni ſemper ęuo comprobatam Hiſtorię huius veritatem demonſtrans, euincenſq; ad ibi congeſta ęquiſſimum delego Lectorem, ne videar actum agere, & Penelopis telam retexere.

Paſtoralis vigilantiæ laudibus ſummopere cōmendatur noſter Gualtherius, & qui antea in *Cancellariæ* munere obeūdo, in Regę vel maxime ſanctis morib' imbuēdo, eius itē patrimonio fideliter adminiſtrando impollutus sēper audierat, in Epiſcopali officio fortis & inuictus apparuit. Cum etenim *Fridericus*, Eccleſiaſticis legibus peſſundatis humana diuinaq;

naque Iura pro libito violasset, *Italiam* nouis factionibus interuertisset, Catanam Vrbem *Catanensem* item *Ecclesiam* Iuribus, prædijs, prærogatiuis expoliasset, (quis talia fando temperet à lacrymis) constanter ipse veri Pastoris munus executus, Regis obstit furori, graues ideo ab eo sustinuit iacturas, carcere, exilio, fortunarum deniq; expoliatione mulctatus; Adeundus ad rem *Fazellus Decade 2. lib. 8.* ita rem versans. *Demũ Fridericus omnẽ iram, qua Papam Gregorium IX. prosequebatur, transfudit in Prælatos, quorum multos Archiepiscopos, Episcoposq; partim occidit, plures carceri addixit, nonnullos exilio mulctauit, in quibus fuerunt Cephaludensis, & CATANENSIS cuius fuerat alumnus.*

Paria refert P. *Iucas Vuadingus tomo 1. Annal. Minor. ad annum* 1238. ita scribens. *Fridericus neq; inito fœdere pacatior, neq; Pontificis indulgentia, vel conuenientia melior effectus, vel clam, vel palam, ex quacumq; occasione Ecclesiæ iura violabat, viris sacris molestias plurimas inferebat. Gregorius frequenti misso nuncio ad saniorem mentem furentem vocare conatus nihil omisit, quod pij patris, aut æqui esset rectoris; nihil tamen profecit, imo in se, suosq; insaniem excitauit, ita vt pro scelere sufficeret Gregorianæ partis haberi, crudelitatem inauditam in Prælatos exercuit, quorum multos Archiepiscopos, & Episcopos partim occidit, plures carceri addixit, nonnullos exilio mulsauit, in quibus fuerunt è Sicilia Episcopi Cefaludensis, & CATANENSIS, cuius fuerat alumnus &c.* Ærumnis ideo ac pressuris actus, mortalis exuit anno circiter 1259. Dignus qui à mortali hac gloria & caduca ad Immortalem & perennem transierit.



§. XXIX.

OTHO CAPOCCIVS.

Anno redempti orbis 1254.

OTHO, siue, *ODDO CAPOCCIVS*, patria Trojanus, ingenua inter Neapolitanos familia exortus (*Anguinum alibi lego*) *Catanensi Ecclesiæ* datur Episcopus ann. 1254. Religionis propagandæ studiosissimus, plurima, eo auctore, pro Religiosorum cœtibus in vrbe recipiendis excitata sunt domicilia. Fratribus minoribus in primis Ædem S. *Archangelo Michaeli* sacram in area Castri Vrsini concessit, scriptis *Catanæ literis 13. Kal. May.* 1255. Dispungendus ideò Pirrus hic, *Othonem*, dũ Romæ ageret apud *Alexandrum IV.* confirmasse *quòd fratres Franciscani sedem fixissent Catanæ in Castri Vrsini templo S. Micha-*

Michaelis affirmans fol. 35. Conceſſionẽ hanc ratã habuit *Alexander VI.* ſummus ſacrorum Antiſtes ſcriptis literis *Romæ V. Kal. maij* 1256. in quibus potiſſimum actũ eſt, ne Catan. Eccleſiæ Canonicorum aſſenſus defectu, Templi conceſſio valeat vnquã infirmari. Plura ad rẽ vrgebam *in Catan. Decachordo tom.* 1. *Chord.* 2. *Mod.* 8. *Excurſ.* 1. *& iterũ Chord.* 7. §. 9. *fol.* 105. cum de Regio S. Franciſci Seraphici Tẽplo, eiuſq; fundatione pertractarem.

Anagniæ cum eſſet, quamuis ab Eccleſia ſua abſens, monachis monaſterij S. *Leonis* Benedictini Inſtitũti Eccleſiam S. *Cataldi* in oppido Paternionis indulſit, eòq; tranſmigrandi facultatem fecit 3. Nonas Iulij 1256. ſcripto ita Diplomate.

OTHO miſeratione Diuina Catan. Epiſcopus electus Religioſo viro Abbati, & Monachis monaſterij S. Leonis Catan. Diœceſis ſalutem in Domino.

Cum ex parte veſtra fuerit nobis propoſitum, quòd locus vbi Monaſterium veſtrum ſitum eſt, propter corruptionem aëris habeatur infirmus, & ibidem permanere commodè nequeatis, attendentes Nos deuotionem veſtram, quæ ſuis obſequioſis meritis noſtram gratiã promeruit, & ob id veſtris precib' grato cõ deſcendentes aſſenſu, præſentiũ vobis auctoritate concedimus, vt ad Eccleſiã S. Cataldi de Paternione, quæ ad nos pleno iure pertinere dignoſcitur, vos tranſcendere libere valeatis, ipſam cum ſuis pertinentijs perpetuis temporibus habeatis. In cuius rei teſtimonium præſentes literas noſtri fecimus Sigilli impreſſione roborari. *Datum Anagniæ* 3. *Nonas Iulij anno Domini* 1256.

Latifundia, ac Iuriſdictiones quibus Catanenſis Eccleſia à Siciliæ Regibus, ceteriſq; optimatibus fuerat donata, ſed a Friderico per ſummam tyrannidem expoliata, quando aduerſus Prælatos omnes, ſed Catanenſes in primis, carnificinam exercebat, Caroli item Andegauenſis connuentia depompata (ſub id ferè tempus Carolus Andegauẽſium Dux, S. Ludouici Gallorũ Regis frater, qui a Clemente IV. Siciliæ Rex fuerat deſignatus, Siciliam aduentans, Regno fuerat potitus anno 1266.) ea omnia Eccleſiæ ſtudioſiſſimus reſtituẽda curauit

Extant in *Eccleſiæ Tabulario* inſtrumenta omnia, quibus in contradictorio iudicio cauſa hæc diù agitata, *EPISCOPO* tandem adiudicata eſt; ea huc euocare nimis arduum foret, & moleſtum; ſententiã dumtaxat quæ calculũ certò adijcit, exſcribemus.

In nomine Domini. Amen.

Anno eiuſdẽ Natiuitatis 1267. Pontific. Clementis Papæ IV. anno 3. die X. menſis Septembris Indict. X. Notum ſit vniuerſis, quòd in præſentia mei Notarij & teſtium ſubſcriptorum, Venerabilis pater Dominus Rodulphus Epiſcopus Albanenſis, in Italia Apoſtolicæ Sedis legatus inquiſitor, ſeu executor ab eadem ſede deputatus in Regno Siciliæ ſuper reſtitutionibus rerũ Eccleſiaſticarũ, exulibus, clericis, Eccleſijs,

ac perſonis Eccleſiaſticis faciendis, protulit definitiuã ſententiam tenoris ſequentis.

Dei nomine inuocato. Quia nobis conſtitit ex tenore Inſtrumentorũ ſeu Priuilegiorũ exhibitorum corã nobis, cognitionem cauſarum criminalium in Ciuitate Cataniæ, Terras & caſtrum Iacij ad dictam Eccleſiã ſpectare, & pertinere, & per atteſtationẽ teſtium productorum dictã Eccleſiam fuiſſe in poſſeſſione, vel quaſi, cognitionis cauſarum criminalium in Ciuitate Cataniæ, Terris Iacij, S. Anaſtaſiæ & Maſchalarum, & in poſſeſſione vel quaſi cuſtodiæ Portus Ciuitatis Cataniæ, & in poſſeſſione vel quaſi tertiæ partis Dohanẽ eiuſdem Ciuitatis, & in poſſeſſione vel quaſi Caſtri Calatabiani cum ciuibus, juribus, & pertinentijs ſuis, & prædictam Eccleſiam fuiſſe per dom. Fridericum olim Roman. Imper. præmiſſis omnibus & ſingulis ſpoliatã: & dominũ Carolum Illuſtrem Regem Siciliæ per Officiales ſuos præmiſſa omnia & ſingula detinere.

Ideo decernimus, arbitramur, & pronuntiamus ſententiando, dictum Epiſcopũ nomine dictæ Eccleſiæ ad poſſeſſionẽ vel quaſi cognitionis cauſarum criminalium in Ciuitate Cataniæ & Terris Iacij, S. Anaſtaſiæ, & Maſchalarum, & Cuſtodiæ Portus Cataniæ, & tertiæ partis prædictæ Dohanæ Ciuitatis eiuſdem, & ad poſſeſſionem Caſtri Calatabiani cum omnibus pertinentijs ſuis debere reſtitui, & dictũ Regem ad reſtitutionem poſſeſſionis, vel quaſi omnium præmiſſorum & ſingulorum ſententialiter condemnamus, ac omnia & ſingula reſtituimus ſupradictis procuratoribus dicti Epiſcopi nomine ipſius, & Eccleſiæ prædictæ, ac reducimus eoſdem procuratores nomine Epiſcopi & Eccleſiæ Catanienſis in eum ſtatum, circa omnia & ſingula, in quo erat Catan. Eccleſia deſtitutionis tempore memoratæ: & ad maiorem huius rei memoriã, & euidentiam pleniorem, & cautelam dicti domini Epiſcopi, & Eccleſiæ Catanienſis, huic ſententiæ Sigillum noſtrum duximus apponendum.

Lata fuit hæc ſententia Cuſentiæ per ſupradictum dominum Legatũ ſub anno, Pontif. menſe, die, & indictione prædictis. Præſentibus venerabilibus patribus domino Epiſcopo Neocaſtrenſi, domino Epiſcopo S. Marci, dom. Epiſcopo Squillacenſi, domino Electo Vigilianenſi, dom. Electo Yſernienſi, domino Abbate S. Ioannis Anglian. domino Philippo Archidiacono Tripolitano, dom. Bartholomæo Archidiacono Meſſanenſi, domino Blaſio Archidiacono Raplano dom. Ioanne Archidiacono Cuſentino, Magiſtro Iacobo de Anagnia, & alijs, qui rogati ſunt teſtes huius rei.

Ego Angelus de Narnia auctoritate S. R. E. Notarius, & Actorum Curiæ dicti domini Legati, hanc ſententiam de mandato ipſius domini ſcripſi, & publicaui.

Sententiæ huius ſanctionem ratã habuit Carolus Siciliæ Rex, qui & vniuerſa per Apoſtolicæ

Sedis

Sedis legatum Catanẽsi Eccleſiæ adiudicata à Regijs adminiſtris exequenda pariter ac reſtituenda præcepit.

Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Andegauenſis Prouinciæ, & Falcalquarij Comes &c

Vniuerſis Iuſtitiarijs, Secretis, & Viceſecretis per Regnum Siciliæ conſtitutis fidelibus ſuis gratiam ſuam, & bonam voluntatẽ.

A Venerabili Patre domino Rodulpho Dei gratia Albanenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis legato literas recepimus in hac forma.

Excellenti viro, & Magnifico domino CAROLO Dei gratia Illuſtri Regi Siciliæ, Rodulphus miſeratione diuina Epiſcopus Albanenſis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſalutem in eo, qui Regibus dat ſalutẽ, & proſperitatis augmentum. Excellentiam veſtram volumus non latere, quod Nos fideliter extrahi fecimus ex actis originalibus Curiæ noſtræ nomina tam Monaſteriorum, quàm aliorum, pro quibus reſtituendis & ſuper quibus rebus ſpecialiter deſignatis definitiuas ſententias duximus promulgãdas; quæ nomina vobis per dilectum filium magnificum Ioannem Archidiaconũ Meſſanenſem Capellanum noſtrum deſtinauimus, prout inferiùs annotatur. Excellentiam veſtram rogantes ex affectu, quo poſſumus ampliori quatenus poſſeſſionem rerum per vos adiudicatarum nomine Monaſterij, & aliorum eidem Archidiacono, quem ad hoc ſpecialiter deputauimus, verbo reſtituatis, & eaſdem ſententias faciatis ad inſtãtiam illorum, pro quibus latæ ſunt, ſeu Archidiaconi memorati, per Iuſtitiarios ſingulos, in quorum Iuſtitiariatu res prædictæ conſiſtunt, ſine moræ diſpẽdio, ſaluo iure proprietatis, quod ſuper ea voluerint experiri, executioni tam celeri quàm debitæ demandari. In Sicilia Epiſcopo Catanienſi fuit adiudicata reſtitutio poſſeſſionis vel quaſi Iuriſdictionis cauſarum criminalium in Ciuitate Cataniæ, ac terris Iacij, S. Anaſtaſiæ, Maſcalarum, & cuſtodiæ Portus Ciuitatis Cataniæ, tertiæ partis Dohanæ Ciuitatis eiuſdem, & poſſeſſio Caſtri Calatabiani cum iuribus & pertinentijs ſuis.

Datum Nonis Auguſti Pontificatus domini Clementis Papæ IV. anno 4.

Nos igitur iuxta ipſius Legati requiſitionem, diſcreto viro magnifico Ioãni Archidiacono Meſſanenſi Capellano Legati eiuſdem nomine ſuo, & Eccleſiarũ, Monaſteriorũ, & perſonarum, quibus idem domin. Legatus decernendo ſententiauit, ſeu ſententiando decreuit fore faciendas reſtitutiones rerum occupatarũ, ſeu inuaſarum temporibus quondam Friderici olim Romanorum Regis Imper. Conradi, & Manfredi natorum eius, vel alterius ex eis, poſſeſſionem prædictarũ rerum verbo reſtituentes, vobis vniuerſis, & ſingulis firmiter, & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus Prælatos Eccleſiarum, Monaſteriorum, & eumdem Archidiaconum, ac perſonas, & loca alia, quibus adiudicata eſt per

A prædictum Legatum rerum poſſeſſio prædictarum, ſeu procuratores eorum in corporalem poſſeſſionem prędictarum rerum in decretis vobis Prouincijs conſiſtentium, iuxta tenorem ſententiarum eiuſdem Legati vobis exhibendarum, auctoritate noſtra inducatis, & defendatis inductos. Iure proprietatis Nobis, & quibuslibet alijs ſemper ſaluo in pręſentis executione mandati præ- B ceptum, ſeu iuſſionem aliam nullatenus expectantes.

Datum apud Stulculan. 8. Auguſti xi. Indict. Regni noſtri anno 4.

Hanc porrò in temporalibus iuris dicendi facultatem Pontificio, vt vides, Regio item ſtabilitam munimine, Epiſcopū poſtmodum in Catanenſes exercuiſſe teſtatur Pontificium Nicolai IV. Diploma datū Viterbij anno C 1289. integrum illud exſcripſi *Catan. Decad.6.Chor.2. Mod.8. Excurſ.1. fol.148.* Verba ad rem opportuna replicabo. *Verum quia,* inquit Pontifex, *in literis earumdem confirmationis, & concesſionis ſpecialis mentio non habetur, quod Epiſcopus Catanēſis in Ciuitate prædicta IVRISDICTIONEM OBTINET TEMPORALEM. Vos dubitantes ne ſuper eodem loco,* D *in quo ad præſens moramini, & Eccleſiam iam fundatā habetis, & Cœmeterium benedictum, poſſit vobis inferre moleſtiam &c.*

Quid præter hæc egerit *Otho*, nec ſcripto, nec traditione compertum habeo (malo meā pauperiem liberè fateri, quam in furto deprehendi, ne cum diues videri volo, decoctus appaream) præſtat tamen coniectari, commiſſum ſibi gregem gladio verbi Dei ſubiectū inter *Gallorum* preſſuras verbo & exēplo cōtinuiſſe.

Subdubitat tamen, & Recte, *Rocchus Pirrus hic ad annum* 1267. num noſter Epiſcopus exilio vel nece fuerit à *Guidone* Montisfortis Comite, Regiæ Caroli Andegauēſis Claſſis Præfecto mulctatus, vtpote Cæſareorū fautor, quando obſeſſa captaq; Vrbe à Gallis, *Catanenſes*, ac reliqui omnes, qui *Conrado Caputio* Antiochiæ Principi, *Friderici Cæſaris* ex Friderico filio nepoti, in Catan. Prouincia tunc præfectum agenti, libenter adhæſerant, capto *Conrado*, ac luminibus orbato, iterū in Gallorum deditionem venere, id tamē exacto iam anno 1269. eueniſſe verius eſt.

§. XXX.

ANGELVS BOCCAMATIVS.

Anno à Gabrielis aue 1272.

ANGELVS BOCCAMAZA, ſiue *Boccamatius*, Romanus, vt antiquæ proſapiæ; quam

à Sabelliorum familia inter Romanos preclariſſima repetebat, ita promiſcuę eruditionis fama, ac virtute præcipuus: *Ioãnis Boccamatij* Cardinalis, & Archiepiſcopi Mõtis Regalis in Sicilia germanus frater, *à Nicolao III. Catanenſi Eccleſiæ* datur Epiſcopus anno 1272. Vitę integritate ſpectatiſſimus, *Carolo* Siciliæ Regi pretioſus; quippe qui illius fidei plurima Rex ipſe crediderit bona proſuo ipſius arbitrio fidelibus imperti enda, quę aliàs Regio ęrario ex perduelliũ fortunis fuerant addicta. Teſtatur hęc *Diploma*, in Eccleſię tabulario hac adiecta Epigraphe. *Priuilegiũ continens quo modo dominus Rex Carolus mãdauit, quod bona aliquorum proditorũ ipſius Regis aſſignarentur domino Angelo Epiſcopo Catanenſi diſtribuenda per ipsũ fidelibus regijs, prout ipſi Epiſcopo videretur, & qualiter ipſe Epiſcopus bona predicta conceſſit multis perſonis ſub annua præſtatione iuris cenſus, datum anno* 1272.

In noſtri Epiſcopi gratiã ſæpedictus *Carolus* Rex facultatẽ fecit Catan. Epiſcopo, & Eccleſiæ percipiendi anno quolibet *Decimas, & tarenos veterum iurium, & prouentũ Regiæ Curiæ in omnibus terris Diœceſis Catan. nec non* 250. *tarenos auri ponderis generalis de prouentibus Ciuitatis Calataieronis.* Hoc diplomate.

CAROLVS Dei gratia Rex Ieruſalem, Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuae, Princeps Achaiæ, Andegauiæ, Prouinciae Forcher, & Donundor Comes.

Secretis, Magiſtris procuratoribus, & Portulanis Siciliae &c.

A

CVM in ſignũ vniuerſalis dominij eius, qui dat omnibus omnia, ex diuina inſtitutione noſcantur Decimę conſtitutæ, Arcẽdum profectò, & multa cenſetur animaduerſione plectendum, ſi per humanã fraudẽ aut malitiam in reddendis eiſdem aliquale ſubtractionis vel dilationis diſpendium ingeratur.

B

Supplicante igitur nobis Venerabili patre Catanenſe Epiſcopo deuoto noſtro, vt ſuper exhibẽdis ſibi ſingulis annis Decimis veterum Iurium, & prouentuum Curię noſtrę in omnibus Terris Catanenſis Diœceſis, nec non 250. tarenis auri ponderis generalis de prouentibus terrę Calatieronis, quas Decimas & tarunos ratione Caſalis Iudicę, & S. Marię de Raſo prędeceſſores eius & ipſe annis ſingulis conſueuerunt percipere, & habere; In quorum etiã exhibitione per officiales Curię noſtrę fraudari, diuerſiſq; calumnijs ſe fatigari conqueritur, opportunum adhibere remedium dignaremur.

C

Nos fraudi, & temeritati huiuſmodi viã præcludere omninò volẽtes Fidelitati veſtrę diſtrictè præcipiendo mãdamus, quatenus ad requiſitionẽ ipſius Epiſcopi, vel eius procuratoris diligẽter inquiratis, an Decimas, & Tarenos, quos petit, ſint a Catholicorum Regum Siciliæ temporibus, tam ipſe, quam prædeceſſores ſui percipere conſueti: & ſi per inquiſitionem huiuſmodi diligenter per vos faciendam, quãmodò vlterius fieri nolumus, ita ſingulis veſtrũ in officio Secretiæ, & procuratio-

D

nis

nis ſucceſſoribus, vt iterari cauſam non oporteat, volumus aſſignari: conſtiterit dictum dominum Epiſcopum conſueuiſſe percipere huiuſmodi Decimas, & tarenos, ei integraliter infra feſtum Pentecoſtes, ſiquidẽ in pecunia fuerint, ſi verò in victualibus, alijſue fructibus, infra menſem, poſtquam fructus recollecti fuerint, memorato Epiſcopo, vel eius procuratori, nullo alio ſuper hoc à nobis expectato mandato pro anno pręſenti 7. Indictionis, & deinde ſingulis annis, abſq; difficultate aliqua, perſoluere & exhibere curetis, & recipiatis proinde ab eo idoneam Apodixiam.

Sciturí quòd ſi iuxta pręſcriptã formã in prefatis terminis eidẽ Epiſcopo huiuſmodi Decimas & tarenos non ſolueritis, Nos ad duplum illius quantitatis pecunię, vel victualiũ, aut fructuũ in auro exhibituros, vel ſoluturos Decimas, ad quas vos ex nũc noſtrę Curię condemnamus: nec nõ expenſas & damna quę idem Epiſcopus propterea incurret, & ad quę reſtituenda & reſtaurãda Nos ex nunc vos ei teneri decernimus, & extorqueri à vobis tã per noſtram Curiam, quàm per ipſum Epiſcopũ irremiſſibiliter faciemus.

Nõ obſtãtib⁹ quibuſcũq; mãdatis contrarijs ſub quacũq; forma verborũ vobis factis, vel in poſterum faciendis, per quę poſſet ipſarũ Decimarũ, & tarenorũ ſolutio, vel exhibitio differri, diminui, vel aliquatenus impediri; niſi plenam & expreſſam, ac de A verbo ad verbũ facerent de pręſentibus mentionẽ, quamuis talia mandata contraria, Deo fauente, noſtrũq; benignè proſequente propoſitum, dare nullatenus intendamus. Reſignetis autẽ ſtatim eidẽ Epiſcopo vel procuratori ſuo preſentes literas, poſtquã eas in publicã formã ad noſtram cautelam ſeruãdas feceritis redigi, quas tã apud vos, quàm apud ſingulos ſucceſſores veſtros eam- B dem vim volumus obtinere.

Datum apud Lacũ Penſilem anno Domini 1279. *die* 26. *Iulij* 7. *Indict. Regnorum noſtrorum Ieruſalem anno* 3. *Siciliæ verò* 15.

Illud monuiſſe oportet. Decimas ac tarenos, de quibus in recitato Reſcripto, exactis iamdiũ temporibus Iudicę oppidum, & *Eccleſiæ S. Mariæ de Raſo* Catanenſi Eccleſię, cuius iuribus ceſſerãt, C exſoluebant. Quo autem tempore *Centorbium*, & illi propiùs adhærens *Iudich*, ſolo æquata ſunt anno 1232. prouentibus iſtis orbata ſpoliataque fuerat Catan. Eccleſia. Habes id in eiuſdẽ tabulario *ad diem* 26. *Auguſti* 7. *Indict.* 1279. & iterum in Libello, cuius Epigraphe: *Liber continens diuerſa Priuilegia, & Acta in materia Epiſcopatus & Iuriſdictione* [illegible] *f.* 14. D Quod ergo ſacrilega Friderici rabies abſtulerat, hoc *Caroli* pietas reſtituit, vt dicebam.

Subdit *Pirrus hic ex Lello Hiſtor. Montis Regalis part.* 2. *fol.* 57. Angelũ noſtrũ Ioãni eius germano fratri Archiepiſcopo Montis regalis, vel ſuo Metropolitæ, quamuis abſenti, ſanctè ſe obſtrinxiſſe anno 1279. Atqui vtriuſq; cen-

ſionem

ſionem refellebam ſuperius in Leone IV. §. 26. ſect. 6. fol. 110. non eſt igitur cur eadem operoſius modo diluere ſit neceſſe.

Anno 1282. *Ioannis Prochitæ* Catanenſis patricij artibus Gallorum tragœdia peracta eſt, Gallis omnibus in *Sicilia* ad veſpertinas horas, ipſa die reſurgenti Domino ſacra, vel, vt alij malunt, tertia Paſchatis feria, trucidatis. Tum Siculi populi *Petro Aragonenſium Regi*, iure vxoris *Conſtantiæ* Manfredi olim Siculi Regis primogenitæ, ſe ſe ſponte dederunt, & in Æde maxima Cat. totius Regni comitia celebrantur: Plura in ijs ſancita ſunt, quę Regni ſtatum ac ſalutem proſpicerent, Catanenſes in primis, recte factorum meritis, a vectigalibus, quæ Siculis impoſuerat *Carolus Andegauenſium Dux*, dum Siciliam in imperio teneret, exemptantur. Immunitatis Diploma in Annalibus Catan. quos molimur exſcribemus, ne extra chorum ſaltaſſe videamur.

A

Biennio a Gallorum excidio exacto, *Ætna Mons* terribile eructauit incendium, quod ex veteri Manuſc. Codice edocemur. *De obitu Regis Caroli. Fuit itaq; huius Regis exitus in dolore, cuius fuerat regnandi principium in triũphis: neq; fuit mors eius abſq; prodigio; nam in diebus illis mons Ætna vehementi motu concuſſus eſt, atq; ab ea parte, qua reſpicit Orientem, terribile oculis mirantium eructauit incendium, quod tanquam alluuio per decliuia montis manans (mirabile dictu) Eccleſiam ſub vocabulo S. Stephani, quæ in Erema eſt, per latera hinc inde circumdedit, tamen in aliqua non offendit, quod vſq; in hodiernum diem miraculoſum apparet.* hactenus M. S.

B

Idem teſtatum dimiſit *Philippus Paruta*, paucis quidem numero verbis, ſed pondere multis. Æ *tna mittit ignes ſub mortem Caroli Regis circa annum* 1284.

Anno 1290. Conradus Gratia Dei ad Præſulem noſtrũ, B. charactere, Boccamaza cognomentum indigitante, hanc Sicularũ rerum euentus compendio veluti perſtringentem ſcripſit Epiſtolã.

C

Reuerendiſſime Domine, humili recommendatione præmiſſa; quia facta proborum, & maxime illorum, qui Siciliam honorauerunt, ac etiam de Saracenica poteſtate liberauerunt, cor nobilium ſiculorum habeant ad gaudium aperire: hinc eſt, quòd ad præſens, ſcilicet quod alias Reu. Dominationi veſtræ promiſi, ſcribo, & incipio à quadrageſimo anno ante quam Nortmanni ad Regnum Siciliæ veniſſent.

D

In primis, anno Verbi Incarnati 1027. decimoſexto Calendas Auguſti Gaytus Maymonus Saracenus de Hiſpania deſtruxit Pactas, & terrã Syraguſiã & incendit omnes vtriuſq; ſexus. Iſte Gaytus erat inimicus Regis Tunicæ, & Siciliæ, qui vocabatur Malaguta, Filius Bulfaraci. Iſte Bulfaraci conceſſit Siculis Chriſtianis vt audirent Diuina palam, & Sacerdotib' vt portarent Corpus Chriſti ad infirmos. Regnante Malagura, & bellante cum ſupradict o

pradicto Gayto, fuit interfectus à ſuprad. Gayto, & regnauit pro eo Camicus, & fuit ita miſerabilis, quòd uix potuit tenere Regnum ſuum; & idcircò non potuit defendere Siculos de Rogerio Comite.

Anno 1033. Strangorus primus, qui vocabatur Georgius cum Maniacio intrault Meſſanã. Non fuit ille iſte Maniacius, qui tradidit Inſulam Sarracenis, ſed ille qui conduxit Normãnos ad Inſulã. Anno 1055. Normanni venerunt ad Regnum, & 1058. tranſierunt in Siciliam cum Maniacio, & debellauerũt Saracenos vſq; Syracuſſiam, & Traynam. Deinde receſſerunt à Maniacio irati, & prædauerunt totam Apuliam, & Calabriam.

Anno 1059 Robertus Guiſcardus accepit Filiam Principis Salerni in vxorem nomine Syggaitam, & in eodem anno accepit Regnum, & factus eſt Dux Calabriæ. Item eodẽ anno operãte Betumine Saraceno qui erat dominus Antellæ, quod Caſtrum erat in Sicilia iuxta Corleonum; dũ dux, & Rogerius frater erant Rhegio, venit iſte Betumen, & conduxit Rogerium Comitem ad Inſulam, & habuit Meſſanam, Rametta, & Traynam in feſto Natalis Domini. Item anno 1061. Comes Rogerius pugnauit cum Beleaner iuxta Caſtrũ Ioannis, & obtinuit Victoriam. Item anno 1062. magna diſcordia fuit inter Robertum, & Comitem Rogerium fratre ſuum.

Item anno 1063. habuit alia victoriam Comes, in qua appa-

A fuit ei Beatus Georgius; & illo anno fecerunt pacem Robertus & Rogerius. Item anno 1064. iuerunt ad obſedendum Panormum, & nihil fecerunt ex abundantia darentarum, à quibus exercitus fuit valde vexatus, & oportuit eos recedere, & iuerunt verſus Agrigentum, & deſtruxerunt quoddam Caſtrum, quod vocabatur Burgamum, hodie dicitur Bragimum, & eſt

B Feudũ Ludouici de monte aperto, diſtans Agrigento ferè ſex miliaria. Item anno 1068. acceperunt Barium in Apulia, & 1071 iterum Panormum inuadunt per terrã & mare, & perceperunt eum. 1074. Caſtrũ Calaſibet. conſtruunt contra Caſtrũ Ioannis. 1075. Saraceni Mazariam vaſtant, & Comes Rogerius latenter intrat, & multos

C Sarracenos perdidit ſuo gladio.

MLXXVI. Vgo de Gazzetta Capitaneus Cataniæ & gener Comitis fuit interfectus à Sarracenis in Montelletto Cataniæ, & Iordanus filius Comitis euaſit de inſidijs Sarracenorum, quã de cauſa Comes Rogerius totã quaſi Inſulam combuſſit, & fuit magna fames Saracenis illo anno, & dederunt ſe Rogerio

D videl. Drepanum, Bicarum, & Caſtrum nouum.

Item 1080. Robertus Guiſcardus iuit verſus Romaniam, & cum eo Rogerius Comes, & acceperunt Duracium, & Inſulam Corfo. MLXXXij. Rogerius de Romania reuerſus eſt, & Eccleſiam S. Nicolai de Meſſana ædificat. MLXXXIV. Sol obſcura-

tus eſt per ſpatium trium horarum, & illo anno mortuus eſt Papa Gregorius, & Dux Robertus, & ſepultus eſt Venuſi, & factus eſt Dux filius eius Rogerius, qui male ſe geſſit cum fratre ſuo Boemundo.

Item 1085. Rogerius Comes accepit Syracuſiam, & Beneuentū fecit. Item 1085. Comes Rogerius Agrigentum primo menſis Aprilis obſedit, & 16. Iulij, & in eodem anno cepit Caſtrum Ioannis. Item 1088. Maltā capit, licèt quod antea Notum, & Butherum acceperat.

His præmiſſis Sanctiſ. Comes amiſit omnes liberos, ſed poſtea cognoſcens vxorē ſuā, generauit Simonē, & Rogerium: inde apud Miletum obijt anno M.CI.9. ind. mense Iulij, & corpus eius in Eccleſia, quam ipſe fundauerat, honorifice ſepultum eſt.

Poſt hunc Simon eius primogenitus filiorū Regnum accepit, qui perpaucos vixit annos. Huic ſucceſſit ille benedictus a Dño Rogerius mundo admiratio virtutum, prius tamē Comes, poſtea Apuliæ, Capuę Princeps vir magnus, Rex Siciliæ, Tripolis, Africę potētiſſimus fines imperij ſui terrarū acquiſitione multipliciter applicuit, cuius laudes & geſta probata ſingulariter referre nequeo, quoniā Ciceronis eloquētiā inſufficientē reputo. Ad alia facta veniamus.

Anno 1118. obijt Adelaſia vxor Comitis Rogerij mater Regis Rogerij. Anno 1150. 1155. obijt Rex Rogerius. Anno 1163. (rectius 1169) pridie februarij Ciuitas Catanenſium ſubuerſa eſt à Terræmotu, in qua omnes monachi & Epiſcopus oppreſſi fuerunt. Anno 1165. obijt Rex Guillelmus primus filius Regis Rogerij. Anno 1182. Regina Margarita mater Regis Guillelmi ſecundi incæpit ædificare monaſterium Maneacenſium. Anno 1189. obijt Rex Guillelmus Secundus, & in eodem anno Rex Tancredus fuit Coronatus Rex, & receptus in Palacio Panormi. Anno 1194. XX. die Februarij obijt dictus Rex Tancredus.

Anno 1110. C. V. Henricus Imperator receptus eſt in Palatio Panormi, cæpit Regē Guillelmum Iuuenem filium Regis Tācredi, & quantitatem Comitum, & Baronum iſtius Regni, & deuaſtauit eos. Anno 1197. obijt Henricus Imperator.

Anno 1198. Federicus filius Henrici Imperatoris fuit Rex Siciliæ coronatus, & in eodem anno Conſtantia mater eius obijt. Item anno 1209. domina Conſtantia Aragonia venit Panormū, & dominus Rex Federicus deſponſauit eam. Anno Regni eius XI. fuit vocatus ad coronam Imperij. Anno 1220. accepit coronam Imperij à domino Honorio Papa. Anno 1222. Domina Cōſtantia Imperatrix obijt prima vxor Friderici Imperatoris apud Cataniam. Anno 1223. Fridericus Imperator miſit ſuum exercitum in Gerbis, & cepit illos, & captiuauit.

Anno 1225. Imperator accepit ſecundam vxorem filiam Regis Ioannis nomine Iſabellam. Anno 1227. Fredericus Imper-

cor transſuit in partes Vltra marinas, & domina Imperatrix vxor ſua obijt, & Rex Conradus filius eius natus eſt, Anno 1235. Imperator accepit in vxorem ſororem Regis Angliæ, & in eodem anno accepit filium ſuum Regem Henricum, & tenuit in carcere vſquequo mortuus fuit apud Marturanam.

Anno 1235. natus fuit Rex Henricus filius Domini Imperatoris de tertia vxore, quæ fuit ſoror Regis Angliæ.

Anno 1239. Prælati Franciæ capti fuerunt per dominum Imperatorem tempore Papæ Gregorij, & in eodem anno mortuus eſt idem dominus Papa.

Anno 1243. Dominus Simon Senebaldus Cardinalis ſuſcepit Papatum, & iuit per mare vſq; Ianuam, deinde Lugdunum, & permanſit ibi ſex annis.

Anno 1244. Theobaldus Frãciſcus generalis de S. Seuerino, & alij Comites, & Barones de Regno ceperunt Theſaura Capacij, & dominus Imperator ſtatim expugnauit eos, & habuit, & tanquam proditores cremauit eos apud Neapolim, & nobiles mulieres Regni captiuauit Panormi, & nunquam poſtea comparuerunt.

Anno 1245. D. de Caſerta de mandato Imperatoris eiecit omnes Saracenos de Sicilia, & poſuit eos apud Luceriam Apuliæ.

Anno 1246. dominus Papa Innocentius celebrauit Concilium apud Lugdunum cum Prælatis vltra montanis, & non de Regno, præter D. Bernardum Panormitanum Archiepiſcopũ, qui miſſus fuit ibi per dominum Imperatorem.

Anno 1250 de menſe Decembris obijt dominus Imperator in Apulia, in terra, quæ dicitur Florentinum, & corpus eius fuit Sepultum Panormi. Item eodem anno de menſe Ianuarij venit Rex Corradus filius Imperatoris de Alemania, & applicuit Meſſanam cum magno gaudio vocatus illuc per Manfridum baiulum Regni, & accepit Neapolim. Anno 1252. de menſe madij obijt Rex Conradus.

Anno 1254. Innocentius Papa de licentia Manfridi Principis intrauit Neapolim, & ibi mortuus & ſepultus eſt; & dominus Papa Alexander ſuſcepit Papatũ Romanum, & manſit in Terra Neapoli cum Principe, & in eodem anno prædictus Princeps recuperauit Luceriam, & Acherenciam.

Item in eodem anno Meſſanenſes rebellauerunt ſe contra Principem, & deſtruxerunt Taurómeniam, quæ nolebat obedire mandatis eorum. Item in eodem anno Meſſanenſes miſerunt Romam, & elegerunt poteſtatem dominum Iacobum, & manſit in poteſtate vſq; ad menſem madij prædicti anni, & cũ eo venit dominus fr. Ioannes de Columnis ordinis Prædicatorum Archiepiſcopus Meſſanenſis miſſus à domino Papa.

Anno 1254. Henricus de Abbate cum exercitu Vallis Mazariæ cepit Panormum, & fratrem Boſinum Legatum ex parte Papæ,

pæ, & tota Sicilia conuertit ad dominationem domini Principis, præter Platiam, Caſtrum Ioannem, & Aidonum.

Anno 1255. Comes Fridericus Lancea venit Vicarius Siciliæ ex parte Principis, & congregato magno exercitu obſedit Placiã, Caſtrũ Ioannẽ, & Aidonũ, & rehabuit eas interfectis prius multis hominibus iſtarum Tetrarũ.

Anno 1256. dominus Princeps venit Meſſanam, & poſtea Panormum, & ibi fecit congregare omnes Prælatos, & Barones Regni, & ad electionem eorum dominus Manfredus Princeps fuit coronatus Rex Siciliæ X. die Auguſti primæ Indictionis.

Anno 1257. fuit Capitaneus Siciliæ Comes Fredericus Malecta, & in eodem anno prædictus Comes de Malecta fuit interfectus a Theobaldo Theutonico, & ipſe Theobaldus rebellauit ſe contra R. gẽ Manfredũ, & Comes Fredericus Lãcea accepit eũ in monte Trapani, & interfecit prædictum Theobaldum cum multis hominibus de prædicto monte.

Anno 1265. Comes Carolus accepit Pontem Cipranum, & turbata eſt Ciuitas Neapolis, & poſtmodum idem Comes cum ſuo exercitu venit apud Pontem Valetinum in parte Beneuenti, & prævaluit cõtra Regem Manfredum, & occidit eum die veneris 22. februarij: & die ſabbati 13. Martij Ciuitas Meſſanæ leuauit vexillũ prædicti Comitis Caroli & die Iouis primo Aprilis Comes Philippus de Monte forti venit Vicarius in Sicilia pro parte prædicti Comitis Caroli, & regnauit in Inſula annis XVij.

Anno 1283. de menſe Aprilis fuerunt interfecti Gallici; & in eodem anno de menſe Auguſti venit Rex Petrus de Aragona, & intrauit Panormum cum magno triumpho. Item in fine huius menſis Carolus recollit de obſidione Meſſanæ, & amiſit dominium totius Siciliæ. Ab iſto Carolo vſq; ad hodiernum diem fuerunt alia facta in noſtra Inſula, quæ verè non fuerunt probitates dominorum, ſed potius calliditates, ideò non debent homines in eis delectari, ſed ſimpliciter dimittere. Idcircò hic finem loquendi facio, vos autẽ Dominus Altiſſimus conſeruet. Amen. ſcripta Panorm. die 1. Aprilis 3. Indict.

Veſter Orator ac ſeruitor
F. Conradus Gratia Dei,
& verè, Prior Monaſterij Sanctæ Catharinæ.

Reuerendo in Chriſto Patri, & domino, domino B. Dei Gratia & Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo Catanenſi, ſuo domino, & Benefactori continuo.

Haud longè ab hac annorum periodo *Angelum* noſtrum viam vniuerſæ carnis ingreſſum facile eſt coniectari. Anno ſiquidẽ 1295. moniales *Sancti Iuliani* è ſolitudine ad vrbem reductæ ſunt, *F. Raynaldo* Catan. Eccleſiæ Priore in Epiſcopali interregno generalẽ agente Vicariũ, ſcriptis literis *Catanæ 14. Maij 8. Indict.* 1295.

In noſtra tandem Baſilica,

ſcribit *hic Pirrus* fol. 37. ei tamen in hoc aſſeritando præiuit *Rocchus Pirrus decade 2. lib. 9. cap. 2. in fine.* Catalauni, Aragonenſes, Primores omniumq; Siculorum vrbium & Oppidorum ſyndaci anno 1296. 7. Kal. Aprilis Comitia celebrauerunt, atq; inijs Rogerius Lauria Fridericum Aragonium, & Petri patris teſtamento, & omnium voto deſignatum Siciliæ Regem pronunciãt.

§. XXXI.

ANDREAS.

Anno humanę redẽptionis 1296.

ANDREAS ..... cuius nudum dumtaxat nomen ad noſtram peruenit notitiam, ex antiquo M. S. Catanenſium Epiſcoporum catalogo, *Andreas ... Epiſcopus anno 1295. Succeſſit Angeli, vt refert Dominus della Torre.* Si tamen coniecturis locus ſit, facile dixerim, vel Andreæ electionem Romano Pontifici non ſatis arriſiſſe, vel eum, antequã Epiſcopales capeſſiſſet Infulas, obijſſe.

§. XXXII.

GENTILIS.

Anno à Chriſti natiuitate 1296.

GENTILIS patria Romanus, ex ſacra Prædicatorũ familia aſſumptus, Catan. præficitur Epiſcopus anno 1296. id quod *Seraphinus Razzius, & Michael Pius* Dominicani Scriptores aſſeuerant.

Fuit *Gentilis* vir à tractandarũ rerũ peritia, plurimis itẽ honorificè obitis legationibus cõmendatus. Maximę apud *Bonifactum VIII.* opinionis, Catanẽſibus ideò à Pontifice *Caroli Andegauenſis* ſtudioſiſſimo datus Epiſcopus, vt pro ea qua præſtabat agendi dexteritate, *Catanenſis*, & cum eis Siculos populos hortaretur, vt *Robertum* Caroli filium in Regem admitterent, cuius patrem è Regno ſuperſtitem adhuc deiecerant. Rex tamen expectationi numquam reſpondit, quantumuis *Gentilis* lapidem omnem mouiſſet: quin *Fridericus II.* Rex, ne Franci, qui Syracuſas obſidione premebant, noui aliquid in Regno molirentur, Catanam vrbem bello ſedem conſtituit, vt vel ſic ſuis præſtò eſſet adiumento, hoſtibus impedimento.

Nouo ſubeunte ſeculo, *Virgilij Scordia* (quem Patriæ patrem Fridericus appellabat, ſed proditorem ipſe ſe prodidit) nec nõ & *Neapolionis Caputi*, aliorumq; factioſorum aſtubus, Catana in Francorũ deditionem venit anno 1300. Roberto Calabriæ Duce

Caroli

Caroli, vt dicebam, filio, ceteriſque Gallis, qui è propinquo rei euentū pręſtolabantur, ad vrbem acciti. Quod vbi reſciuit Bonifacius, illicò Gerardū Cardinalem Parmēsē Apoſtolicæ ſedis legatum Catanam trāſmiſit, vt quotquot Roberto Duci ſubderentur, à diris abſolueret, quæ aduerſus Siculos Martinus IV. eius prædeceſſor impegerat. Catanæ triennio ſeſe continuere Galli; ſub quod temporis ſpatium *Robertus*, quem dicebam, Ludouicum ex Violanta Friderici II. Regis noſtri ſorore filium ſuſcepit, quem Sacro baptiſmatis fonte regenerauit noſter Antiſtes.

Interea, ſcribit *Pirrus hic ad annum* 1302. *fol.* 38. poſt *Fazellum Decade* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. Pontifice Romano Bonifacio, ac eius in Sicilia Legato rem promouentibus, in prædio quodam inter Calatabilottā, & Saccam, vbi mapalia erant, pax inita eſt inter Robertum, eiuſq; patrem Carolū, ac Regem noſtrum Fridericum, his conditionibus, vt Fridericus Aleonoram Caroli Regis filiam vxorem ducat, Siciliamq; cum adiacentibus Inſulis, dum viuit, poſſideat. Calabria verò omniſq; Apulia liberè Carolo cedat, reſtitutis hinc inde proprio Regi in vtroque Regno captis Oppidis. Princeps quoq; Taranti Caroli Regis filius, ac Roberti frater, cæteriq; vtrinque bello capti libertate donentur.

Firmata igitur his conditionibus pace, Fridericus noſter medius inter Taranti Principem, & Calabriæ Ducem Robertum valut triumphans Catanam ante triennium amiſſam, Catanenſibus plaudentibus, ingreditur; & non modò defectionis reos facilè in gratiam recepit, ſed vt incolas maiori ſibi deuinciret amore, Catanenſis Ciuitatis iure donari voluit, non ſecus ac ſi priuatus eſſet, vt ſcribit *F. Mauael de Platia part.* 1. *lib.* 6. *cap.* 10. His itaque pactionibus inter Aragonenſes & Gallos Reges diu agitata diſſidia compoſita ſunt anno 1304.

Sub hoc idem tempus noſter Gentilis, poſt pię formatam Eccleſiaſticam vitam, ſpiritum reddidit Creatori.



XXXIII.

LEONARDVS DE FLISCO.

Anno à Chriſto nato 1304.

EOdem ſane anno, quo naturæ debitum ſoluit Gentilis, à Clemente V. Rom. Pontif. inauguratur LEONARDVS DE FLISCO Ianuenſis, ex Lauanię Comitibus, *Innocentij IV.* gentilis maiorum laude præcipuus, proprio tamen

tamen decore, paſtorali ſollicitudine, vniuerſaliori demum Theologiæ, Philoſophiæque peritia nobiliſſimus.

Othonem Abrazabeni, vt ſuas ipſius vices gereret, expræfecit: ipſe vero biennio poſt *Catanam* aduentauit Pontificio ſuſceptus apparatu.

Nemus quoddam de Pineta nuncupatum intra fines Maſcalarum Eccleſiæ ſuæ reſtituendũ curauit, exoratis literis à Ferdinando Rege anno 1305. en illas.

In nomine Domini amen

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo treceteſimo quinto menſe februarij die decimo eiuſdem 4. Indict. Regnãte Serenis. Domino noſtro Dñ. Rege Friderico tertio Regni ſui anno decimo feliciter Amen.

Nos Alamannus de Caſa noua Iudex Maſcalarum, Rainutius de Auguſta publicus eiuſdem terrę Maſcalarum notarius, & teſtes infraſcripti ad hoc vocati ſpecialiter, & cogniti, præſenti ſcripto publico notum facimus, & teſtamur, quod Fr. Thomaſius de Munda monachus, Syndicus, Yconomus, Procurator, & Actor maioris Catanenſis Eccleſiæ inſtitutus, & ordinatus, vt conſtitit, per venerabilem Dominũ Dñm Othonẽ Abrazabeni preſbyterum Generalem Vicarium & Yconomum Venerabilis in Chriſto patris Dñi domini Leonardi de Fliſco Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Catanenſis Epiſcopi, nec non Priorem & Conuentum monachorum eiuſdem Eccleſiæ, apud acta M. R. C. coram magnifico Domino Matthæo Protomis milite, prædicti Domini noſtri Regis magiſtro Iuſtitiario, & Iudicibus ipſius Magnæ Regiæ Curiæ, in noſtra, preſentia conſtitutus, expoſuit: quatenus ad ipſius fratris Thomaſij ſyndici, procuratoris, yconomi, & actoris dictę Cat. Eccleſiæ petitionis inſtantiam, pro parte dictæ Eccleſię circumſpecto viro Aloyſio Plimotis de Meſſana Regio magiſtro Iurato Ciuitatis Catanę literę regię ſunt directæ, quæ ſunt infraſcriptæ continentiæ ſeu tenoris, quas vidimus, legimus, & diligenter inſpeximus, videlicet.

Fridericus Tertius Dei gratia Sicilię Rex, Magiſtro Iurato Ciuitatis Catanę fideli ſuo gratiam ſuam & bonam voluntatẽ. Quia notarius Petrus de Caraſtono fidelis noſter procurator, vt conſtitit, nobilis Berengarij de Intenſa Militis, præſentis in Iudicio in magna Curia noſtra corã mag. Iuſtitiario Regni noſtri, & Iudicibus magnæ noſtræ Curiæ ſupradictæ, ad petitionem Syndici, procuratoris, & actoris maioris Catan. Eccleſiæ volentis eũ ciuiliter conuenire in eadem Magna noſtra Curia ſuper petitione reſtitutionis poſſeſſionis cuiuſdam Nemoris dicti Pineta, cuius fines ſunt hi. Incipiunt à vallone, quod dicitur flumen ſiccum, & aſcendunt vſque ad ſabulum, quod dicitur de Sancto Baſilio, & aſcendunt deinde per ſabulum ſabulum vſque ad montem, qui dicitur di Sturnello, & deinde tendunt per vallonem vallonem vſque ad montem Rubeum

beum, & diuiditur à nemore Sancti Saluatoris de lingua Fari, Meſſanæ, & aſcendunt vſque ad Montem Æthnæ ſecundum formam capituli huiuſmodi, in tractatu pacis initæ & confirmatæ inter noſtram Excellentiam, & olim hoſtes noſtros, de reſtituendis Eccleſijs Eccleſiaſticiſque perſonis, poſſeſſionibus, Iuribus, & bonis, quæ tenuerunt Eccleſiæ, & perſonę ipſe in Sicilia, & Inſulis ei adiacentibus, tempore dominij quondam Regis Caroli, & vſque ad tempus, quo Siculi aduerſus eumdem quondam Regem Carolum rebellauerunt: contumaciter dixit ſe nolle reſpondere petitioni prędictæ; dictus magiſter Iuſtitiarius & Iudices, omnibus ſolemnitatibus obſeruatis, ſententiam eorum proferentes in ſcriptis condemnauerunt dictum notar. Petrum procuratorem dicti Berengarij pro parte ipſius, & eiuſdem Berengarij ad vnũ auguſtalem auri ob eius contumaciam noſtræ Curiæ perſoluendum, & nihilominus decreuerunt, dictum ſyndicum dictæ Catanẽſis Eccleſiæ mittendum fore in poſſeſſionem dicti nemoris pro parte prędictę Eccleſiæ, cauſa rei ſeruandæ, prout in actis dictę noſtræ Magnæ Curiæ plenius continetur, & quia nil prodeſt ferri ſententias, niſi executioni debitæ demandentur; fidelitati tuæ mandamus, quatenus, receptis præſentibus, dictum Auguſtalem a prædicto Berengario exigas, & recipias, & exactum atque receptum nob. Nicolao Regio procuratori fiſci, ac receptori, & expenſori pecuniæ prouentuum actorum dictæ magnæ Curiæ noſtræ mittas, ac facias aſſignari, de cuius miſſione prædictis magiſtro Iuſtitiario, & Iudicibus, per tuas literas ſcribas. Et nihilominus ad prędictum Nemus te perſonaliter conferens prædictũ Syndicum, vel alium pro eo, præſentes tibi literas aſſignante, pro parte dictæ Eccleſiæ in poſſeſſione dicti nemoris inducas cauſa rei ſeruandæ, vt ipſum Nemus dicta Eccleſia teneat, & poſſideat, donec dictus Berengarius affectus tædio compareat in noſtra Magna Curia ſupradicta, adimpleturus, & facturus quidquid ſuper præmiſſis iuris ordo poſtulatus requiſierit. Datũ Syracuſiæ tertio februarij quartæ Indictionis.

Et cum dictus Aloyſius mag. Iuratus velit & cupiat prędictum mandatum regium ſuper prædicta cauſa directum exequi reuerenter, tam debitè quàm deuotè, dictus ſr. Thomaſius rogauit nos qui ſupra Iudicem & Notarium, noſtrum ſuper hoc officium implorando, & teſtes prædictos, vt vna cum eodẽ exponente & prædicto magiſtro Iurato ad prędictum nemus vocatum Pineta Nos conferre perſonaliter deberemus, viſuri, intellecturi, & auduturi inductionem corporalis poſſeſſionis dicti Nemoris vocati Pineta faciendam per eumdẽ magiſtrum Iuratum eidem fratri Thomaſio ſyndico yconomo, procuratori, & actori dictæ Eccleſiæ, nomine & pro parte ipſius

us

us Eccleſiæ, auctoritate prædictarum literarum Regiarum nobis propterea directarum, & de inductione corporalis poſſeſſionis ipſius, eidem Eccleſiæ Scriptum publicum confecturi ſupra competens ad cautelam, ipſius fratris Thomaſij precibus vtpote iuſtis annuentes, cum iuſta petentibus non ſit deneganduſ aſſenſus. Nos qui ſupra Iudex & Notarius, adhibitis nobis teſtibus infraſcriptis vnà cum prædicto magiſtro Iurato, & eodem fr. Thomaſio ad prædictum Nemus vocatum Pineta pro prædicta cauſa nos contulimus perſonaliter, & nobis ibidē preſentibus dictus Aloyſius de Limogijs Regius magiſter Iuratus dictæ Ciuitatis Catanę coram nobis, qui ſupra Iudice, notario, & teſtibus prędictis, prętitulato decimo die dicti mēſis februarij dictę quartę Indict. autoritate prędictarum Literarū Regiarum ſupra propterea directarum, dictam fr. Thomaſium Syndicum, yconomum, procuratorem, & actorem dictę Catanienſis Eccleſiæ, nomine & pro parte ipſius Eccleſiæ ipſas literas Regias exequendo, in corporalem poſſeſſionem dicti Nemoris vocati Pineta limitatum finibus prędictis in Regijs literis prędictis particulariter denotatis, cauſa rei ſeruandæ, iuxta ipſarum Regiarum continentiam literarū, poſuit & induxit, adeo quod dicta Catanienſis Eccleſia prædictum nemus vocatū Pineta prędictis finibus limitatum teneat, & poſſideat, donec dictus Berengarius affectus tędio compareat in magna Regia Curia ſupradicta adimpleturus, & facturus quicquid ſuper prędictis iuris ordo poſtulatus requirit.

Vnde ad futuram rei memoriam, & prædictę Catanenſis Eccleſiæ cautelam, confectum eſt exinde preſens publicum inſtrumentum per manum noſtri prędicti notarij, noſtrum quiſq; pra Iudicis, notarij, & teſtium ſubſcriptorum ſubſcriptionibus & teſtimonio roboratum. *Actum in prædicto nemore vocato Pineta, anno, menſe, die, Indictione præmiſſis.*

Ego Alamannus de Caſtronuo qui ſupra Iudex Meſſalarum.

Ego Rainuttus de Auguſta qui ſupra publicus prædictæ terræ Meſſalarum Notarius prædicta ſcripſi, ac meo Sigillo ſignaui.

Fratribus Dominicanis, vt in Area Caſtri Vrſini eodem in loco, qui poſtmodum in ſacram D. Sebaſtiani Martyris ędē ceſſit, Cœnobium ædificarent, facultatem fecit anno 1313.

Interea Leonardum Epſcopū inter & Eccleſiæ ſuę Monachos, ſiuę Canonicos talis tāq; orta eſt diſſēſionum tempeſtas de iuriſdictione certantes, vt ceteris ſcandalum eſſe potuiſſet, ni Epiſcopus ab illa ſe ſubtraxiſſet, iurgijs cedens, ac Ianuam patriam tāq; repetens, ibiq; ſe ſa recipiens.

Ibi Clariſſarum monaſterium ære proprio erexit, teſte præceteris *Luca Vuadingo Annal. Minor. ad Annum 1318. n. 39.*

Othone, quem ſuperius dicebam, vita functo, *Petrum de Marcha* S. Mariæ de Licodia & S. Leonis Abbatem in Vicarium dele-

delegit anno 1316. Meminere de eo Tabulę cōceſſionis terrarum *Alberto de Parma* apud Epiſcopij tabulas 15. Nouembris 15. *Indict.* 1316.

Cluſinę Eccleſiæ ob Matthæi Vrſini Epiſcobitū Ius dixit ab an. 1322. ad annum vſq; 1327. teſte *Ferdinando Vghello* inexhauſtę lectionis viro, cuius laus eſt per omnes Italię Eccleſias: hic inquam auctor *Italiæ Sacræ* tom. 3. Cluſinenſes recentans Epiſcopos fol. 338. & 339. hęc inquit.

Defuncto Matthæo, Eccleſia Cluſina cōmendata eſt in ſpiritualibus & tēporalibus Leonardo Epiſcopo Catanenſi ad Apoſtolicum beneplacitum, vt ex Regeſto Vaticano 7. Idus Iulij anno 6. Ioannis 22. hanc Eccleſiam adminiſtrauit ad annū vſq; 1327.

Leonardo Epiſcopum agente, noua calamitas vrbem exagitauit; anno ſiquidem 1329. *Ætna mons* non minori, quàm alias, incendio flagrans *Catanæ* fines inuaſit. Libet rem propè compertam ex *Fazello Decad.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. recitare.

Anno ſal. 1329. 4. Kal. Iulij cum per plures annos abſq; igne & fumo fuiſſet Ætna, ſub veſpere repentè contremuit, ac tonare cępit. Mox è Montis latere, quod Orientem reſpicit, aperto nouo hiatu ignis erupit, quem aureſcēte veſpera inſecuti candentes globi, ac auulſa montis viſcera, liquefactiq; ſaxorum orbes, veluti torrens per decliuia loca graſſantes obuia quæque abſumebant, quorum impetu ſimul ac terræmotu plures in ipſo mōte ſacræ & profanæ Ædes vel diA rutæ, vel proſciſſæ ſunt. Pleroſq; etiam aquarū perennium fontes terra dehiſcens abſorbuit.

Eiuſdē Iulij Idib' circa ſolis occaſum ex inferiori montis parte, ex inopinato hiatu, ac paulo poſt in eodem agro duo alij ſunt aperti ea vi, vt ex quatuor crateribus paruo inter ſe interuallo diſſitis, ingentium lapidum congeries vna ogeſtæ profundos valles, & nemorum ſaltus in montes arduos extulerint. Fluebat enim ex quadruplici illa voragine riuus igneus inſtar metallorū ex fornace liquentium, occurrēB tem tellurem, & ingentia ſaxa, ac arbores quascumq; nō ſolùm comburens, ſed abſumense terraq; ipſa, quæ paulò ante calcabatur, incanduit, ac veluti ſpumis aquarum ad ſcopulos è ructibus eliſarum latè inſtar excreſcentis fluminis profluuio igneo C inundata, ac diperſa eſt.

Poſtquam verò igneus torrens diù, multumq; per plura montis ſpatia euagatus eſt, tribus tandē alueis ſe ſe diuiſit, quorum duo orientem verſus ad Acis vſq; littora propinqua plures dies decurrerunt. Tertius contra Catanenſium fines ſe direxit, quem, priuſquam fines ipſos inuaſiſſet, Velum D. Agathæ ſacerdotibus D è Mœnibus vrbis obiectum extinxit.

Dum hæc in inferiori montis regione geruntur, in sūmo vertice nō minori quoq; ad extremū tonitruū, ſaxorumq; ardentium rabie conflictum eſt, vnde tantus præſertim cinerum imber per vniuerſam Catanenſiū regionem

defluxit, vt montes, agriq; sub eo occultarentur, ac flante tum Borea ad Insulam vsque Melitam, quæ 160. passuum millibus à cratere dissidet, eorum copia, ac sulphureus odor sit abductus, vnde & plures homines, pluraq; animantia, vt in vita Friderici Regis legitur, perierunt. Ita Fazellus.

Subdit *Matthæus Siluagius*, & vere, hanc Ætnæorum ignium eruptionē ingens Solis deliquium præcessisse; tellurem vndiq; per multa passuum millia vehementius concussā, sonitus ex telluris succussione ad deductionē in locis valde dissitis auditos; præter priuatorum ædes plurimas, tēpla non pauca, inter quæ celebre illud olim *S. Ioannis Paparomettæ*, aliaq; ædificia cōplura in montis appendicijs diruta, flumina cineribus ex Monte eructatis consepulta, ac fere desiccata, vrbem denique flammis absumendam, nisi præsentissimum *D. Agathæ* concius patrocinium adfuisset.

Nostrauterē Præsul *Ianuæ* apud suos senio confectus decessit 21. Martij anno 1331. cum Catanēsi Ecclesiæ præfuisset annos septem & viginti.

§. XXXIV.

ANGELVS SACCANVS

Anno reparati Orbis 1331.

Leonardo vita functo, *ANGELVS SACCANVS* V. I. D. patricia inter Messanenses familia exortus, patriæ Ecclesiæ Decanus, in *Catanensem Episcopum* adlegitur eodē anno 1331. Electionem hanc à *Neapolione* Montis Regalis Archiep. scopo confirmatam infarcit *Lellas parte* 2. *fol.* 72. & 83. Quantum porrò deferendum sit Lello, conijce ex ijs, quæ 9. 26. sect. 6. dicebā supra. Hæc tamen electio non arrisit *Ioanni XXII.* in Petri Cathedra per ea tempora sedenti: inauguratum ideo nec fuisse probabilius dixerim, eò vel maxime, quia in nostris Tabularijs mirum de eo vbique silentium.

§. XXXV.

NICOLAVS DE GRELLIS

Anno verbi humanati 1332.

NICOLAVS de GRELLIS, Gelis alij dixere, è Ceuano monachus Cassinensis à *Ioanne XXII.* Pontificatus sui anno 15. Catanēsis Ep. scopus inauguratur, scripto Diplomate *Auenione* 16. *Augusti* 1332.

Nouo subeunte anno 1333. flammarum vomitiones Ætnam eru-

eructaſſe, nec minores terræ cõcuſſiones, quam exacto iam triennio, accolas deturbaſſe tradit *Siluagius*, breuibus, ſed grauibus rem ita deſcribens verbis. *Item anno ſal. 1333. ſimiles euomuit cum cõcuſſionibus ignes adustos, lapides.*

Vicarium habuit *fr. Benedictum de Fontana* monachũ Ciſtercienſe virum eruditione præclarum.

Epiſcopalis iuriſdictionis à Regijs Adminiſtris alias vſurpatæ vindex audijt pugnacißimus, ac propugnator acerrimus: acres ideo excitatę ſunt, ac diutius agitatæ protractæq; contentiones, ſed vel maxime pro iuriſdictionis exercitio, etiã in temporalibus, in *Ciuitate Calaxibettæ*, quod Epiſcopalis iuris eſſe contendebat. Epiſcopo tandem in contradictorio iudicio cauſa omnis adiudicata eſt 29. Maij 1333. *Philippo Agrigentino Epiſcopo* ab Apoſtolica Sede ad cauſam delegato ſententiam ferente, & iterũ apud tabulas *Manfredi de Balſamo Calax.* die 19. *Aprilis* 11. *Indict.* 1358.

Tres in Sicilia Reges ſuſpexit noſter Antiſtes, Fridericum II. vel vt alijs placet, III. anno 1336 in Catan. Basilica regio funere tumulatum: Petrum hoc vocamine II. in eodem Catan. Templo in Regem a proceribus conſalutatum, quiue anno 1336. Regni ſuſcepit gubernacula, quantumuis ipſe ab anno 1321. de more maiorum Regijs fuiſſet infulis ornatus, & demiq; *Ludouicũ* hæreditario iure Regni ſucceſſorem, quem Catanæ natum 4. Febrarij 1337. in maxima *D. Agathæ* Basilica ſacris ablutum aquis regenerauit.

Præſul tandem noſter, dignus planè cuius Epiſcopatũ optati Regis natalibus Catanæ fortunaret *D. O. M.* (ſteterat in matrimonio *Petrus Rex* annos plures, ſeptem ſuſceperat filias, virili prole deſtitutus ac fere deſperatus hinc voto ad *D. Ludouicum Epiſcopum* facto, filium accepit, quem propterea Ludouicũ voluit nuncupatum) poſt inſtructum ſalutaribus diſciplinis ſibi creditũ gregem, naturæ debitum ſoluit anno 1339. ob cuius obitum *f. Iacobus de Soris* Catan. S. Mariæ de Licodia Abbas in Generalẽ Vicariũ à monachorũ capitulo eligitur.



§. XXXVI.

GERARDVS ODONIS.

Anno à Virginis puerperio 1342.

QVÆ de GERARDO exhibemus, non tam ſcribimus, quam excribimus ex doctiſſimo iuxta ac eruditiſſimo *Luca Wadingo Annal. Minor. lib. 3. ab anno 1308. vſq; ad annũ* 1347. & quæ Auctor iſte nobis ætate, & eruditione ſuperior eli-

elimauí, iterum, non tamẽ eâdẽ labore, repetimus.

Gerardus igitur *Othmis*, ſiue *Odamis*, genere Gallus, patria Rhutenſis de Caſtro Radulphi, *Ioannis Duns* Scoti Subtiliſſimi doctoris auditor, quo magiſtro ita doctus euaſit, vt & ipſe magni nominis Magiſter Pariſienſis in Aquitania, vbi Franciſcanæ diſciplinæ nomen dederat, meritò fuerit acclamatus.

Præclara dedit ingenij monumenta. Scripſit namq; ſuper *quatuor Sententiarũ libros Quæſtiones varias* vnico tomo cõprehenſas: In *Ariſtotelis logicam* librum aliũ. In *naturalem Philoſophiam* alterũ. In *Ethicorum libros* Commentarium. In varios libros ſacrorum Bibliorum, ſiue *Opus de figuris Bibliæ* vnico explicatum libro. *Sermones de tempore*. Singula quæque ſeriùs enumerant *Radulphus in Chronic. Seraphic. lib. 2. & laudatus P. Vuadingus in libello de Scriptoribus Ordinis Minorum fol.* 145.

In arduis quibuſq; audendis dexterrimus, Religioſæ item diſciplinæ zelantiſſimus, communibus ideò totius Seraphici Ordinis Patrum ſuffragijs Religionis ſuæ Generalis Miniſter deſignatur Pariſijs anno 1329.

Ioanni XXII. Pont. pretioſus, variis legationibus ab eo cohonestatur. Ad *Robertum Neapolitanum Regẽ* mittitur legatus anno 1331 acturus de Italiæ rebus componendis, paceq; firmanda: Ad *Odoardum Angliæ*, ac *Dauidem II. Scotiæ Reges*, qui ſe hoſtiliter appetebant, cum F. Arnaldo de S. Michaele ex ordine Prædicator. S.T. Mag. ac Pœnitentiario Apoſtolico tranſmittitur anno 1332. ſub quod ferè tempus Monialiũ ſui Ordinis, Romano Pontifice annuente, Protector deſignatur.

In Vngariam profectus ad Carolum illius Regem, qui Robertus cognominabatur, ab eo inducitur, vt Boſnam ſe transferret, ſerpentino hæreticorum Manichæorum veneno antidotum adhibiturus. Obuiam habuit ipſum Boſnæ Principẽ Stephanum, qui Catholicæ veritatis & ſalutis verba libenter audiuit, fidem ipſe admiſit, & reliquos ſuæ gentis ad eam amplexãdam hortatus, hæreticos omnes iuſſit excedere principatu anno 1340.

A Clemente Papa VI. Antiochenus Patriarcha ſufficitur, exauctorato iam Iſnardo, qui malis artibus Sedem illam inuaſerat: mox ad Catanenſis Eccleſiæ præfecturã euehitur anno 1342, præuio ad id Pontificio Clementis VI. Diplomate 5. Kal. Decẽbris Pontificatus eius anno 1.

Epiſcopus deſignatus Theobaldum Panormitanum Archiepiſcopum ad creditæ ſibi Eccleſiæ poſſeſſionẽ eius nomine nanciſcendam procuratorem conſtituit, & Vicarium. Hic Catanam Rhodiorum equitum triremib' vectus, maturauit, qui cum *Eliſabethæ Reginæ* à conſilijs fuiſſet adſcitus, *F. Iacobũ de Soris* Catanenſem Cœnobij S. Mariæ de Licodia Abbatem in Vicarium ſubſtituit anno 1344. 20. Nouembris mox Panormum rediit. Sed Gerardus Iacobum Sebaſtienſem Epiſcopum, vt ſui vices gereret,

Cata-

Catanam transmisit.

Ecclesiæ suæ iurium, prærogatiuarum, honorum pariter, ac bonorum acerrimus fuit propugnator, & vindex. Cum etenim Monteregalensis Archiepiscopus Catanensem Ecclesiam Metropolitico iure sibi contenderet obnoxiam, ac laicali potentia, quod iure non poterat, vsurpare niteretur, à Clemente VI. literas exorauit Auenione scriptas 7. Idus Aprilis Pontific. illius anno 2. quibus Archiepiscopi temeritas repressa est, & Catanensis Ecclesia Romanæ alumna, eiq; immediate subiecta pronunciatur. Eas exscribebam *Cat. Decachordo Chord.* 2. *Mod.* 3. *Excursu* 5. & iterum hic in *Leone IV.* §. 26. Sect. 2. & 16. fol. 101. & 126.

Sub id tẽporis Monasteriũ *S. M. de monachabus* Benedictini instituti in Regione Castri vrsini Episcopi auctoritate erectũ est, datis literis *Catanæ* 12. *Februarij* 1344. quod deinde suppressum est, & ei quod *S. Iuliano* sacrum est annexum anno 1354. Id quod *Chordæ* 2. *mod.* 15. scribebam.

Vicarios habuit spectatę integritatis viros *Ioannem de Grisalone*, & *Gerardum de Lucicampo*, quorum verbis exemplisq; factum est, vt *D. Iuliani* sanctimoniales, quibus præerat *Soror Iacoba de Vigint. militis* spectatæ nobilitatis, quam à Rogerio Comite deducebat, Heroina, regulares *D. Benedicti* disciplinã arctiùs, ad Regulæ præscriptum, profiterentur.

Auenione *Catanã* veniens *Gerardus* has à laudato *Clemente VI.* Pontifice ad *Elisabethã* Ludouici Regis matrem exscriptas apportauit literas apud *Vaddingum ad annũ* 1347. quas placuit exhibere.

A *Dilectæ in Christo nobili mulieri Elisabethæ relictæ quondam Petri primogeniti claræ memoriæ Friderici Regis Trinacriæ, & dilecto filio nobili viro Ioanni eius regis nato. Cum venerabilis frater noster GERARDVS Patriarca Antiochenus ad partes Insulæ Siciliæ pro uisitanda Ecclesia Catanensi Apostolica sibi auctoritate commissa, & quibusdam suis alijs peragendis negotijs cum gratia*

B *nostræ benedictionis accedat. Nos ipsum, quem distributor gratiarum omnium multis dotauit meritis, & copiosis virtutibus insignuit, ac dictam Ecclesiam Catanensem, ipsiusq; bona, iura, & negotia Nobilitati vestræ sinceris affectibus commendamus. Et quia de ipsius Patriarchæ fidelitate & probitate confidimus, quædam super tractatis*

C *nuper cum Ambassiatoribus vestris ad Nos, ac Apostolicam sedem destinatis, pro parte nostra vobis referenda sibi duximus imponenda, cui velitis quæsumus fidem super illis creditam adhibere, ac ei ad nostram præsentium, dante Domino, satis de proximo reuersurum, vestræ intentionis beneplacitum nobis per eum*

D *reportandum seriosius aperire. Dat. Auenione 15. Kal. septembris, Pontificatus nostri anno 6.*

Nosse hic operę pretium est, *Ludouicus* Siculorum Rex decennis tunc puer erat, & Regni moli per ætatem inidoneus: hinc *Ioannes* Randacij Dux, Friderici Regis filius, Petri frater, Ludouici patruus, Petri Regis iam defuncti testa-

teſtamento, & Procerum conſenſu, vicario nomine Regnum magna moderabatur prudentia, Eliſabetha etiam Ludouici genitrice Regni negotia pariter adminiſtrante, ſi credimus *Fazello Decad. 2 lib. 9. cap. 5.* Hinc ad *Eliſabetham Reginam*, & Ioannem Regis tutorem literas ſcribit Pontifex, vt vidiſti.

Eodem ſane anno 1347. ſæuus Peſtilentiæ morbus vniuerſum penè orbem inuaſit, auctoribus *Ioanne Boccaccio, & Franciſco Petrarca* illius ævi ſcriptoribus, à quibus nec abludunt *Platina*, & *Gordonius in Chron. ad hunc annum.* Italiam in primis, tum Siciliam, Catanam poſtmodum graſſatus horrendum in modum, voracis flammæ inſtar, in dies excreſcens, tot per diem homines abſumebat, vt alijs morbi vaſtitatē aufugientibus, alijs peſtilentia extinctis, vrbs pene hominibus orbari viſa ſit. Horrebant vrbis proceres miſero illo ciuitatis aſpectu, locā ideò inuia, & ab hominum conſortio ſegregata petentes funeſtæ peſtis flammas evadere ſtagebant: inter quos *Ioannes Randaccij Dux*, quem ſupra dicebam, Regis Ludouici patruus & baiulus ad Maſcalas Regium oppidum profugus reſedit, morbi tamen, quem horrebat, vim & ipſe expertus eſt. Rem breuibus enarrat *Fazellus Decad. 2. lib. 9. cap. 5.* ſic inquiens. *Poſt hæc peſtis vniuerſum pene Orbem, & in primis Italiam depaſta, Meſſanam quoq; primum, & poſtmodum Galliam & Hiſpaniam peruaſit, cùm ea tempeſtate Ioannes Dux Randaccij & Athenarū, Petri Regis frater, Ludouici patruus, ad Maſcalas Regium oppidū profugus in Æde D. Andreæ ſacra, quam ipſe erexerat, reſedit; ibiq; morbo correptus paulò poſt deceſſit anno ſal. 1348. menſe Aprili, & ad Eccleſiam maiorem Catan.* eodem ſarcophago, quo Fridericus Rex pater, *tumulatus eſt.*

Gerardus vero noſter, vt funeſta peſtis flamma ſe prodidit, in medios ſe conieçit ignes, quib⁹ & ipſe correptus dum veri paſtoris munus exequitur, *Catanæ* omnibus optatiſſimus cunctiſq; lacrymatus diem clauſit extremū, & in marmoreo tumulo, nulla adiecta epigraphe Icone dumtaxat explicata, in Æde maxima tumulatur anno D. 1358.

Salutaria præfortitudinis officia, quibus *Gerardus* ſectatorem bonorum operum ſeipſum exhibuit, poſteris ſcripta reliquit *F. Michael de Plaſia part. 1. cap. 29.* quæ placuit exſcribere, ne ſua virtus laus deficiat. Hic ſiquidem Auctor, poſtquam atram peſtilentiæ luem *Meſſanæ* per Genueſium triremes inuectam, latiſſimeq; debacchatam dixiſſet, hæc ad rem, quam premimus ſubdit.

EXISTENTIBVS quamplurimis Meſſanenſib⁹ in Ciuitate Catanæ pijs portectis pietatibus ad dominū Patriarcham (Antiochenū intelligo, & Catan. Eccleſiæ Epiſcopum) dominum ipſum vnanimiter exorarunt, vt cum Reliquijs aliquibus Sanctæ Agathæ Virginis vtile conderet ſermonis ſanctæ dicit decet honorificè

rificè Meſſanam ſe conferret. Credimus enim (inquiũt) quòd propter aduentum Reliquiarum prædictarum Meſſanæ Ciuitas erit ex tali penitus infirmitate liberata. Dictus verò Patriarcha eorum precibus deuotè commotus, annuit cum Reliquijs prædictis Meſſanam perſonaliter accedere. Et hoc anno Dñi 1347. circa finem menſis Nouembris 1. Indict.

Agatha Virgo ſacra conſiderans intrinſecum dolum, & Meſſanenſium inſidias, qui ſemper, & in opportunum extiterunt tãquam ſignum ad ſagittam, & volentes Reliquias prædictæ Virginis apud Meſſanam retinere, Domino operante, precibus eidem per Virginem ſupradictam porrectis, plebs vniuerſa ciuium ad dictum Patriarcham ſe contulit, exclamans, & dicens, quia talia omnimodè non placebant, & extortis clauibus à Malingrerio (idem eſt ac Sacriſta) dictum Patriarchã fortiter increparunt, aſſerentes prius mori eligere, quàm Reliquiæ prædictæ ad Meſſanam deberent transferri; ad quorum increpationem dictus Patriarcha nequiens aliud facere, honorificè cum Cantilenis Eccleſiaſticis, & cum deuotione maxima ad locum, vbi Reliquiæ prædictæ conſeruabantur, cum monaſtico Clero, & diuinis orationibus fuit ingreſſus, & de aqua munda certas Reliquias sãctas prædictas madefecit, quam aquam etiã iuſſit ad Ciuitatem Meſſanæ deferri, cum qua ipſe per mare nauigans perſonaliter transfretauit.

A Sed ò infamata Meſſanẽſium opinio, quæ ſub zelo deuotionis Reliquias B. Agathæ ipſas furto ſubtrahere clandeſtino modo putabas, quare tuæ te tradidiſti obliuioni, quòd corpus dictæ Virginis ad Conſtantinopolitanas partes exiſtens, affectans ad Ciuitatem Cataniæ ſuam patriam aduenire, in ſomnis ad Gisbertũ & Agoſelmum accedens, ipſos corpus ſuum in Ciuitatem Cataniæ iuſſit deferri; nonne ſi tunc Meſſanam intrare voluiſſet, inibi ſuam ſtatuiſſet mãſionem? quòd nequaquã fuit à Deo conceſſum. Quid vltra? Patriarcha verò prædictus in Ciuitate Meſſanæ poſtquam applicuit, ſecum aquam prædictam portans, multos & diuerſos infirmos ex aquæ prædictæ aſperſione, & ſignatione liberauit. Concurrunt igitur ciues Meſſanenſes ad Patriarcham ſupradictum, quem cum multo gaudio videre feſtinant, multas ibi & Deo gratias offerentes.

C Quid dicemus de Ciuitate Cataniæ, quæ obliuioni tradita eſt, tanta fuit peſtis ſupradicta exorta in ea, quòd non ſolum puſtulæ illæ, quæ Antrachi vulgari vocabulo nuncupabãtur, ſed etiam glandulæ quædam in diuerſis corporum membris naſcebantur, aliæ in pectine, aliæ in tibijs, aliæ in brachijs, aliæ in gutture, quæ quidem a principio erant ſicut auellanæ, & oriebantur cum magno frigoris rigore, & in tantum humanum corpus extenuabant, & affligebãt, quod diutius in ſe potentiam non habens ſtandi, ſed ad lectum proſterne-

D

ſternebatur febribus immenſis in
citatum, & amaritudine non
modica contriſtatum; quapro-
ter glandulæ illę ad modum nu-
cis reſtabant, deinde ad modum
oui gallinæ, vel anſeris, cuius do-
lore non modico, & humorum
putrefactione vrgebatur dictum
humanum corpus ſanguinẽ ex-
puere, ſed ſputum à pulmone in-
fecto proueniens ad guttur, to
tum corpus humanum putrefaci
ebat, quo putrefacto, humoribus
deficientibus, ſpiritum exhala-
bant; quæ quidem infirmitas tri
duò perdurabat, quarto verò die
ad maius humanis prædicta hu-
mana corpora erant adempta.

Et paulò inferiùs hæc ſubijcit.

Ita mortalitas Catanam inua-
ſit, quòd Iudices, & Notarij fer-
ri, ad teſtamentaq; facienda
ire recuſabant: & ſi ad aliquem
infirmum accederẽt, ab eo pro-
cul omnimodò ſtabant. Sacerdo
tes verò nullatenus ad domos
infirmorum accedere, timore
nimio mortis, trepidabant. PA-
TRIARCHA verò volẽs de ani-
mabus Catanenſium prouidere,
cuilibet ſacerdoti, licet minimo,
totam, quam habebat, Epi.copa-
lem, & Patriarchalem licentia
am de abſoluendis peccatis tri
buit, atq, dedit. Quapropter om
ñes, qui deficiebant, ſecundum
veram opinionem ad locum
Dei tutum infallibiliter erant re
cepti.

Dux verò Ioãnes timens mor
tem ſupradictam, nolens ciuibus
& locis appropinquare habita-
tis propter aeris infectionem,
per loca nemoroſa, & inhabi-
A tata circumquaque hinc inde cõ
tinuè verſabatur. Sed hinc inde,
nunc ad Aquam Mili, quæ eſt in
nemore Catanenſium, nunc ad
quamdam Turrim, quæ voca
tur lu Blancu per ſex milliaria à
Ciuitate Cataniæ diſtantem,
nunc ad quandam Eccleſiam S.
Saluatoris de Brancho in nemo-
re Ciuitatis prædictæ, quaſi lati-
tando diſcurrens, peruenit ad
B quamdam Eccleſiam, ſeu locum
per dictum Ducem nouiter con
ſtructum, vocatum S. Andreæ,
qui locus eſt in finibus Maſcala-
rum, in quo incolumis & ſanus
exiſtebat. Sed ex quadam ſibi ſu
perueniente infirmitate mortu-
us extitit, corpus eius fuit ſepul-
tum in maiori Catanenſi Eccle-
ſia, in eo videlicet tumulo, vbi
C corpus quondam Friderici Re-
gis patris ſui fuerat conditum, &
humatũ, hoc anno Dom. 1348.
de menſe Aprili 1. Indictionis.

Que quidem mortalitas dura
uit à menſe Septembris dictæ pri-
mæ Indict. viq, ad mortẽ Ducis
ſupradicti paulò ante, vel poſt.

Talis itaq; grauis fuit mor-
talitas in nullo diſpar ſexu, in
nulla ætate diſſimilis generali-
ter cunctos iugiter commori
D fecit, vt etiam quos non egit in
mortem, turpiter exinanitos af-
flictoſq; dimiſit, atq, relaxauit.
In qua mortalitate fuit dictus
PATRIARCHA mortuus, & Se-
pultus in Maiori Catan. Eccle-
ſia. Anima eius requieſcat in
pace.

Hactenus Auctor iſte.

Eodem anno 17. Iunij, ſcribit Pir-
rus hic fol. 44. *ſupplicationes in me-*

moriam

mortã liberatæ, tibi à peſte meritis B. Agathæ V. & M. inſtitutæ ſunt Catanæ, vti in martirologio Siculo Caietani eo die fol. 121. Labitur tamen Auctor iſte, ſæuam namq; peſtilentiæ lutem à menſe ſeptẽbris ad menſem Aprilis Catanæ debacchatam laudatus *F. Michael* oculatus teſtis enarrat. Has porrò Supplicationes anno 1572. quo identidem ſæuus peſtilentiæ morbus Catanenſes angebat, *in Catan. Annalibus* ad eum annum inſtitutas oſtendimus.

§. XXXVII.

PETRVS.

Anno humanæ Salutis 1349.

POſt Gerardum ad Epiſcopale Catanenſis Eccleſiæ faſtigium euehitur anno 1349. *PETRVS*, vt patria, ſic cognomine nobis adhuc ignotus.

Proximo huic anno 1350 gratia iterũ inter *Emanuelem* Monteregal. Archiepiſcopum, & *Petrum* Præſulem noſtrum exorta ſunt diſſidia. Si credimus *Lello Hiſt. Montis regal. par* 2. *fol.* 75. Contendebat Archiepiſcopus Metropolitica iura ſuffurari: renuebat Epiſcopus illi deferre, A ciuſdemque viſitationem admittere, ne aliàs exemptionis ſuæ iura depomparentur. Re ad Pontificem delata, ad *Petrum della Porta* Meſſan. Archiep. ſcopũ, literas excripſit *Clemens VI.* Auenione 28. Iunij 1350. vt excitatas cõtrouerſias pro auctoritate componeret, vel dirimeret. Ceterum quid actum exinde fuerit, nihil quod ad noſtram peruenerit notitiam in tabularijs noſtris offendere licuit, nec laudatus Auctor ſubiungit. B

Tertio poſt hæc anno, *Ludouicus Rex* conciuium ſuorum ope operaq;, Regni inuaſorum præcipiti curſu repreſſo, victor in Patriam redit, ibi à Præſule noſtro, Blaſcho Alagona, ceteriſq; conciuibus quamlætiſſimè exceptus, honorificum illis conceſſit Priuileg ium 14 Martij 1353. in eo præ ceteris *Catanenſes*, quos vnice diligebat, conciues ſuos, non niſi p. oprio Magiſtratui ſiſtendos indulſit. *Catanam tertiam ſororem Panormo & Meſſinæ datam* appellat: illud tot fauoribus refertum, quot verbis expreſſum Catanẽſium fidei, officij virtutis, munificentiæ deniq; monumentum perenne placuit exſcribere. C

LVDOVICVS Dei gratia Rex Siciliæ.

Diuinè, vt credimus, natalis noſtri Auctrix AGATHA fuit Beata Cataniæ, quia ſicut nos in SVA PATRIA naſci voluit, ſic eam noſtri defenſatricem nominis impetrauit: vt eodem tempore Ciuitatem ipſam Priuilegio ſuo à violentorum mucrone de- D

fenderet, & noſtrũ IN EA REFVGIVM neceſſitatis tempore ſtabiliret. Conſiderantes igitur fidem puram, ac deuotionem firmiſſimam, quas vos ciues Cataniæ fideles noſtri ad Diuos Principes prædeceſſores noſtros glorioſæ memoriæ, maxime ad NOS, noſtra fluctuante puericia, habuiſtis, perſonarum & rerum iacturis non parcendo grauiſſimis; imo adhuc tenaci fide perſeuerantes in cæptis, augeri credimus in futurum; vos, ſucceſſores veſtros, & poſteros vtriuſq; ſexus in perpetuum a ſolutione iuris Triceſimæ, & Sexageſimæ ſolui Iudicibus in cauſarum aut litium agitationibus cõſuetæ, ſiue agatis, ſiue conueniamini, exemptos reddimus, & ex grata beneuolentia liberamus. Quodq pro quibuscũq; cauſis, & litibus ciuilib' aut criminalibus, ſiue mixtis, maieſtatis læſæ crimine, feudorũ quæſtionibus, & alijs exceptis caſibus, qui de Priuilegijs felicis vrbis Panormi & Ciuitatis Nobilis Meſſanæ, ac eorum interpetrationibus, & obſeruantijs exceptantur, extrahi ad cauſandum per Magnam noſtram Curiam, aut quemcũq; Magiſtratum alium non poſſitis inuiti. Non obſtante quòd alibi forum ſortiamini contractus ratione cuiuſlibet, vel delicti; vt ſicut Meſſana & Panormus gratis per eas Diuis prædeceſſoribus noſtris collatis ſeruitijs, velut duæ ſorores, paria quaſi meruerunt Priuilegia, ſic tu CATINENSIS CIVITAS, quoad præſcripta tuis cõceſſa ciuibus, lætari valeas SOROR, eis TERTIA nuper data. Ad huiuſmodi autem noſtræ conceſſionis memoriam, & robur perpetuò valiturum, præſens Priuilegium vobis exinde fieri, & Maieſtatis noſtræ Sigillo pendenti iuſſimus communiri. Datum Catinæ per nobilem Bonifacium Friderici de Aragonia Regni Siciliæ Cancellarium, conſanguineum, conſiliarium familiarem, & fidelem noſtrum. Anno Dominicæ Incarnationis 1353. die 14. Martij 7. Indict.

Sub eiuſdem anni ſpatiũ Veronæ in Cathedrali Eccleſia adinuentum fuiſſe corpus noſtræ conciuis AGATHÆ, quod diù ibidem latuerat, ex illius Eccleſiæ Martyrologio ſcribit *Abbas Ferdinandus Vghellus* lectionis plurimæ vir & eruditionis, *Italiæ ſacræ tom. 4. fol. 876.* Veronenſes Epiſcopos, inter quos *Petrum Scaligerum*, ſiue *della Scala* recentans.

Subdubitat tamen, & rectè, laudatus Auctor, num aſſerta Inuentionis narratio ſibi ipſi cohæreat, & quia quo tempore, quo pacto, & à quo Sacra Agathæ ipſiana Veronam delata ſint nullatenus conſtat: & quia nulla alia reperitur memoria idipſum conteſtans; & deniq; quia Agathæ corpus anno 722. e Catana Bizantium delatum, indeq; Catanam miraculosè reuerſum ann. 1126. Siculæ omnes teſtantur hiſtoriæ.

Dixerim ego Veronenſis Martyrologij aſſertionem Die, Conſule, & Auctore deſtitutam, nedum

dum apocryphum, & nullius fidei, verùm & inter aniles fabellas reijciendam quam & miraculosa Agathæ ad Catanam Patriã suam reuersio, & ipsius sacri Corporis apud nos integri, nullaq; sui parte diminuti, aut deturbati eundentia pariter & existentia omnibus obuia incunabiliter arcessunt, explodunt; Similis est de Agathæ inuentione narratio quæ relatæ illi, qua Athanasium calumniabantur Arianę hęresis Sectatores, cũ assererent Athanasium Arsenio manum amputasse, ipso Arsenio vtramq; manum incolumem & integram omnibus ostendente. Eadem igitur facilitate, quæ Veronens. Martyrologium id asseuerat, eadem, ego negauerim. Adeunda ad rem quę ego ipse dicebam *Catan. Decach. chord. 2. Mod. 3. fol. 45. & in hocipso libello §. 21. fol. 70.*

Proximo huic anno 1354. per omnem ferè Siciliã (verba *Pirri* hic vsurpo, qui ex *F. Michaele de Piatia*, & *Fazello Decade 2. lib. 9. cap. 5. ad finem* ante nos vsurpauit) innumera locustarũ multitudo insolitæ magnitudinis, ac

A incertæ originis, in Catanæ præsertim regione, irrupit, cùm segetes, vineta, nemora, hortus, atq; arbores omnes tum domesticas, tum siluestres, earumq; etiam cortices amaras vsq; ad radices, vno vbiq; ore depastata esset, ventorum deinde ui in turbas acies; dessissa, in Ionium mare acta est, sed quamuis extinxerit, earum tamen cadauera mare suis fluctibus reduxit ad littora: teterrimus putor ita aërem infecit, vt oborta pestis omnem propè Siciliam toto mense Iulio populata sit.

B Sæua hæc pestilentiæ rabies magnam Catanensiũ populorum stragẽ effecit. Optimates nõ paucos e viuis eripuit, præcipui recẽsentur *Antistes* noster, *Ludouicus Siciliæ Rex*, de quo laxius infra, *Fridericus* Athenarum Dux, *Matheus Sclafanus* Adrani Comes, Blascus Alagona, & alij plures.

C Episcopi nostri decessu Ecclesiastici prouentus in belli suppetias erogant *Fridericus III. Rex*, Berardo la lignameMessan. secreto ad eã pecuniã comparãdam Catanã tranimisso anno 1355.



§. XXXVIII.

IOANNES DE LVNA.

Anno à Virginis puerperio 1355.

PEtro è viuis sublato, in Catan. Cathedra collocatur *IOANNES DE LVNA* regio genere exortus, auctore post alios *Pirro hic fol. 45.* Regiæ successionis ordinem ita dinumerante. *Regium hoc genus appello: nam Maria Lunæ Comitissa vxor fuit alterius Petri Aragoniæ Regis, atq; ex ea natus est Ioannes Aragonius Rex, & Martinus Senior, qui deinde noster Siculus Rex fuit; vnde it Ferdinandum Lopes de Luna, qui in Sicilia degebat, auunculum appellit.*

Paria scripserat *Fazellus Decade 2. lib. 9. cap. 5.* cuius hæc verba. *Ea proinde victoria* (quando scil. Ludouicus Rex Leontinorum, Claramontanorum, Aloysij tandem Neapolitanorum Regis copias, cõgressis legionibus, consternauit. *LVDOVICVS REX animo elatus ad Leontinum subigendum se conuertit, hic cum res nummaria sibi deesset, Catanenses tarenorum x. per singulas frumenti salmas vectigali sibi imposito, tantum breui auri confecere, vt sufficienti commeatu instructus ad id bellum Rex sexcentos equites, peditumq; ingentem numerum in Leontinensium obsidionem eduxerit. Erat in eo exercitu Blasebus Alagona, Artalis Alagona, IOANNES DE LVNA Catanensis Præsul Regio genere exortus, Matthæus Montecatinus, & alij fere omnes Regni proceres &c.*

In oppido Mascalarũ Antistes noster ex munere constituit administros, recepto ab eis iureiurando de legaliter exequenda sibi demandata prouincia, 20. Martij 8. Ind. 1355. Est Catanensis Episcopus *Mascalarum Comes, & Dominus*, etiam in temporalibus, vt aiunt.

Monasterium *S. Mariæ de Manachabus* suppressit (inualuerant per ea tempora intus pugnæ, foris timores, vndiq, bella Ciuitatem Ciuesq; lancinabant) & ei, quod *D. Iuliano* sacrum est, addixit, atq; vt vtraque in vnum sacrarum Virginum Collegium coalescerent, edixit 15. Ianuarij 1355.

Eodem anno *Ludouicus Rex* pestifero locustarum fœtore, vt dicebam, affectus è viuis ereptus est, & in Æde maxima Catanensi regio more tumulatus. Rem habet *Fazellus Dec. 2. lib. 9. cap. 3.* hæc inquiens. *Post aliquot dies, Ludouicus decernendi animi gratia Arim petijt, vbi statim in morbum lethalem lapsus die 16. Octobr. anno 1355. sedecim & septem annos natus, duodecim verò Regno potitus, Friderico fratre in Regnum suffecto, fato functus est. Eius cadauer eodem die Catanam extra mœnia ad Æd. D. Mariæ la grande asportatum; die verò sequenti longo procerum ac ciuium omnium ordine, ad Templũ maximum D. Agathæ traductum, more regio tumulatum est; quarto deinde die, qui fuit 20. Octobr. dies Blasebus Alagona Catanæ & ipse febre correptus, Artali, Blasebi, & Ioanne relictis filijs decessit; atq; in Maximo quoque Templo sepulturæ est traditus.*

Mor-

Mortuo Ludouico, *Fridericus* eius germanus frater, cognomẽto *Simplex*, tresdecim tunc annos natus in Siciliæ Sceptrum hæreditario iure succeſſit: *Catanæ* Regium fixit ſolium, eamq; Regiam ſibi adlegit, ac Belli ſedem conſtituit: hinc *CATANAM REGNI CAPVT* appellat *F. Michael de Piatia* in ſuo Chron. Adeunda, quæ *in Catan. Decach. Chord. 7. mod. 17. pertotum* ego ipſe dicebã.

Quid præterea noſter egerit Antiſtes incompertum habeo, coniectari tamen facile erit & optatum, atra hac peſtilentiæ tabe confectum hoc eodem anno, vel proximè ſequenti naturæ pariter & Cathedræ ceſſiſſe, dignori, vt pie credere licet, in cœlis Cathedra donandum.



§. XXXIX.

MARTIALIS.

Anno reparatæ ſalutis 1357.

SEd iam virtute magnus, prudentia maximus, nemini poſthabendus *ab Innocentio VI. dato Diplomate Romæ 12. Kal. martij* 1357. Catanenſibus datur Epiſcopus *MARTIALIS* è Benedictina familia, rectè factis nomen eius perpetuo perennaturis vſquequaq; notiſſimus. Nuncius item Apoſtolicus per vniuerſam Siciliam deſignatus. Dignus profectò, qui ad tantæ dignitatis faſtigium eueheretur, cuius præfecturam D. O. M. plurimis fortunauit honorum augmentis.

Vicarium habuit ſpectatæ virtutis virum *Antonium de Vulpono* Catan. Eccleſiæ Decanum, qui poſtmodum Mileuitanus Epiſcopus renunciatus eſt anno 1373. Tum *Albertum de Rocca* Benedictinum *S. Mariæ de Maniacia* Abbatem virum in paucis nauum, dexteritate præceptum.

S. Mariæ de Licodia Cœnobium, quod Abbatiali dignitate cohoneſtatum, ei, quod *S. Leonis*, ſiue *S. Nicolai* dicitur, annexauerat *Rogerius* eius prædeceſſor anno 1196. vt denuo in vnam eamdemque familiam conuenirent, effecit, ea præſcripta lege, vt qui Monaſt. S. M. de Licodia præeſſet Abbas, idem quoq; & *S. Nicolai de Arenis* Abbas diceretur, & eſſet, ſcripto huiuſcemodi vnionis inſtrumento anno 1358. & iterũ apud tabulas *Nicolai de Latiſantibus* 25. *Iulij* 12. *Indict.* 1356. Tum ſacram Ædem *D. Mariæ de Robore groſſo* ab Adelacia Rogerij Comitis ex Metilde filia, & *Rudulpho* Montis Canoſi Comite, nepte erectam, ac Regia munificentia latifundijs adauctam eidem Cœnobio ſub idem tempus adiunxit. Hoſpitalem domum *S. Nicolai de Nemore* nũc de Arenis a

nis à Regina *Eliſabetha* Friderici III. matre reædificatam in Monaſterium ordinis D. Benedicti conuertit, habita ad id facultate *à Clemente 6. Rom. Pont.*

Eccleſiæ ſuę iurium acerrimus, ſi quis alius, propugnator; Iuriſdictionem, quā in oppido nunc Ciuitate *Calaxibetta*, tum in ſpiritualibus tū in temporalibus aliàs exercebat Epiſcopus: mox ne ipſe exerceret, obſiſtebant Regis adminiſtri, ſed *Martialis* infrangibilis animi Præſul à violētorum mucrone vindicauit, ac ſartā tectamq; pro munere ſeruauit, emanatis ideò Cameralib⁹ ſanctionibus, quas *Proceſſus Fulminatos* appellant, Martiali cauſa omnis adiudicata eſt, apud tabulas *Vincentij Catalano Ennenſis* 20. *Aprilis* 11. *Indict.* 1358.

Nuptias inter *Fridericum* Siciliæ Regē, & *Conſtantiam* Petri IV. Aragonenſium Regis filiam initas, *Innocentio VI.* indulgente, Catalaunis item gratantibus, apud Menæū ſacrauit noſter Antiſtes 28. Februarij 1360. Sexto poſtmodū die, qui Martij quintus fuit, *CATANAM*, tunc *REGIAM*, Rex & Regina cum proceribus aduentarunt. Præſtat hic innectere *Fazelli* verba *Decad.* 2. *lib.* 9. *cap.* 6. perbellè rem indicātia. *Regales nuptiæ inter Fridericū Siciliæ Regem, & Conſtantiam Regis Aragonum filiam Menæi conſecratæ ſunt per Martialem Epiſcopū Catanenſem anno* 1360. *tum deinde Catanam Rex & Regina cum proceribus venerunt, ac regio à Catanēſibus florentes corollas in capite geſtantibus, & per octo dies feſtos himenæos concelebrantibus, honore ſunt ſuſcepti.*

Plurimis à Laudato *Friderico* cohoneſtatur honorum fauoribus. Regius Cancellarius primū deſignatur (eſt hoc apud Siculos præcipui ordinis honoramentum, indes ſit *Mario Mutæ ad conſuetud. Panorm. cap.* 86. *n.* 88. & 89. Quodnam verò ſit Cancellarij munus, dignitas, ac prærogatiua, conſule, ſi lubet, *Lucam de Penna in l. neminem C. de Decurionibus lib.* x. *& latiſſime in Rubr. C. de Quæſtoribus & magiſtris officiorum lib.* 12. *Caſſanæum in Catalogo gloriæ mundi parte* 7. *conſider.* 7. *Boerium de Auctorit. magni conſilij n.* 8. 10. & 23. *Albericum in Dictionar. in verb. Cancellarius*) ad maxima quæque Reipublicæ negotia adhibitus. Tum pecuniarum ab Eccleſiaſticis viris ad belli ſuppetias exſoluendarum collector ſuſcitur anno 1363.

Sub quod anni ſpatium *Maria* ex Friderico, quem dicebam, & Conſtantia coniuge nata ſacris baptiſmatis aquis à *Martiali* noſtro regeneratur, illam è ſacro fonte leuante *Artali de Algoni*, cuius curæ infantulam credidit moriens Regina: tertio ſiquidē partus die *Conſtantia* è viuis exceſſit menſe Iulio, & in maxima *D. Agathæ* Baſilica tumulatur, hac adiecta ſepulchrali Inſcriptione.

D. O. M. Conſtantia Petri IV. Regis Aragonum filia, ac Friderici III. uxor Catanæ obijt anno ſalutis 1363.

Religione in ſuperos quàm maximè emicuit. Priuatum illud ueteri *D. Agathæ* Baſilica iamdiù inſti-

tutum, ſed temporum iniuria, ſortunis deſtitutũ latifundijs ditauit, ac ſacerdotiorum prouentibus adauxit, ſcripto *Diplomate x. Iulij* 1366. Integrum illud exſcr pſi *Catan. Decacb. chard. 2. Mod. 3. Excurſ. 3.* Ædem D. Mariæ Adgitriæ ſacram ſacerdotijs cohoneſtauit anno 1368. quorum ſtipendia noſtra adhuc ætate indiminuta perſiſtunt; id quod ex Viſitationum tabulis edocemur.

Hæc dum muneri ſuo proſpiciens ſatageret *Martialis*, ab Vrbano Pontif. edictum emanaſſe infarcit *Aloyſius Lellus Hiſtor. Mõtis regalis part. 2. fol. 77.* cuius cẽſioni ſubſignat *Pirrus* in illius *Eccleſiæ Notitia ad annum* 1370. & iterum *hic ad annũ* 1370. *fol.* 46. vt Martialis noſter Guillelmo Archiepiſcopo vti Metropolitæ ſuffragium deferret. Magnus profectò *Lelli* error, imo prauus *Ludouici de Torres* exceſſus, dum quod verè ambiebat non veris inuertit. Expende quæ ſuperiùs dicebam §. 26. ſect. 6. fol. 111. & deceptorem agnoſces, & dum agnoſcis, & fuga, & fuga.

Baculum paſtoralem, quo in ſacrarum functionum munijs ipſe ſuiq; ſucceſſores Epiſcopi pro tempore vterentur, ex chriſtallo, auro, & argento ſumptuotius elaboratum effecit; quem ne vllo vnquam tempore à Catan. Eccleſia abdicari cõtingeret, has *à Gregorio XI. literas exorauit. Gregorius &c. Baculũ argenteũ Paſtoralẽ, quẽ ſuis ſumptibus Martialis ad vſũ Catanen. Epiſcoporũ fecit, nullus Apoſtolicæ Sedis Nuncius, ſeu qui uis Cõmiſſarius, Collector, vel Succollector extrahere poſſit, nec vllatenus alienare pignorare &c. Dat. Auenione 2. Idus februarij Pontific. noſtri ãno* 1.

Sacellum *Diuo Martiali* Epiſcopo dicauit, cui & opimum addixit ſacerdotium 6. Aprilis 8. Iud. 1370.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ tenaciſſimus audijt apud omnes, ſed *Gregorium XI.* in primis, qui literis Auenione 10. Decẽbris 1371. ſcriptis, *Martiali* præſcripſit, vt Monregalenſe Cœnobiũ *Guillelmi* Archiepiſcopi ſocordia monachis ac monaſticis diſciplinis deſtitutum in priſtinum reſtitueret ſtatum, viginti item monachos ex D. Nicolai, ac S. M. de Licodia Aſceterio illic ſiſteret, vt vel ſic Regularem diſciplinam Præſulis iniuria proſcriptam, quaſi poſtliminio reuocaret; id quod egregiè præſtitit noſter Antiſtes. Templum item opportunis nobilitauit aulæis; Ædificia vndiq; rimoſa, ſqualentia, malè tandem feriata decentiſſimè reſtaurauit, amplioribus dilatauit ſpatijs, nitidioribus concinnauit augmentis. Rem habent *D. Nicolai de Arenis Tabulæ fol.* 78. ſed vel maximè *Rocchus Pirrus in Monteregal. Eccleſ. Notitia fol.* 420. ſic inquiẽs *Bona Monteregalenſis Eccleſiæ diſſipauit Guillelmus: vnde Gregorius XI. 16. Decembris anno* 1371. *Martiali Catan. Epiſcopo ſcripſit, vt quoniam in Monteregalenſi Coenobio nec vnus monachus reliquus fuiſſet Guillelmi diſidia, Pontificia ipſe auctoritate ſultus ex alijs Siculis Cœnobijs ordinis S. Benedicti viginti deligeret monachos, Templum atq; ædificia collabentia repararet.*

A Fri-

A *Friderico Rege* ad prætactum *Gregorium XI.* Orator missus, quod in mandatis acceperat (vt scil. *Friderico* Regiũ Siciliæ Diadema sibi liceret suscipere) dexterrimè perfecit: mense siquidè Ianuario 1374 maiorum more, Pontifice in primis annuente, *Fridericus* Siciliæ corona redimitur, ac Rex salutatur.

Auenionè cum esset apud Põtificem *Friderici* causam tractaturus, argenteas Thecas, Capsulam item vermiculato opere elegantissimè elaboratam, Statuam denique toto orbe celeberrimam, quibus sacra *Diuæ Agathæ* Pignora obsignarentur, ære proprio exciuit: id quod gentilitia illius Stemmata ibidem sculpturata testantur, Inscriptio item proximè illis adhærens.

Virginis istud opus Agathæ sub nomine cæptum
Martialis fuerat quo tempore Præsul in Vrbe
Cataniæ, cui pastor successit Helias.
Ambos Lemouicũ clarè produxerat ardor.
Artificis manus hoc fabricauit marte Ioannes,
Bartolus, & genitor, celebris cui Patria Ceue.
Mille ter & centum post partum Virginis almæ,
Et decies septem sexto; fluentibus annis.

Immaturata tamẽ morte preuentus, dum summa omnia ab eo expectarentur, *Auenione* decessit anno 1375. *Agathæ* ideo Reliquias in excitatis à se Loculis reconditas non vidit. Thecas namq; illas Auenione *Catanam* aduectas vndecimo Decembris 1377. Indict. 15. biennio ab eius obitu fere exacto, edocent *Tabulæ Priuilegiorũ nostræ Vrbis infine.*

§. XXXX.

HELIAS.

Anno redempti orbis 1375.

MArtiali successor datus est HELIAS, Catanensem Cathedrã assecutus anno 1375. Patria Lemouicensis in Gallia Aquitanica.

De eo illud in primis edocemur, quas in excitatis à se Thecis Agathæ Reliquias recondere non potuit Martialis morte preuentus, has obsignauit Helias illius in Catanensi Cathedra successor, id quod gentilitia illius stemmata Sacræ Agathæ Statuæ supposita præferunt.

Quo tempore Christianus orbis duos aspiciebat Pontifices, *Vrbanum* nempe huius nominis *VI.* & *Robertum Gebennensem*, qui *Clemens VII.* dicebatur, *Helias* pseudo Pontifici aduersus *Vrbanum*

Vrbanum adhæſit: hinc factum, vt à Catan. Eccleſiæ puppi fuerit, electus, ac præſulatu ſpoliatus. Abdicationis ſententiam in Diplomate, quo prætactam Catan. Eccleſiam ob Heliæ inobedientiam *Simoni de Puteo* collatam voluit Pontifex dato Diplomate *Romæ apud S. Mariã Trans Tyberim* 17. *Kal. Ianuarij Pontificat. anno primo*, Salutis verò 1378. legere eſt: verba rei ſulciendæ opportuna dumtaxat exſcribam.

A

Dudum ſiquidem iniquitatis alumno Helia olim Cathanienſi Epiſcopo regimini Cathanienſis Eccleſiæ præſidente &c. Poſtmodum verò præfata Eccleſia ex eo vacante, quòd idem Helias cum perditionis filijs Roberto olim Baſilicæ XII. Apoſtolorum, Ioãne olim S. Clementis presbyteris, & Petro olim S. Euſtachij Diac. Cardinalibus Hæreſiarchis, & per nos hæreſi damnatis, etiam poſt, & contra proceſſus per nos contra ipſos factos, eis adhærendo, diuerſas conſpirationes, & colligationes contra nos facere, & ordinare, atque præfato Roberto Antipapæ qui auſu temerario ſe Papam nominat, adhærere, & fauere præſumpſit, noſq; propter præmiſſa eumdem Heliam à regimine dictæ Eccleſiæ amotum, & depoſitum fuiſſe declarauimus, ipſumq; propter cautelam amouimus, & depoſuimus. &c.

B

Atqui *Heliam* anno 1379. Catanens. Epiſcopum adhuc geſſiſſe teſtatur emphiteuticum inſtrumentum apud Epiſcopij tabulas 29. *Aprilis* 2. *Indict.* 1379. quo *F. Andreæ de Cutellis* illius Vicario, & Eccleſiæ Priori Apothecas quasdam de Eccleſiæ bonis ab *Helia* legimus conceſſas. Dixerim ego, *Heliæ* abdicationem vel non ita feſtinanter executioni mandatam, ſicuti fulminanter à Pontifice fuerat imperata; vel *Martini Regis* auctoritate ab *Vrbano* laceſſiti (initas cum *Maria* Friderici III. filia nuptias Pontifex deturbabat, imò Regiam puellam Franciſco Prignano ſuo ex fratre nepoti deſtinauerat) in re tam ſeria ſegnius actum eſt. Vtcumq; res fuerit, *Helias* è ſede electus eſt, Eccleſia, Dignitate, bonis tandem omnibus ſpoliatus: à Clemente tamen Antipapa, cuius ipſe fuerat ſectator, Melphienſem Eccleſiam occupandam ſuſcepit anno 1384.

C

D

§. XXXXI.

F. SIMON DE PVTEO.

Ann. reparationis humanę 1379

EXauctorato vt dicebam *Helia*, In Cat. ſpecula collocatur *F. SIMON DE PVTEO*, patria Meſſanenſis, profeſſione Do-

minicanus, Theologus inter doctiſſimos quoſque ſcientiſſimus, teſte præ cæteris *Michaele Pio de Viris Illuſtribus Dominic. part. 2. lib. 3. fol. 74.* Prædicator etiam non ſolum diſertiſſimus, quòd ei cõmune cum multis eſſe poterat, ſed etiam, quod cum perpaucis, eloquentiſſimus.

Plurimis, iſq; præcipuis ab *Vrbano V. Gregorio XI. Vrbano VI. & Bonifacio IX.* Romanis Pontificibus, ac etiam *Friderico*, & *Martino* Siciliæ Regibus, ex virtutis merito, honeſtatur honorum fauoribus. *A Friderico* Rege Eccleſiaſtes primum adlegitur, tum à Conſiliis adſciſcitur. Ab *Vrbano V.* ad euertendam Hebræorum ſynagogam in Sicilia denuò erectam Quæſitor deſignatur anno 1369. *A Gregorio XI.* qui Vrbano in Pontificatu ſucceſſit, de rebus fidei Quæſitor generalis in Sicilia conſtituitur anno 1374. rem maximopere affectãte *Friderico*: produnt id literæ à Rege ad ſuos adminiſtros exſcriptæ *Meſſanæ* 20. *Decembris* 12. *Ind.* 1374. Tum Nuncius Apoſtolicus in Sicilia deſignatur, ac Romanæ Eccleſiæ iurium collector anno 1375. q iã item prouinciam in Sicilia, inſulisq; ei adiacentibus, *Vrbano VI. & Bonifacio IX.* in Petri cathedra ſedentibus, obtinuit. Monumentum exhibeo.

BONIFACIVS EPISCOPVS
ſeruus ſeruorum Dei.

Venerabili F. Simoni Epiſcopo Catanienſi Apoſtolicæ Sedis Nuncio ſalutem, & Apoſtolicam benedictionẽ.

Cum felicis recordationis Vrbanus Papa VI. prædeceſſor noſter, & immediatus, de tuæ fidelitatis, & circumſpectionis induſtria plenam fiduciam habẽs te in nonnullis partibus, fructuũ & prouentuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum conſtituerit collectorem: Nos vt huiuſmodi officium fauorabilius proſequi poſſis, & efficacius ad vtilitatem ipſius Cameræ exequaris, Fraternitati tuæ, vt huiuſmodi officio, & interim omnibus & ſingulis literis per dictũ Prædeceſſorem noſtrũ, aut agẽtes prefatę camerę tibi in officio prædicto directis ſuper quibuſuis tam expreſſis, quam non expreſſis vti, & contenta in eis exequi valeas, prouiſo tamen quòd aliquas exactiones & extorſiones iniuſtas & indebitas nullatenus facias, plenam concedimus tenore præſentium facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum 4. Idus Nouembris Põtificatus noſtri anno primo, ſalutis 1390.

Tum ab *Vrbano VI.* Catan. Eccleſiæ præficitur Epiſcopus ann. 1378. electo, vt dicebam, *Helia*. Simonis virtutem, artes, dexteritatem, mores deniq; perbellè teſtatur laudatus Pontifex in ſubiecto Diplomate.

VRBANVS EPISCOPVS
ſeruus ſeruorum Dei.

Dilectis filiis Capitulo Eccleſiæ Catanenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Apoſtolatus officium inſufficientibus meritis nobis ex alto cõmiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, viriliter exequi, coadiuuante Domino, cupientes, ſolliciti corde redi-

reddimur, & ſolertes, & cum de ipſarum regiminibus agitur cõmittendis, tales eis in Paſtores preficere ſtudemus, qui commiſſum ſibi gregem Dominicum ſciant non ſolùm doctrina verbi, ſed exemplo bõni operis informare; commiſſaſq; ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo ve lint, & debeãt, duce Dño, ſalubriter regere, & feliciter gubernare.

Dudum ſiquidem iniquitatis alumno HELIA olim Catan. Epiſcopo regimini Catanienſis Eccleſiæ prælidente, Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis prouidentiam, vtilem & idoneam præeſſe perſonam, prouiſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ ea vice duximus ſpecialiter reſeruandam; declarantes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quaſcunq; perſonas quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Poſtmodum verò prefata Eccleſia ex eo vacante, quòd idem HELIAS cum perditionis filijs Roberto olim Baſilicæ XII. Apoſtolorum, Ioanne olim tit. S. Marcelli, Gerardo olim tit. S. Clementis preſbyteris, & Petro olim S. Euſtachij Diacon. Cardinalibus, Hæreſiarchis, & per Nos hæreſi damnatis, etiam poſt, & contra proceſſus per Nos contra ipſos factos, eis adhærendo diuerſas conſpirationes, & colligationes contra Nos facere, & ordinare, atq; præfato Roberto Antipapæ, qui auſu temerario, ſe Papam nominat, adhærere, & fauere præſumpſit, crimen hæreſis, & Apoſtaſiæ, ac læſæ Maieſtatis damnabiliter incurrendo, Noſq; propter præmiſſa eumdem Heliam a regimine dictæ Eccleſiæ amotum & depoſitũ fuiſſe declarauimus, ipſumq; propter cautelam amouimus, & depoſuimus. Nos ad prouiſionem dictæ Eccleſiæ celerem & facilem, de qua nullus prẽter Nos hac vice ſe intromittere potuerat, neq poterat, reſeruatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis; ne Eccleſia ipſa prolixa vacatione exponeretur incõmodis: paternis & ſollicitis ſtudijs intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonã vtilem, & fructuoſam cum fratribus noſtris diligentem, ad dilectum filium SIMONEM DE PVTEO electum Catanienſem Ord. Fratrũ Prędicatorũ, profeſſorẽ in S. T. Magiſtrũ, & in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de religione, zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium prouidentia, & temporaliũ circumſpectione, alijſq, multiplicũ virtutum meritis apud nos laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis.

Quibus omnibus debita meditatione penſatis, & de perſona ipſius Electi nobis, & eiſdem fratribus noſtris, ob dictorum ſuorum exigentiam meritorum accepta, ipſi Catanienſi Eccleſiæ de dictorum fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica prouidemus, ipſumq; illi preficimus in Paſtorẽ, & Epiſcopũ &c.

Datum Romæ apud S. Maxim-

ſternebatur febribus immenſis incitatum, & amaritudine non modica contriſtatum; quapropter glandulæ illę ad modum nucis reſtabant, deinde ad modum oui gallinæ, vel anſeris; cuius dolore non modico, & humorum putrefactione vrgebatur dictum humanum corpus ſanguine expuere, ſed ſputum à pulmone infecto proueniens ad guttur, totum corpus humanum putrefaciebat, quo putrefacto, humoribus deficientibus, ſpiritum exhalabant; quæ quidem infirmitas triduò perdurabat, quarto verò die ad maius humanis prædicta humana corpora erant adempta.

Et paulò inferiùs hæc ſubijcit.

Ita mortalitas Catanam inuaſit, quòd Iudices, & Notarij ferri, ad teſtamentaq; facienda ire recuſabant: & ſi ad aliquem infirmum accederēt, ab eo procul omnimodò ſtabant. Sacerdotes verò nullatenus ad domos infirmorum accedere, timore nimio mortis, trepidabant. PATRIARCHA verò volēs de animabus Catanenſium prouidere, cuilibet ſacerdoti, licet minimo, totam, quam habebat, Epiſcopalem, & Patriarchalem licentiam de abſoluendis peccatis tribuit, atq, dedit. Quapropter omnes, qui deficiebant, ſecundum veram opinionem ad locum Dei tutum infallibiliter erant recepti.

Dux verò Ioānes timens mortem ſupradictam, nolens ciuibus & locis appropinquare habitatis propter aeris infectionem, per loca nemoroſa, & inhabitata circumquaque hinc inde cōtinuè verſabatur. Sed hinc inde, nunc ad Aquam Mili, quæ eſt in nemore Catanenſium, nunc ad quamdam Turrim, quæ vocatur lu Blancu per ſex milliaria à Ciuitate Cataniæ diſtantem; nunc ad quamdam Eccleſiam S. Saluatoris de Biancho in nemore Ciuitatis prædictæ, quaſi latitando diſcurrens, peruenit ad quamdam Eccleſiam, ſeu locum per dictum Ducem nouiter conſtructum, vocatum S. Andreæ, qui locus eſt in finibus Maſcalarum, in quo incolumis & ſanus exiſtebat. Sed ex quadam ſibi ſuperueniente infirmitate mortuus extitit, corpus eius fuit ſepultum in maiori Catanenſi Eccleſia, in eo videlicet tumulo, vbi corpus quondam Friderici Regis patris ſui fuerat conditum, & humatū, hoc anno Dom. 1348. de menſe Aprili 1. Indictionis.

Quę quidem mortalitas dura uit à meſe ſeptembris dictæ primæ Indict. vſq, ad mortē Ducis ſupradicti paulò ante, vel poſt.

Talis itaq; grauis fuit mortalitas in nullo diſpar ſexui, in nulla ætate diſſimilis generaliter cunctos iugiter commori fecit, vt etiam quos non egit in mortem, turpiter exinanitos afflictoſq; dimiſit, atq, relaxauit. In qua mortalitate fuit dictus PATRIARCHA mortuus, & Sepultus in Maiori Catan. Eccleſia. Anima eius requieſcat in pace.

Hactenus Auctor iſte.

Eodem anno 17. Iunij, ſcribit Pirrus hic fol. 44. *ſupplicationes in memoriam*

miriã liberatæ: vbis à peſte meritis B. Agathæ V. & M. inſtitutæ ſunt Catanæ, vti in martirologio Siculo Caietani eo die fol. 121. Labitur tamen Auctor iſte, ſæuam namq; peſtilentiæ lutem à menſe ſeptembris ad menſem Aprilis Catanæ debacchatam laudatus *F. Michael* oculatus teſtis enarrat. Has porrò Supplicationes anno 1572. quo identidem ſæuus peſtilentiæ morbus Catanenſes angebat, *in Catan. Annalibus* ad eum annum inſtitutas oſtendimus.



§. XXXVII.

PETRVS.

Anno humanæ Salutis 1349.

POſt Gerardum ad Epiſcopale Catanenſis Eccleſiæ faſtigium euehitur anno 1349. *PETRVS*, vt patria, ſic cognomine nobis adhuc ignotus.

Proximo huic anno 1350 grauia iterũ inter *Emanuelem* Monteregal. Archiepiſcopum, & *Petrum* Præſulem noſtrum oborta ſunt diſſidia. Si credimus *Lello Hiſt. Montis regal. par.* 2. *fol.* 75. Contendebat Archiepiſcopus Metropolitica iura ſuffurari: renuebat Epiſcopus illi deferre, ciuſdemque viſitationem admittere, ne aliàs exemptionis ſuæ iura depomparentur. Re ad Pontificem delata, ad *Petrum della Porta* Meſſan. Archiepiſcopũ, literas excripſit *Clemens VI.* Auenione 28. Iunij 1350. vt excitatas cõtrouerſias pro auctoritate componeret, vel dirimeret. Ceterum quid actum exinde fuerit, nihil quod ad noſtram peruenerit notitiam in tabularijs noſtris offendere licuit, nec laudatus Auctor ſubiungit.

Tertio poſt hæc anno, *Ludouicus Rex* conciuium ſuorum ope operaq;, Regni inuaſorum præcipiti curſu repreſſo, victor in Patriam redit, ibi à Præſule noſtro, Blaſcho Alagona, ceteriſq; conciuibus quamlætiſſimè exceptus, honorificum illis conceſſit Priuilegium 14. Martij 1353. in eo præ ceteris *Catanenſes*, quos vnice diligebat, conciues ſuos, non niſi propriò Magiſtratu ſiſtendos indulſit. *Catanam tertiam ſororem Panormo & Meſſinæ datam* appellat: illud tot fauoribus refertum, quot verbis expreſſum Catanenſium fidei, officij virtutis, munificentiæ deniq; monumentum perenne placuit exſcribere.

LVDOVICVS Dei gratia Rex Siciliæ,

Diuinè, vt credimus, natalis noſtri Auctrix AGATHA fuit Beata Cataniæ, quia ſicut nos in SVA PATRIA naſci voluit, ſic eam noſtri defenſatricem nominis impetrauit: vt eodem tempore Ciuitatem ipſam Priuilegio ſuo à violentorum mucrone defende-

fenderet, & noſtrũ IN EA REFVGIVM neceſſitatis tempore ſtabiliret. Conſiderantes igitur fidem puram, ac deuotionem firmiſſimam, quas vos ciues Cataniæ fideles noſtri ad Diuos Principes prædeceſſores noſtros glorioſæ memoriæ, maxime ad NOS, noſtra fluctuante puericia, habuiſtis, perſonarum & rerum iacturis non parcendo grauiſſimis; imo adhuc tenaci fide perſeuerantes in cæptis, augeri credimus in futurum; vos, ſucceſſores veſtros, & poſteros vtriuſq; ſexus in perpetuum a ſolutione iuris Triceſimæ, & Sexageſimæ ſolui Iudiciibus in cauſarum aut litium agitationibus cõſuetę, ſiue agatis, ſiue conueniamini, exemptos reddimus, & ex grata beneuolentia liberamus. Quodq pro quibuscũq; cauſis, & litibus ciuilib' aut criminalibus, ſiue mixtis, maieſtatis leſæ crimine, fæudorũ quæſtionibus, & alijs exceptis caſibus, qui de Priuilegijs tælicis vrbis Panormi, & Ciuitatis Nobilis Meſſanę, ac eorum interpetrationibus, & obſeruantijs exceptantur, extrahi ad cauſandum per Magnam noſtram Curiam, aut quemcũq; Magiſtratum alium non poſſitis inuiti. Non obſtante quòd alibi forum ſortiamini contractus ratione cuiuſlibet, vel delicti; vt ſicut Meſſana & Panormus gratis per eas Diuis prædeceſſoribus noſtris collatis ſeruitijs, velut duæ ſorores, paria quaſi meruerunt Priuilegia, ſic tu CATINENSIS CIVITAS, quoad præſcripta tuis cõceſſa ciuibus, lętari valeas SOROR eis TERTIA nuper data. Ad huiuſmodi autem noſtræ conceſſionis memoriam, & robur perpetuò valiturum, præſens Priuilegium vobis exinde fieri, & Maieſtatis noſtræ Sigillo pendenti iuſſimus communiri. Datum Catinæ per nobilem Bonifacium Friderici de Aragonia Regni Siciliæ Cancellarium, conſanguineum, conſiliarium familiarem, & fidelem noſtrum. Anno Dominicę Incarnationis 1353. die 14. Martij 7. Indict.

Sub eiuſdem anni ſpatiũ Veronæ in Cathedrali Eccleſia adinuentum fuiſſe corpus noſtræ conciuis AGATHÆ, quod diù ibidem latuerat, ex illius Eccleſiæ Martyrologio ſcribit *Abbas Ferdinandus Vghellus* lectionis plurimę vir & eruditionis, *Italiæ ſacræ tom. 4. fol. 876.* Veronenſes Epiſcopos, inter quos *Petrum Scaligerum*, ſiue *della Scala* recentans.

Subdubitat tamen, & rectè, laudatus Auctor, num aſſerta Inuentionis narratio ſibi ipſi cohæreat, & quia quo tempore, quo pacto, & à quo Sacra Agathæ ipſiana Veronam delata ſint nullatenus conſtat: & quia nulla alia reperitur memoria idipſum conteſtans; & deniq; quia Agathæ corpus anno 722. e Catana Bizantium delatum, indeq; Catanam miraculosè reuerſum ann. 1126. Siculæ omnes teſtantur hiſtoriæ.

Dixerim ego Veronenſis Martyrologij aſſertionem Die, Conſule, & Auctore deſtitutam, nedum

dum apocrypham, & nullius fidei; verùm & inter aniles fabellas reijciendam quam & miraculoſi Agathæ ad Catanam Patriã ſuam reuerſio, & ipſius ſacri Corporis apud nos integri, nullaq; ſui parte diminuti, aut deturbati euidentia pariter & exiſtentia omnibus obuia ineuitabiliter arceſſunt, explodunq; Simulis eſt de Agathæ inuentione narratio quærelæ illi, qua Athanaſium calumniabantur Arianę hereſis ſectatores, cũ aſſererent Athanaſium Arſenio manum amputaſſe, ipſo Arſenio vtramq; manum incolumem & integram omnibus oſtendente. Eadem igitur facilitate, quæ Veronenſe Martyrologium id aſſeuerat, eadem, ego negauerim. Adeunda ad rem quę ego ipſe dicebam *Catan. Decach. chord. 2. Mod. 3. fol. 45. & in hoc ipſo libello §. 21. fol. 70.*

Proximo huic anno 1354. per omnem fere Siciliã (verba *Pirri* hic vſurpo, qui ex *F. Michaele de Piatia*, & *Fazello Decade 2. lib. 9. cap. 5. ad finem* ante nos vſurpauit) innumera locuſtarũ multitudo inſolitæ magnitudinis, ac incertæ originis, in Catanæ preſertim regione, irrupit, cùm ſegetes, vineta, nemora, hortus, atq; arbores omnes tum domeſticas, tum ſilueſtres, earumq; etiam cortices amaras vſq; ad radices, vno vbiq; ore depaſtata eſſet, ventorum deinde ui in turbas acieſq; deſciſſa, in Ionium mare acta eſt, ſed quamuis extinxerit, earum tamen cadauera mare ſuis fluctibus reduxit ad littora: teterrimus putor ita aërem infecit, vt oborta peſtis omnem propè Siciliam toto menſe Iulio populata ſit.

Sæua hæc peſtilentiæ rabies magnam Catanenſiũ populorum ſtragẽ effecit. Optimates nõ paucos e viuis eripuit, præcipui recẽſentur *Antiſtes* noſter, *Ludouicus Siciliæ Rex*, de quo laxius infra, *Fridericus* Athenarum Dux, *Matthæus Sclapanus* Adrani Comes, Blaſcus Alagona, & alij plures.

Epiſcopi noſtri deceſſu Eccleſiaſtici prouentus in belli ſuppetias erogant *Fridericus III. Rex*, Berardo la Ignamea Meſſan. ſecreto ad eã pecuniã comparãdam Catanã tranſmiſſo anno 1355.

§. XXXVIII.

IOANNES DE LVNA.

Anno à Virginis puerperio 1355.

PEtro è viuis ſublato, in Catan. Cathedra collocatur *IOANNES DE LVNA* regio genere exortus, auctore poſt alios *Pirro hic fol. 45.* Regiæ ſucceſſionis ordinem ita dinumerante. *Regium hoc genus appello; nam Maria Lunæ Comitiſſa vxor fuit alterius Petri Aragoniæ Regis, atq; ex ea natus eſt Ioannes Aragoniæ Rex, & Martinus Senior, qui deinde noſter Siculus Rex fuit; vnde it Ferdinandum Lopes de Luna, qui in Sicilia degebat, auunculum appellat.*

Paria ſcripſerat *Fazellus Decade 2. lib. 9. cap. 5.* cuius hæc verba. *Ea proinde victoria* (quando ſcil. Ludouicus Rex Leontinorum, Claramontanorum, Aloyſij tandem Neapolitanorum Regis copias, cõgreſſis legionibus, conſternauit. *LVDOVICVS REX animo elatus ad Leontinum ſubigendum ſe conuertit, hoc cum eſt nummaria ſibi deeſſet, Catanenſes tarenorum x. per ſingulas frumenti ſalmas vectigali ſibi impoſito, tantum breui auri conficere, vt ſufficienti commeatu inſtructus ad id bellum Rex ſexcentos equites, peditumq; ingentem numerum in Leontinenſium obſidionem eduxerit. Erat in eo exercitu Blaſchus Alagona, Artalis Alagona, IOANNES DE LVNA Catanenſis Præſul Regio genere exortus, Matthæus Monteacutinus, & alij fere omnes Regni proceres &c.*

In oppido Maſcalarũ Antiſtes noſter ex munere conſtituit adminiſtros, recepto ab eis iureiurando de legaliter exequenda ſibi demandata prouincia, 20. Martij 8. Ind. 1355. Eſt Catanenſis Epiſcopus *Maſcalarum Comes, & Dominus*, etiam in temporalibus, vt aiunt.

Monaſterium *S. Mariæ de Manachabus* ſuppreſſit (inualuerant per ea tempora intus pugnæ, foris timores, vndiq, bella Ciuitatem Ciueſq; lancinabant) & ei, quod *D. Iuliano* ſacrum eſt, addixit, atq; vt vtraque in vnum ſacrarum Virginum Collegium coaleſcerent, edixit 15. Ianuarij 1355.

Eodem anno *Ludouicus Rex* peſtifero locuſtarum fœtore, vt dicebam, affectus è viuis ereptus eſt, & in Ædè maxima Catanenſi regio more tumulatus. Rem habet *Fazellus Dec. 2. lib. 9. cap. 5.* hæc inquiens. *Poſt aliquot dies, Ludouicus recreandi animi gratia Acim petijt, vbi ſtatim in morbum lethalem lapſus die 16. Octobr. anno 1355 decem & ſeptem annos natus, duodecim verò Regno potitus, Friderico fratre in Regnum ſuffecto, fato functus eſt. Eius cadauer eodem die Catanam extra mœnia ad Æ. lẽ D. Mariæ la grande aſportatum; die verò ſequenti longo procerum ac ciuium omnium ordine, ad Templũ maximum D. Agathæ tranſlatum more regio tumulatum eſt; quarto deinde die, qui fuit 20. Octobr. dies Blaſchus Alagona Catanæ ipſe febre correptus, Artali, Blaſchij, & Ioanne relictis filijs deceſſit; atq; in Maximo quoque Templo ſepulturæ eſt traditus.*

Mor-

Mortuo Ludouico, *Fridericus* eius germanus frater, cognomẽto *Simplex*, treſdecim tunc annos natus in Siciliæ Sceptrum hæreditario iure ſucceſſit: *Catanæ* Regium fixit ſolium, eamq; Regiam ſibi adlegit, ac Belli ſedem conſtituit: hinc *CATANAM REGNI CAPVT* appellat *F. Michael de Platia* in ſuo Chron. Adeunda, quæ *in Catan. Decach. Chord. 7. mod. 17. pertotum* ego ipſe dicebã.

Quid præterea noſter egerit Antiſtes incompertum habeo, conijcctari tamen facilè erit & prõptum, atra hac peſtilentiæ tabe confectum hoc eodem anno, vel proximè ſequenti naturæ pariter & Cathedræ ceſſiſſe, dignoſci, vt pie credere licet, in cœlis Cathedra donandum.



§. XXXIX.

MARTIALIS.

Anno reparatæ ſalutis 1357.

SEd iam virtute magnus, prudentia maximus, nemini poſthabendus *ab Innocentio VI. dato Diplomate Romæ 12. Kal. martij* 1357. Catanenſibus datur Epiſcopus *MARTIALIS* è Benedictina familia, rectè factis nomen eius perpetuo perennaturis vſquequaq; notiſſimus. Nuncius item Apoſtolicus per vniuerſam Siciliam deſignatus. Dignus profectò, qui ad tantæ dignitatis faſtigium eueheretur, cuius præfecturam D. O. M. plurimis fortunauit honorum augmentis.

Vicarium habuit ſpectatæ virtutis virum *Antonium de Vulpone* Catan. Eccleſiæ Decanum, qui poſtmodum Mileuitanus Epiſcopus renunciatus eſt anno 1373. Tum *Albertum de Rocca* Benedictinum *S. Mariæ de Maniacia* Abbatem virum in paucis nauum, dexteritate præcipuum.

S. Mariæ de Licodia Cœnobium, quod Abbatiali dignitate cohoneſtatum, ei, quod *S. Leonis*, ſiue *S. Nicolai* dicitur, annexuerat *Rogerius* eius prædeceſſor anno 1196. vt denuo in vnam eamdemque familiam conuenirent, effecit, ea præſcripta lege, vt qui Monaſt. S. M. de Licodia præeſſet Abbas, idem quoq; & *S. Nicolai de Arenis* Abbas diceretur, & eſſet, ſcripto huiuſcemodi vnionis inſtrumento anno 1358. & iterũ apud tabulas *Nicolai de Lafrſontius* 25. *Iulij* 12. *Indict.* 1356. Tum ſacram Ædem *D. Mariæ de Robore groſſo* ab Adelacia Rogerij Comitis ex Metilde filia, & *Rudulpho* Montis Canoſi Comite, nepte erectam, ac Regia munificentia latifundijs adauctam eidem Cœnobio ſub idem tempus adiunxit. Hoſpitalem domum *S. Nicolai de Nemore* nũc de Arenis a

nis à Regina *Eliſabetha* Friderici III. matre reædificatam in Monaſterium ordinis D. Benedicti conuertit, habita ad id facultate à *Clemente* 6. *Rom. Pont.*

Eccleſiæ ſuę iurium acerrimus, ſi quis alius, propugnator; Iuriſdictionem, quā in oppido nunc Ciuitate *Calaxibetta*, tum in ſpiritualibus, tū in temporalibus aliàs exercebat Epiſcopus: mox ne ipſe exerceret, obſiſtebant Regis adminiſtri, ſed *Martialis* in frangibilis animi Præſul à violētorum mucrone vindicauit, ac ſartā tectamq; pro munere ſeruauit; emanatis ideò Cameralib' ſanctionibus, quas *Proceſſus Fulminatos* appellant, Martiali cauſa omnis adiudicata eſt, apud tabulas *Vincentij Catalano Ennenſis* 20. *Aprilis* 11. *Indict.* 1358.

Nuptias inter *Fridericum* Siciliæ Regē, & *Conſtantiam* Petri IV. Aragonenſium Regis filiam initas, *Innocentio VI.* indulgente, Catalaunis item gratantibus, apud Menæū ſacrauit noſter Antiſtes 28. Februarij 1360. Sexto poſtmodū die, qui Martij quintus fuit, *CATANAM*, tunc *REGIAM*, Rex & Regina cum proceribus aduentarunt. Præſtat hic innectere *Fazelli* verba *Decad.* 2. *lib.* 9. *cap.* 6. perbellè rem indicātia. *Regales nuptiæ inter Fridericū Siciliæ Regem, & Conſtantiam Regis Aragonum filiam Menæi conjecratæ ſunt per Martialem Epiſcopū Catanenſem anno* 1360. *tum deinde Catanam Rex & Regina cum proceribus venerunt, ac regio à Catanēſibus florentes corollas in capite geſtantibus, & per octo dies feſtos himenæos concelebrantibus, honore ſunt ſuſcepti.*

Plurimis à Laudato *Friderico* cohoneſtatur honorum fauoribus. Regius Cancellarius primū deſignatur (eſt hoc apud Siculos præcipui ordinis honoramentum, ſides ſit *Mario Mutæ ad conſuetud. Panorm. cap.* 86. *n.* 88. & 89. Quodnam verò ſit Cancellarij munus, dignitas, ac prærogatiua, conſule, ſi lubet, *Lucam de Penna in l. neminem C. de Decurionibus lib.* x. *& latiſſime in Rubr. C. de Quæſtoribus & magiſtris officiorum lib.* 12. *Caſſanæum in Catalogo gloriæ mundi parte* 7. *conſider.* 7. *Boerium de Auctorit. magni conſulij n.* 8. 10. & 23. *Albericum in Dictionar. in verb. Cancellarius*) ad maxima quæque Reipublicæ negotia adhibitus. Tum pecuniarum ab Eccleſiaſticis viris ad belli ſuppetias exſoluendarum collector ſuffici tur anno 1363.

Sub quod anni ſpatium *Maria* ex Friderico, quem dicebam, & Conſtantia coniuge nata ſacris baptiſmatis aquis a *Martiali* noſtro regeneratur, illam è ſacro fonte leuante *Arnaldo de Aragonia*, cuius curæ infantulam credidit moriens Regina: tertio ſiquidē partus die *Conſtantia* è viuis exceſſit menſe Julio, & in maxima *D. Agathæ* Baſilica tumulatur, hac adiecta ſepulchrali Inſcriptione.

D. O. M. Conſtantia Petri IV. Regis Aragonum filia, ac Friderici III. uxor Catanæ obijt anno ſalutis 1363.

Religione in ſuperos quàm maxime emicuit. Prioratu illo veteri *D. Agathæ* Baſilica iamdū inti-

tutum, ſed temporum iniuria, ſortunis deſtitutũ latifundijs ditauit, ac ſacerdotiorum prouentibus adauxit; ſcripto *Diplomate x. Iulij* 1366. Integrum illud exſcr pſi *Catan. Decach. chord. 2. Mod. 3. Excurſ. 3.* Ædem D. Mariæ Adgitriæ ſacram ſacerdotijs cohoneſtauit anno 1368. quorum ſtipendia noſtra adhuc ætate indiminuta perſiſtunt; id quod ex Viſitationum tabulis edocemur.

Hæc dum muneri ſuo proſpiciens ſatageret *Martialis*, ab Vrbano Pontif. edictum emanaſſe infarcit *Aloyſius Lellus Hiſtor. Mõtis regalis part. 2. fol. 77.* cuius cẽſioni ſubſignat *Pirrus* in illius *Eccleſiæ Notitia ad annum* 1370. & iterum *hic ad annũ* 1370. *fol.* 46. vt Martialis noſter Guillelmo Archiepiſcopo vti Metropolitæ ſuffragium deferret. Magnus profectò *Lelli* error, imo prauus *Ludouici de Torres* exceſſus, dum quod verè ambiebat non veris inuertit. Expende quæ ſuperiùs dicebam §. 26. ſect. 6. fol. 111. & deceptorem agnoſces, & dum agnoſcis, ec fuga, & fuga.

Baculum paſtoralem, quo in ſacrarum functionum munijs ipſe ſuiq; ſucceſſores Epſcopi pro tempore vterentur, ex chriſtallo, auro, & argento ſumptuoſius elaboratum effecit; quem ne vllo vnquam tempore à Catan. Eccleſia abdicari cõtingeret, has *à Gregorio XI.* literas exorauit. *Gregorius &c. Baculũ argenteũ Paſtoralẽ, quẽ ſuis ſumptibus Martialis ad vſũ Catanen. Epiſcoporũ fecit, nullus Apoſtolicæ Sedis Nuncius, ſeu quiuis Cõmiſſarius, Collector, vel Subcollector extrahere poſſit, nec vllatenus alienare pignorare &c. Dat. Auenione 2. Idus februarij Põtific. noſtri ãno* 1.

Sacellum *Diuo Martiali* Epiſcopo dicauit, cui & opimum addixit ſacerdotium 6. Aprilis 8. Ind. 1370.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ tenaciſſimus audijt apud omnes, ſed *Gregorium XI.* in primis, qui literis Auenione 10. Decẽbris 1371. ſcriptis, *Martiali* præſcripſit, vt Monregalenſe Cœnobiũ *Guillelmi* Archiepiſcopi diſcordia monachis ac monaſticis diſciplinis deſtitutum in priſtinum reſtitueret ſtatum, viginti item monachos ex D. Nicolai, ac S. M. de Licodia Aſceterio illic ſiſteret, vt vel ſic Regularem diſciplinam Præſulis iniuria proſcriptam, quaſi poſtliminio reuocaret; id quod egregiè præſtitit noſter Antiſtes. Templum item opportunis nobilitauit aulæis; Ædificia vndiq; rimoſa, ſqualentia, malè tandem ſeriata decentiſſimè reſtaurauit, ampliſoribus dilatauit ſpatijs, nitidioribus concinnauit augmentis. Rem habent *D. Nicolai de Arenis Tabulæ fol.* 78. ſed vel maximè *Rocchus Pirrus in Monteregil. Eccleſ. Notitia fol.* 420. ſic inquiẽs *Bona Monteregalenſis Eccleſiæ diſſipauit Guillelmus: Vnde Gregorius XI.* 16. *Decembris anno* 1371. *Martiali Catan. Epiſcopo ſcripſit, vt quoniam in Monteregalenſi Coenobio nec vnus monachus reliquus fuiſſet Guillelmi diſſidia, Pontificia ipſe auctoritate ſuitus ex alijs Siculis Cœnobijs ordinis S. Benedicti viginti deligeret monachos, Templum atq; ædificia collabentia repararet.*

A Fri-

A *Friderico Rege* ad prætactum *Gregorium XI.* Orator miſſus, quod in mandatis acceperat (vtſcil. *Friderico* Regiũ Siciliæ Diadema ſibi liceret ſaſcipere) dexterrimè perfecit: menſe ſiquidè Ianuario 1374 maiorum more, Pontifice in primis annuente, *Fridericus* Siciliæ corona redimitur, ac Rex ſalutatur.

Auenione cum eſſet apud Põtificem *Friderici* cauſam tractaturus, argenteas Thecas, Capſulam item vermiculato opere elegantiſſimè elaboratam, Statuam denique toto orbe celeberrimam, quibus ſacra *Diuæ Agathæ* Pignora obſignarentur, ære proprio exciuit: id quod gentilitia illius Stemmata ibidem ſculpturata teſtantur, Inſcriptio item proximè illis adhærens.

Virginis iſtud opus Agathæ ſub nomine cæptum
Martialis fuerat quo tempore Præſul in Vrbe
Cataniæ, cui paſtor ſucceſſit Helias.
Ambos Lemouicũ clarè produxerat ardor.
Artificis manus hoc fabricauit marte Ioannes,
Bartolus, & genitor, celebris cui Patria Ceue.
Mille ter & centum poſt partum Virginis almæ,
Et decies ſeptem ſextoq; fluentibus annis.

Immaturata tamẽ morte prẽuentus, dum ſumma omnia ab eo expectarẽtur, *Auenione* deceſſit anno 1375. *Agathæ* ideo Reliquias in excitatis à ſe Loculis reconditas non vidit. Thecas namq; illas Auenione *Catanam* aduectas vndecimo Decembris 1377. Indict. 15. biennio ab eius obitu ferè exacto, edocent *Tabulæ Priuilegiorũ noſtræ Vrbis infine.*

§. XXXX.

HELIAS.

Anno redempti orbis 1375.

MArtiali ſucceſſor datus eſt HELIAS, Catanenſem Cathedrã aſſecutus anno 1375. Patria Lemouicenſis in Gallia Aquitanica.

De eo illud in primis edocemur, quas in excitatis à ſe Thecis Agathæ Reliquias recondere non potuit Martialis morte prẽuentus, has obſignauit Helias illius in Catanenſi Cathedra ſucceſſor, id quod gentilitia illius ſtemmata Sanctæ Agathæ Statuę ſuppoſita præferunt.

Quo tempore Chriſtianus orbis duos aſpiciebat Pontifices, *Vrbanum* nempe huius nominis *VI.* & *Robertum Gebenenſem*, qui *Clemens VII.* dicebatur, *Helias* pſeudo Pontifici aduerſus *Vrbanum*

Vrbanum adhæſit: hinc factum, vt à Catan. Eccleſiæ puppi fuerit, iectus, ac præſulatu ſpoliatus. Abdicationis ſententiam in Diplomate, quo prætactam Catan. Eccleſiam ob Heliæ inobedientiam *Simoni de Puteo* collatam voluit Pontifex dato Diplomate *Romæ apud S. Mariã Trans Tyberim 17. Kal. Ianuarij Pontificat. anno primo*, Salutis verò 1378. legere eſt: verba rei ſulciendæ opportuna dumtaxat exſcribam.

A

Dudum ſiquidem iniquitatis alumno Helia olim Cathanienſi Epiſcopo regimini Cathanienſis Eccleſiæ preſidente &c. Poſtmodum verò præfata Eccleſia ex eo vacante, quòd idem Helias cum perditionis filijs Roberto olim Baſilicæ XII. Apoſtolorum, Ioãne olim S. Clementis presbyteris, & Petro olim S. Euſtachij Diac. Cardinalibus Hæreſiarchis, & per nos hæreſi damnatis, etiam poſt, & contra proceſſus per nos contra ipſos factos, eis adhærendo, diuerſas conſpirationes, & colligationes contra nos facere, & ordinare, atque prefato Roberto Antipapæ qui auſu temerario ſe Papam nominat, adhærere, & fauere preſumpſit, noſq; propter præmiſſa eumdem Heliam à regimine dictæ Eccleſiæ amotum, & depoſitum fuiſſe declarauimus, ipſumq; propter cautelam amouimus, & depoſuimus. &c.

B

Atquì *Heliam* anno 1379. Catanens. Epiſcopum adhuc geſſiſſe teſtatur emphiteuticum inſtrumentum apud Epiſcopij tabulas 29. *Aprilis* 2. *Indict.* 1379. quo *F. Andreæ de Cutellis* illius Vicario, & Eccleſiæ Priori Apothecas quasdam de Eccleſiæ bonis ab *Helia* legimus conceſſas. Dixerim ego, *Heliæ* abdicationem vel non ita feſtinanter executioni mandatam, ſicuti fulminanter à Pontifice fuerat imperata; vel *Martini Regis* auctoritate ab *Vrbano* laceſſiti (initas cum *Maria* Friderici III. filia nuptias Pontifex deturbabat, imò Regiam puellam Franciſco Prignano ſuo ex fratre nepoti deſtinauerat) in re tam ſeria ſegnius actum eſt. Vtcumq; res fuerit, *Helias* è ſede iectus eſt, Eccleſia, Dignitate, bonis tandem omnibus ſpoliatus: à Clemente tamen Antipapa, cuius ipſe fuerat ſectator, Melphienſem Eccleſiam occupandam ſuſcepit anno 1384.

C

D

§. XXXXI.

F. SIMON DE PVTEO.

Ann. reparationis humanę 1379

EXauctorato vt dicebam *Helia*, In Cat. ſpecula collocatur *F. SIMON DE PVTEO*, patria Meſſanenſis, profeſſione Do

reddimur, & solertes, & cum de ipsarum regiminibus agitur cōmittendis, tales eis in Pastores præficere studemus, qui commissum sibi gregem Dominicum sciant non solùm doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare; commissasq; sibi Ecclesias in statu pacifico & tranquillo ve lint, & debeāt, duce Dño, salubriter regere, & feliciter gubernare.

Dudum siquidem iniquitatis alumno HELIA olim Catan. Episcopo regimini Catanien. Ecclesiæ præsidente, Nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum vacaret, per Apostolicæ Sedis prouidentiam, vtilem & idoneam præesse personam, prouisionem ipsius Ecclesiæ ordinationi & dispositioni nostræ ea vice duximus specialiter reseruandam; declarantes ex tunc irritum & inane, si secus super his per quascumq; personas quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Postmodum verò prætata Ecclesia ex eo vacante, quòd idem HELIAS cum perditionis filijs Roberto olim Basilicæ XII. Apostolorum, Ioanne olim tit. S. Marcelli, Gerardo olim tit. S. Clementis presbyteris, & Petro olim S. Eustachij Diacon. Cardinalibus, Hæresiarchis, & per Nos hæresi damnatis, etiam post, & contra processus per Nos contra ipsos factos, eis adhærendo diuersas conspirationes, & colligationes contra Nos facere, & ordinare, atq; præfato Roberto Antipapæ, qui ausu temerario, se Papam nominat, adhærere, & fauere præsumpsit, crimen hæresis, & Apostasiæ, ac læsæ Maiestatis damnabiliter incurrendo, Nosq; propter præmissa eumdem Heliam a regimine dictæ Ecclesiæ amotum & depositū fuisse declaraūimus, ipsumq; propter cautelam amouimus, & deposuimus. Nos ad prouisionem dictæ Ecclesiæ celerem & facilem, de qua nullus præter Nos hac vice se intromittere potuerat, neq poterat, reseruatione, & decreto obsistentibus supradictis; ne Ecclesia ipsa prolixa vacatione exponeretur incōmodis: paternis & sollicitis studijs intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ persona vtilem, & fructuosam cum fratribus nostris diligentem, ad dilectum filium SIMONEM DE PVTEO electum Catanien. Ord. Fratrū Prædicatorū, professorē in S. T. Magistrū, & in Presbyteratus ordine constitutum, cui de religione, zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium prouidentia, & temporaliū circumspectione, alijsq; multiplicū virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis.

Quibus omnibus debita meditatione pensatis, & de persona ipsius Electi nobis, & eisdem fratribus nostris, ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Catanien. Ecclesiæ de dictorum fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica prouidemus, ipsumq; illi præficimus in Pastorē, & Episcopū &c.

Datum Romæ apud S. Mariam-

Trans Tyberim 17. Kal. Ianuarij Pontificatus nostri anno 1. Humanæ salutis 1378.

Episcopales vt capessiuit Insulas, Cœnobio Monialium *D. Benedicti* Catan. quartam ex legatis ad pias causas antiquo iure sibi debitam liberaliter dimisit.

Horrea quædam suis ipsius sumptibus exædificanda curauit, eorumque prouentus ad Cœnobij suppetias, & Ecclesiæ ornamenta erogandos decreuit.

Calaxibettã oppidũ, modo Ciuitatẽ, quę à Catan. Episcopi iurisdictione se subduxerat, ad *Ecclesiæ* suę iura, ipsiusq; Episcopi imperium tam in spiritualibus, quã in temporalibus reuocauit, lubricitq; anno 1379. Sententiam Episcopo adiudicatam habes in *Canonic. Capitul. Tabulario* ad hunc annum. Priuilegia omnia *Agyrensi Monasterio*, eiusq; Abbati a prędecessoribus Episcopis, *Roberto* præsertim concessa rata habuit, scripto huiuscemodi cõfirmationis instrumento 26. Februarij 3. Indict. 1380.

Sub idem tempus *nostro Simoni*, scribit Pirrus hic fol. 48. *ac Paulo Archiepiscopo Montis Regalis Nuncijs Apostolicis in Sicilia perscripsit Vrbanus VI. die 20. februarij anno 1380. de Schismate illato à Roberto de Contis Gebennense Antipapa, voluitq; vt Pontificio nomine Baronibus, nobilibus, cæterisq; Siculis præciperet, vt annuum censum non amplius Ioannæ Neapolitano Regno ab ipsa priuatæ, sed Apostolicæ Sedi persoluerent.*

Castrum Acis, quod Catan. Ecclesiæ iuris erat, a *Gerili* eius Prędecessore *Rogerio de Lauria* in feudum aliàs concessum, annuente *Friderico Rege*, annuo sub censu vnciarũ auri triginta concessit *Artali de Alagona*, emphitheuticationem hanc ratam habente *Vrbano VI. Pont.* scripto Diplomate *Rom. apud S. Petrum 3. Iunij Maij* 1380.

Monasterium *S. Mariæ Nouæ Lucis*, eiusq; Abbatem, ac monachos, bona item, res, reditus &c. ab Episcopali iurisdictione prorsus exemit, siue spiritualia sapiant, siue temporalia concernant, scripto huiusmodi exemptionis instrumento die 20. Nouembris 8. Indict. 1384.

Templum Deiparę piorum elemosynis in oppido *Pidarę* excitatum in Parœciam designauit, Baptismali fonte, Cœmeterio, cęteris denique ad sacra populis ministranda necessarijs opportune destinatis, scripto Diplomate 15. Iunij 1388.

Prioratum *S. Nicolai de Lombardis* in oppido, nunc Ciuitate, Paternionis Catan. diœcesis, qui Monasterio Gauensi Ord. *S. Benedicti* Salernitanę Diœcesis peruetusto iure suffragabatur, ab illo abdicatũ Catanensi Ecclesiæ restituit 30. Iunij 1388. Hodie Castinensium monachorum *S. Nicolai de Arenis* Catanę iuribus cessit.

Turrim Campanariam, quã connitentibus oculis inspectamus, à fundamẽtis excitauit hoc eodem anno. Campanas vt numero, sic pondere præcipuas ære proprio excitas posuit Anno 1389. mense octobris: quarum maior, *Grandem* vulgus appellat, sex &

ſex & ſexaginta cantariorũ pondus equabat. Id quod edocebat Inſcriptio quędam ei adiecta, vt ab Octauio Archangelo accepi. Atque trecentenus millenus fluxerat Annus,
Octauus decies octo, dum venerat Agnus:
Cum Preſul SIMON ME, Campanileque, Valuam
Struxit, ob hoc .. sēper dixero ..

Baſilicę ſtudioſiſſimus, ne illius ędificia vetuſtate ſqualleſcerent, aut alias ſordeſcerent, plurima ære proprio comparata applicuit bona in illorum vſum erogāda. Tum Ædificiorum reparationi Exprefectum conſtituit (*Magiſtrum Operæ magnæ* hodie nuncupamus) vt vel ſic eius opera, ſtudioq, à domo Dei, quam decet ſanctitudo, nęuus omnis abigeretur, abſoluto ideò inſtrumento apud tabulas *Ioānis Rieſqs*, alias de Bucculo *die* 13. *Martij* 12. *Ind.* 1388. *in Regiſtro Ann.* 1381. Ædem D. Paulo Apoſtolo ſacrā erexit in agro Catanienſi, quà Leontinum iter eſt, eodem in loco, vbi Sanctiſſ. illum Gentium Doctorem verba ad populum fecisſe, cum è Syracuſiis Catanam aduentaret anno ſalutis 58. vel vt alij malunt 59. noſtratum docet traditio. Pons illi finitimus tabulis trabibuſq; compaginatus vulgo *Il Ponte di S. Paolo* in hunc vſq; diem nuncupatus, traditionem commendat, quando ſacrę iſtius Ædiculę veſtigia aut rudera vix noſtrę ſpectatricis ętatis tempora comprehendunt: ſcripto ideò documento in Epiſcopij tabulario anno 1389.

A

Hoſpitalem domum in Ciuitate Calaxibettę à Nicolao de Marangulo piiſſimè inſtitutam, ac bonis proprijs, feudo in primis cui nomen *lo Caſali dello Maſtro*, & terrarum tractu dicto *Cachimelli* munificè ditatam apud tabulas *Martini de Maio* 2. *Nouembris Indict.* 1347. quàmmaximè promouit, confouitq, datis ideò literis 2. Nouembris 1389.

B

Sacri Prędicatorum Ordinis, quem ab initio fuerat profeſſus, quantumuis Epiſcopus, in vniuerſa Siciliæ Prouincia Generalem egit Commiſſarium, facta ad id facultate à F. Raymūdo à Capua Religionis iā dictę XXII. Generali Magiſtro, ſcriptis literis Romę 18. Ianuarij 1390.

C

De Gregis ſibi cōmiſſi ſalute ſollicitus Decretum de non admouenda ęgrotantium corporibus curatione, priuſquā animis medicina cōfeſſionis eſſet admota, promulgari mandauit, magno vtiq, multorum bono, ne cū eis hoc in extrema ęgritudine conſtitutis ſuadetur, in deſperationis articulum incidant: quod poſtmodum Pius V. Apoſtolica ſanciuit conſtitutione ann. 1566. quod placuit exſcribere.

D

F. SIMON Dei & Apoſtolicę Sedis gratia Catanenſis Epiſcopus vniuerſis Chriſti fidelib' preſentes inſpecturis ſalutem, & fœlicioribus sēper in Domino ſucceſſibus proſperari.

Vniuerſitati veſtrę notum facimus per preſēres quòd ea, quę fœlicem & proſperum ſtatum Chriſti fidelium noſtrę iuriſdictioni ſubditorum ſalutemq; animarum

rum ſuarum, ac Sacræ Chriſtianæ religionis augmentum proſpiciunt, prout ex noſtri debito officij tenemur, libenter intendimus, & illa quantum poſſibilitati noſtræ ab Alto permittitur, exemplis ac fauoribus proſequimur opportunis. Cum itaq; venerabiles & circumſpectos Ciuitatis Catanæ Phyſicos pluries & pluries monuerimus, & admoneri fecerimus, vt ad ſummi Creatoris laudem, gloriam, & honorem; Salutemq; animarum, & proſperum ſtatum fidelium prædictorum, in principijs Viſitationum, & Curarum ægrotorum pariter & infirmorum, primo loco à nobiliori & digniori, videlicèt animæ cura inciperent, Confeſſiones & alia Sacroſancta Eccleſiaſtica Sacramenta exhortando ſuaderent, & recipi deuotè facerent; quod hucuſq; in perniciem religionis prædictæ, & ſalutem animarum prædictarum per eoſdem extitit prætermiſſum, quod ægrè ferentes, & non immeritò, præſentis Scripti patrocinio ſtatuimus, & Auctoritate noſtra ordinaria decernimus: omnes & ſingulos Phyſicos Ciuitatis Catanæ ægros ſeu infirmos viſitantes, remedijſq; medicinalibus curantes, ad confeſſionem, ac aliorum ſalubrium Eccleſiaſticorum Sacramentorum receptionem iuxtà qualitatem ægritudinis præ cæteris curis, & remedijs temporalibus eis primo loco non ſuadentes, & expreſſe non præcipientes, ipſo facto excommunicamus: & excõmunicatos fore per præſentium tenorem declaramus, & iubemus tanquam excommunicatos arctius euitari: intendentes nihilominus, niſi premiſſa deuotè adimpleuerint, ad denominationem eorum perſonalem, & ſpecificam procedere, prout iuris fuerit. Abſolutione verò premiſſorum Nobis, & Succeſſoribus noſtris tantummodò reſeruata. In cuius rei teſtimonij &c. *Datum Catanæ anno Dominicæ Incarnationis* 1390. *mẽſe Iulij die* 22. *eiuſdem*, 13. *Ind. Pontificatus Domini Bonifacij Papæ IX. anno* 1.

Eccleſiam S. *Andreæ de Milo* à Ioanne Aragonio Randacij Duce, *Petri II.* Siciliæ Regis germano fratre aliàs ædificatã in Prioratum erexit anno 1391. die 23. Iunij, quem *Simoni de Nigroponte* cæteroſum omnium primo collatum voluit. Inſtitutionis teſſerã habes *Catan. Dat. bord. Chord.* 2. *Modul.* 3. *Excuſa* 3.

Berengario de Crudilijs *Martini Senioris* militi, Conſiliario, & Camerlingo terrarũ tenimentum intra Meſſan. vrbis confinia, cui *l'Horto di S. Agata* nomẽ vulgus fecerat, ſub annuo cenſu vnciarum auri quindecim Priori, ſiue Beneficiali *Eccleſiæ S. Agathæ de Meſſana* perpetuò exſoluendarũ, conceſſit (Priorem tunc agebat *Adaulphus de Alaimo* Catan. monachus, & Archidiaconus) ſcripto ad id Inſtrumento 6. Nouembris 1. Indict. 1392. Emphiteuticationem hanc ratam habentibus *Martino & Mariæ Siciliæ Regibus*, ſuæq; Regiæ cõfirmationis munimine ſolidantibus, dato Diplomate *Catanæ nouembris* 1392.

Hæc

Hæc dum promunere exequitur *Simon*, ſeuiſſimi commouentur in Sicilia procellarum turbines, quibus & noſter Antiſtes diu agitatus naufragium deniq; fecit, & ſuum, expertus, dedit ſuffragium hominem ſemper fuiſſe imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ ludum, & quò maior grandeſcit honor, eò maioribus patet inſidijs, ſæuioribus premitur infortunijs. Tetricam hãc Hiſtoriam Siculi Hiſtorici omnes recenſent, ſed cæterorum omnium enucleatius exſcribit *Pirrus hic fol.* 48. eam & nos compendio perſtringemus, ne contentioſo lectori deeſſe videamur.

Deceſſerat Meſſanæ *Friderico* hoc vocamine III. Siciliæ Rex anno 1377. vnica relicta filia *Maria*, ac Siculi Regni ſcripta hærede, ſub *Artalo Alagona* tutela. Hinc diſciſſa Procerum ſtudia, cum alius alium Regni Vicariũ eſſe vellet, cõtenderetq; Familiam aduerſus Alagonam ducebat *Manfredus Claramontanus* Moticæ Comes, Siciliæ Amiratus, cui adhęſerant *Comes Hẽricus Rubeus*, *Guillelmus Raymũdus Montecatenus*, alijque principes viri.

Initabat interim per oratores ſuos *Petrus IV.* Aragonenſium Rex apud Pontificem *Gregorium XI.* Siciliæ Regnum hęreditario iure Regis *Friderici* maioris patrui ſui, excluſa fœmina, ſibi adiudicari, verùm eo concepta ſpe petitioneq, fruſtrato, certo certius conſtitit Regnum iſtud ad futurum *Mariæ* virum fore deuoluẽdum.

A

In hoc igitur ſponſo deligendo partium ſtudia pertinacius diſſidebant. Pontifices *Gregorius XI. & Vrbanus VI.* Sanctionibus edixerunt, ne cuipiam *Mariæ*, niſi de Sedis Apoſtolicæ facultate matrimonio iungeretur: Artalis Alagona vti Tutor eam deſpondit *Galeacio Toparchæ Mutiolanenſi*: Guillelmus Montecatenus *Mariam* è Caſtro vrſino *Catanæ* noctu raptam in *Sardiniam* defert, tum *Barcinonem* transfert, *Martino* Ducis Montis albi filio, & Ioannis Aragoniæ Regis nepoti ſponſam tradendi cauſa. Literas ab *Vrbano VI.* ſcriptas ſingula hęc ſubinnuentes, ſed vel maximè *Simonis* electionem innoxio planè lapſu; & vt legitimo Pontifici morem gereret, præcipiti laicorum manu affectata meuincentes exſcribere non erit inſolens;

B

C

VRBANVS EPISCOPVS
ſeruus ſeruorum Dei.

Dilectis filijs nobilibus viris, vniuerſis Comitibus, Baronibus, ac omnibus, & ſingulis Communitatibus, & vniuerſitatibus in Regno Trinacriæ conſtitutis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

D

Licet olim tam per felicis Recordationis Gregorium Papam XI. prædeceſſorem noſtrum primò, quàm etiam poſtmodum per Nos inhibitum fuerit Chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Reginæ Trinacriæ Illuſtri, ne abſq; Romani Pontificis licentia matrimonium cum aliquo contrahere præſumeret: decernentes irritum quidquid contra inhibitionem huiuſmodi contigerit

tigerit attentari, & ne quiſqeam de adminiſtratione Regni Trinacrię abſque licētia Apoſtolicę Sedis ſe intromitteret; tamen ſicut nuper ad noſtrum peruenit auditum, nonnulli prętendentes eamdem Reginam per verba de preſenti matrimonium cum quodam Nobili contraxiſſe (*innuit hoc Pontifex matrimonium Reginæ cum Ioanne Galeacio Vice comite contractum, vt aduertit Maurolicus lib. 5. fol.* 170.) alij vero certis coloribus exquiſitis fingentes ſe in dicto Regno ius habere; Regnum ipſum occupare, & eādem Reginam de Regno ipſo extrahere (*id auſit Guilielmus Raymundus Montecatenus, qui in Catalauniam Mariam aſportauit, & anno* 1391. *in matrimonium collocauit*) & eam ad partes alias ſecum ducere conantur, non abſq; prędicti Regni, & incolarum eius magno preiudicio, & ſcandalo plurimorum.

Nos igitur, qui ad Regnum ipſum, quod à Romana Eccleſia tenetur in feudum, & eius incolas, & habitatores gerimus ſpecialis dilectionis affectum, cupientes eorumdem Regni, & incolarum habitatorum indemnitatibus pręcauere; vobis & veſtrum ſingulis diſtrictę precipiēdo mandamus, quatenus eidem Reginę obedientiam, & reuerentiam debitas exhibentes, cōtra quoſcumq; prędictum Regnum inuadentes, vel prædictā Reginam ex inde abſq; noſtra ſpeciali, & expreſſa licentia abſtrahere volentes, cuiuſcumq; dignitatis, gradus, ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, etiam ſi Imperiali, Regali, aut Reginali, vel Pontificali, ſeu quauis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate, reſiſtatis viriliter, & potenter, vt aliquē, qui ſe prętenderet eiuſdem Reginę maritum, abſq; noſtra, & Apoſtolicę Sedis ſpeciali licentia prędictum Regnum vellet intrare, nullo modo recipiatis, vel etiā admittatis. Nos enim omnes, & ſingulos, qui huiusmodi inhibitionibus, & mandatis noſtris (quod abſit) preſumpſerint contraire, quibuſcumq; Comitatibus, Baronijs, Feudis, & bonis, quę in prędicto Regno à quibuſuis perſonis, vel Eccleſijs, ſeu locis obtinent, priuatos fore decernimus ipſo facto, & nihilominus contra ipſos aliàs procedere curabimus iuſtitia mediante. *Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Maij, Pontificatus noſtri anno* 3. *humanæ ſal.* 1381.

Pontifex igitur matrimonium illud tum affinitatis obice, tum ſuis, & Gregorij Sanctionibus, irritum decernebat; imò Regiā puellam *Franciſco Prignano* ſuo ex fratre nepoti deſtinauerat; differuntur ideò Regales nuptię ad annum vſque 1391.

Cum itaque inexorabilis in ſua perſiſteret ſententia *Vrbanus*. Martinus Rex Clementi VII. pſeudo Pontifici per eam occaſionem adhęſit (miſerè tunc ſcindebatur Eccleſię vnitas, duoſq; chriſtianus orbis ſuſpiciebat Pontifices) à quo per *Petrum Serra Catalaunum*, poſtea Catan. Epiſcopum & Cardinalem, & *Raymun-*

mũdam Montecatenum Oratores ſuos diſpenſationem de Affinitatis impedimento exorauit inijtq; tandem cum *Maria* nuptias Barcinone anno 1391. menſe Nouembri, die eiuſdem 29.

Contendebat ideò Pontifex Sicilię Regnum ad Rom. Eccleſiam fuiſſe deuolutum; & vt narrat *Ezouius in Supplemento Annalium Eccl. ſ. ad annum* 1397. *nu.* 16. Franciſcum Vigintimillium, Artalem Alagonam, Manfredum Claramontanum, ac Guillelmũ Peralta Vicarios Generales in Sicilia pro Romana Eccleſia exprefecit *Bonifacius IX.* qui proximus *Vrbano VI.* ſucceſſerat, quique Siculis Proceribus ne *Mariã*, aut *Martinum* venientes admitterent prę ſcripſerat: coactis ideò illic Comitijs fœdus aduerſus Aragonios ineunt cum *Bonifacio*, & *Ladislao* Neapolitanorum Rege.

Dum hęc in Sicilia agerentur, ſoluit interea Barcinone Martinus cum Maria coniuge, Bernardo Caprera totius rei præcipuo promotore, plurimis item Catalaunis, Aragonenſibus, ac Valẽtinis proceribus, ac Drepanum primo appulit, vbi à plurimis Siculis ſummatibus (qui & depoſitis armis fidei ſacramentum exhibuerant) honorifice exceptus eſt; mox Panormum in ſuam recipit ditionem, inde Meſſanam 4. Iunij 1392. maturauit, & deniq; 7. eiuſdem Catanam venit, vbi diu in ſedandis ſeditionum procellis, ejciendoq; Artali Alagona adlaborauit.

Declamabat interim è ſuggeſtu *Simon Antittes* aduerſus Aragonẽſes Siciliam occupantes, & populum Catanenſem ad capiẽda arma, ac propulſandum *Martinum* Pſeudopontificis fauentem excitabat. Atquì ejecto, vel fugiẽte Artali, *Martinus* à Catanẽſibus excipitur ac Rex ſalutatur. Literas ab Rege ipſo ad *Thomam Chriſpum V. I. D.* ac Magiſtri Iuſtitiarij vices gerentem ſcriptas decimo Iulij è tenebris ad lucem erutas placet hic recentare: eaq; dumtaxat exſcribere, quæ rem noſtram appoſitiſſimè præſtant.

Verùm (*ſcribit Rex*) licèt ad ſingulas Ciuitates, quibus auctore Domino præſidemus, iugiter mẽtis noſtræ diffundamus intuitum, tamen de ſtatu Ciuitatis CATANIÆ proſperè dirigendo, tãtò cogitamus profundiùs, quãtò per amplius illã ſcimus FOECVNDITATE PERSPICVAM, & ſatis PVLCHRITVDINIS, ET SPECIOSITATIS ELEGANTIA ALTIOREM. Sanè cum in Ciuitate prædicta diebus non longè præteritis, operante humani generis inimico, turbationes, diſſidia, & rebelliones incautè fuerint ſubſecutæ; quod referimus diſplicenter; propter introitum factum in Ciuitatem eamdẽ per Artalem de Alagona noſtrum manifeſtiſſimum proditorem, quibus dedit operam, & conſenſum vti diſcurrentis famæ perloquium noſtras pulſauit ad aures, Catanenſis Epiſcopus prẽter prædicationes, & obiocutiones nefandas, quas tam in Eccleſia, quàm alibi alias in alijs locis nonnullas contra Nos, & alios, qui nobiſcum in hoc Regnum

venerunt, prædicauerit publicè, patenter & ſuæ religionis honeſtate poſtpoſita, & hominum verecundia vltrò iecta &c. Vobis committimus quatenus de commiſſis, geſtis, obloquijs, & tractatis per Epiſcopum prædictum per inquiſitionem, ſeu informationem vi præſentis mãdati percipere non tardetis procedendo ſuper his prout tanti negotij qualitas duxerit expoſcendum, & eſt in ſimilibus fieri aſſuetum, & cũ inquiſitione perficietis ſupradictam, de contentis in ea noſtrũ animum informetis &c.

Compilato per Regis adminiſtros eulogio, multorum conſtitit teſtimonijs, quòd (inculpabili quidem errore, vt *Bonifacio* legitimo Pontifici obſequeretur) aduerſus *Martinum* Simõ Antiſtes præſtitiſſet; in Regis tamen gratiam, ſiue vt tam egregium virũ ad partes ſuas traheret *Martinus*, ſiue ne tam apertè Pontificis obſiſteret imperio, cum *Artali de Alagona* receptus eſt; imò grandioribus honeſtatus honorum fauoribus; Regiæ ſiquidem Aulę maior Sacellanus conſtituitur, atq; ad Pontificem cum alijs ab Rege ipſo Romam mittitur Orator, vt vel ſic eius auctoritate, ſemotis tandem turbis, *Siciliæ Regnum* pacifice poſſideret.

Romam vt adijt *Simon*, a Pontifice perbenigne ſuſcipitur, egitque cum eo vt Regem in gratiã recipiat, quod fœliciter ad votũ impetraſſet, ni *Martinus Senior* Martini noſtri pater, qui non ſolùm *Clementi VII.* adnæſerat, verùm & ad *Benedictũ XIII.* etiam Pſeudopontificis partes acceſſerat, amicitiam interturbaſſet; rebus igitur infectis Catanam reuertitur Simon, ac ſeditionibus iterum ab Artali Alagona aduerſus Martinũ excitatis inuoluitur.

Degente ſiquidem apud Meſſanam Martino, Catanã denuò occupauerat Alagona. Simõ verò ipſo D. *Thomæ Aquinatis* feſto die, dum in ſuæ Dominicanæ familiæ templo (quod tunc in area Caſtri Vrſini erat, hodie *D. Martyri Sebaſtiano* in Ædiculam ceſſit) verba faceret ad populũ, ſiue vt *Bonifacio* Põtifici obſequeretur, ſiue vt Alagonæ gratiam iniret, e ſuggeſtu aduerſus Martinum ſchismatico Pontifici adhærentem declamans, plebem ad arma ſollicitauit quæ mox ſeditiones in Regem, eoſque, qui Regi obſecundantes in Caſtro ſe receperant ac tutabantur, excitauit. Re ad Martinum delata, illicò Meſſana Catanam cũ militibus aduolat, perduelles aduẽtu ſuo adeò perterrefecit, vt eos ad deditionem compulerit. Artali ſeditionis auctori clementer ignouit, ſed Simoni parcere noluit; ſiue quia Regis ira concitati ſpiritus impetum explet in debiliores, a validioribus declinat, non ſecus ac torrens qui ad profunda decurrit, denatat de tumoribus collis: ſiue quia Simõ Regi renuit obedire, vt Pontificis mandata, de non recipiendo in Regem *Martino*, cotentioſius exequeretur. Vt vt res fuerit, Simoni Epiſcopo Martinus ignoſcere noluit, quinimò diris ſimul carceribus mancipauit, & laicali

poten-

potentia, tanquam si penes eum Ecclesiarum Ius esset, Catan. Ecclesiæ Administratorẽ substituit *F. Ioannem Thaust*, qui ei a sacris erat confessionibus, scriptis literis *Catanæ 26. Octobris 4. Indict.* 1395. quas hic exscribere libuit.

Nos MARTINVS &c. Quia F. Simon de Puteo Episcopus Catanensis propter immanem rebellionẽ, & nefaria opera, quæ contra Regalem Maiestatem nostram præsumpsit infideliter exercere; fuit, & est ab administratione Iuæ Ecclesiæ amotus, & carceri mancipatus, & ad Nos tanquam ad caput Reipublicæ pertinet bona Ecclesiæ facere cõseruari, ne dilapidentur, vel vsibus indebitis euanescant; propterea cõfessorem nostrum P. Ioannem Thaust administratorem constituimus cum fructuum administratione &c.

Tum, vt prouentus & Iura Episcopalia in duas diuiderentur partes, præcepit Rex, quarum altera *Petro Serræ* cederet, altera verò in quinque rursus partes subdiuideretur, quarũ quatuor essent Abbatis S. Mariæ de Carpio Barcinonensis Diœcesis *Prædicti Borredani* quinta verò *F. Ioannis de Pino* ord. Minorum à Regis confessionibus, & eleemosynis: ipsi tandem *F. Ioanni Thaust* administratori iura gabellę martilletti Catanæ concessit, scriptis etiam literis 14. Augusti 1395.

Anno dein sequenti 1396. per summam audaciam *F. Simonem* post diuturnas carceris ærumnas Præsulatu priuatũ ab Episcopali deijcit specula: qua de re sic idẽ loquitur MARTINVS &c.

Cum Simon de Puteo contra Excellentias nostras, & statum pacificum nostri Regni ausu temerario damnabiliter cõmisit, & fecit: ac nostrã Ciuitatem Catanensem, & habitantes in nostra fidelitate, & deuotione manentes suis fallacibus prędicationibus, & simulatis machinationibus subduxit, quos, & quam à nostra fidelitate, & obedientia peruertit, & subtraxit, ipsam nostram Ciuitatem, & habitantes in ea contra Maiestatem nostrã, & statũ pacificum ipsius Regni strenuiter, & ex proposito rebellari procurauit, & fecit ipsos, & notorios proditores, & rebelles, in qua Artalem de Alagona, & nõnullos alios dicti nostri Regni Barones nostrę Regię Maiestatis publicos rebelles induxit, & intrusit, quibus in occupatione ipsius Ciuitatis fauit, in quantum potuit &c.

Sanè quia in recuperatione dictæ nostræ Ciuitatis Catanensis inter alios habemus captiuum præfatum F. Simonem, erga quẽ flagella pro suis sceleribus debita nostra mansuetudine temperantes ob reuerentiã æterni Dei, & Saluatoris nostri, ac sui Sacerdotij, vitam gratiose concessimus, & ipsum abire permisimus &c.

Et quia ipse de Puteo tamquã homicida irregularitatem publicè & notoriè multipliciter incurrit, ideò Ecclesia Catanensis vacauit, & vacat ad præsens, cuius prouisio, & totalis dispositio ad Maiestatem nostram Auctoritate Apostolica specialiter nobis in hac parte concessa, eatenus,

& quia ſumus dictæ Eccleſiæ veri patroni, quam ſancti Reges in dicto noſtro Regno, & alij noſtri prædeceſſores conſtruxerũt, & dotauerunt: ob quod Ius patronatus ipſius Eccleſiæ tam de iure, quàm etiam de more, ſeu conſuetudine ad Maieſtatem noſtram ſpectare & pertinere à nemine dubitatur. Sic (vt præmittitur) Paſtore vacante, tandem direximus Eccleſiæ noſtræ Catanenſi Reuer. in Chriſto patrem PETRVM SERRAM Decretorum Doctorem, familiarem, & Conſiliarium noſtrum, virum vtique plenæ & maturæ ætatis & in Sacerdotio cõſtitutum noſtrũ ſobrinum, cum plena, libera, & generali gubernatione, & adminiſtratione, & fructib' eius, ſed cũ decima parte fructuũ Fr. Ioanni de Pino Confeſſori noſtro. &c.

Datum Catanæ 3. Octobris 1396.

Subiungit Pirrus in noſtrę Eccleſiæ Notitia fol. 52. *Simon verò è Sicilia electus Romam adijt, ibiq; magna ſanctitatis fama ſuum clauſit diem, ac ſepultus eſt in Templo D. Mariæ ſupra Mineruã ex M. S. antiquo.* Atqui *Simoni* anno cęptæ calamitatis quinto qui in annum 1398. conſignatur, Epiſcopum adhuc egiſſe; quin & Prioratũ S. Agathæ Meſſan. Adinolphi de Aramo deceſſu vacantẽ *F. Andreæ Paternò* contuliſſe die 1. Martij 1398. edocent Epiſcopij tabulæ ad hunc annum. Dubitari ideo non abs re poſſet, nũ Simonis electio laicali potentia ac præter ius faſque detruſa, fuerit executioni demandata.

Inualeſcit ad hæc ambigendi ratio; quia de Petro Serra, quem *Martini* Regis arbitrium in Catan. Epiſcopij ſolio intruſerat, in noſtris tabularijs ante annum 1399. nullam offendere licuit notitiam.

Illud tamen vero verius dixerim, *Simonem* ideo à Martino Rege carceribus addictum, ac Præſulatu priuatum, quia eum *Clementi VII.* ſeu Roberto de Comite Gebbennenſi, poſt *Benedicto XIII.* Petro de Luna pſeudopontificibus, in ſchiſmate adhærentem, ac manus dantem, ne quaquã in Regem recipiendum contendebat: innoxio igitur lapſu è Specula electus eſt, qui quod virtuti litabat, vitio dediſſe criminabatur; adeundus ideo *Pirrus in Notit. Agrigent. fol. 299.* quo loci *Bonifacij IX.* legitimi Pontificis ad Agrigentinæ Eccleſiæ capitulum & Clerum ſcriptas literas verſans, ac perpendens, hæc ad rem inquit. *Schiſmaticos & hereticos Catalaunos appellat; quoniam Martinus Rex cum præcipuis Catalaunis primum Clementi VII. ſeu Roberto de Comite Gebennenſi, poſt Benedicto XIII. Petro de Luna Pſeudopontificibus adhæſerat &c. Addit Pontifex ad eorum exterminium indefeſſe & ardentius vacare Siculos, neq; n. de Arigentinis tantum, ſed de pluribus Siciliæ incolis, & optimatibus eam Laudem intelligo, quod Pſeudopontificem repellerent: & ſane SIMONEM DE PVTEO Epiſc. Catan. ea de cauſa carceri addictũ, & Præſulatu priuatum à Rege Martino dixi in meis Notitijs &c.*

§. 42.



§. XXXXII.

PETRVS SERRA.

Ann. à Chriſti humanitate 1399.

DEfuncto, vt verius reor, Simone, PETRVS SERRA natione Catalaunus, patria Barchinonenſis. Regio genere exortus Epiſcopus ſufficitur à Martino Rege eius ſobrino. Canonicus olim Vicenſis, tũ Archidiaconus de Benedes Barcinone, mox Regius Vicecancellarius, dein Apoſtolicæ Sedis iurium collector in Sicilia, & Monteregaleuſis Eccleſiæ Adminiſtrator. Anno de in 1397. die 27. Septembris à Petro de Luna pſeudopontifice, qui Benedictus XIII. dicebatur, Cardinalis Diaconus *tit. S. Angeli* creatus eſt, vulgo *Petrus Serra ſenior tit. S. Angeli Cardinalis* nuncupatus. Fides ſit *Alphonſi Ciaconij in Epitome Rom. Pontif.* in iſto Benedicto, vbi Petrum *Electũ Catanenſem* appellat. Tum Diaconia iſta dimiſſa, S. *Martini in Montibus* preſbyteralem titulum optauit anno 1399.

A

Nullum de *Petro* iſto apud noſtras tabulas offendere licuit Epiſcopalis miniſterij monumentum, quod annum 1399. antecederet; ſub huius igitur anni ſpatium in Catanenſi Specula ſeſe intruſiſſe veriſſimum puto.

Anno itaque 1399. Catanæ degens Petrus Serra ſuæ Cathedralis Eccleſiæ Canonicis duas elargitus eſt *Tenutas, quarum vna eſt in contrata Fontanæ ruſſæ, alia in Contrata Bicoccæ, cum onere &c. à die 3. Aprilis inclusiuè vſq; ad diẽ vltimum Auguſti etiam inclusiuè cuiuſlibet anni in perpetuum, dandi Sacriſtiæ ipſius Maioris Catan. Eccleſiæ rotulos 25. ceræ laboratæ in longis cannulis, quarum quælibet ſit ponderis vnciarum quinque, ita quod de quolibet cereo rotulo fiant ſex cannulæ, & qualibet die cremetur vna cannula pro lumine continue faciendo ante Imaginem Beatæ & glorioſæ S. Agathæ &c.* extat huiuſce conceſſionis inſtrumentum apud tabulas *Laurentij de Noto* 7. *Septembris* 8. *Indict.* 1399. & in Epiſcopali Tabulario exſcriptum in *Regiſtro anni* 1381. *fol.* 16. Præter quę nihil aliud de eo legere eſt, ni res toties obuerſata perſcrutantis oculos effugerit, & manus.

Petrus tandem iſte à Pſeudopõtifice deficiens, cum alijs nouem Cardinalibus Gallicis, Generali Concilio extinguendi ſchiſmatis cauſa, quod ab annis 30. Chriſtianum orbem vexauerat, *Piſis* coacto anno 1409. interfuit, atque *Alexandrum V.* Canonice in Romanum Pontificem electum, abdicatis *Gregorio XII. & Benedicto XIII.*

Pſeudopontificibus, & ipſe delegit, eodemq; anno Hiſpanias reuerſus diem clauſit extremum, auctore poſt alios *Alphonſo Ciaconio in Iſagoge Rom. Pontif.* in Benedicto XIII. cuius verba præſtat hic ſiſtere. *Petrus Serra ..... Diœceſis, Hiſpanus, electus Epiſcopus Catanienſis, Diaconus Cardinalis S. Angeli, dictus Senior, vt à Petro alio S. Angeli Diacono Cardinali obedientiæ Italicæ internoſci poſſet. Hic enim cum nouem alijs Cardinalibus Gallicis, Benedicto ipſo deſerto, Piſis in generali Concilio Alexandrũ V. delegit. Orator in eo Concilio fuit Ioannis Regis Ieruſalem, Cypri, & Armeniæ. Obijt in Hiſpania anno* 1409. *pridie Idus Decembris.*

Breuiſſimus fuit Petri Præſulatus, anno ſiquidem 1400. in noſtris Tabularijs non amplius Petrũ, ſed Robertum leginus Catanenſem Epiſcopum. Lapſum ideo dixerim *Petrum Carrer. Memor. Hiſtor. Catan. to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *fol.* 157. Petrum hunc Cardinalem anno 1408. Catanenſem Præſulem egiſſe aſſeuerantem: eo ſiquidẽ anno Fr. Maurus Cali in Catanenſi Cathedra ſedebat, vt mox dicemus.



§. XXXXIII.

ROBERTVS.

Anno gratiæ 1400.

PEtro Cardinali Serra ſponte, vt reor, à Catanenſi Cathedra abeunte (certiora non ſuppetunt aſſertionis huiuſce auctoramenta) ROBERTVS in Catanenſem Epiſcopum aſſumptus memoratur: eius porrò nudumdumtaxat nomẽ in noſtris tabularijs offendere licuit, nec aliud obuiũ fuit de Præſule iſto monumentum, niſi quod Epiſcopali interregno ob Roberti obitum, Thomas de Aſmari Cœnobij S. Agathæ Prior, Antonius de calicijs, Bertucius de chriſafi, & Raymundus Plomaterius in Generales Vicarios electi recenſentur anno 1400.

Meminit Præſulis noſtri *Pirrus in noſtræ Catan. Eccleſiæ Notitia ad annum* 1398. *fol.* 52. eaq; omnia pro munere geſſiſſe ſubiungit, quę Robertum, alium plane ab iſto, patraſſe monuimus ſupra §. 25. fol. 94. cum illius facinora exſcriberemus. Duo ſiquidem in Catan. Cathedra ſederũt hoc vocamine Epiſcopi, alter anno 1170. alter anno 1400. dequo nobis ſermo. Male igitur alteri alterius geſta imponit, adſcribitque.

Anno 1408. *Conradum Caracciolum* Neapolitanũ S. R. E. Preſbyterum Cardinalem tit. S. chriſogoni e Mileuitana Eccleſia ad Catanenſem euectum ſcribit *Io. Franciſcus Abela* vir in paucis eruditus

ditus, ſacræ atq; prophanæ antiquitatis callentiſſimus, lacinioſo ſcribendi genere, rebuſque punctim indicatis, Melitam patriam ſuam mirum quātùm illuſtrauit; Hic inquam auctor in ſua *Melita Illuſtrata lib. 3. Notitia 1.* hæc ad rem verſat. *Anno 1408. Corrado Caracciolo Napolitano, Prete del titolo di S. Criſogono; indi fù creato Veſcouo di Catania, e dell'una, e dell'altra Dignità ſene sbrigò benſſo ſenza paſſarui tempo, in modo che il Pirri nella Notitia di Catania ne meno l'annouera fra i Veſcoui di quella Chieſa.* Id quod ante eũ ſcripſerat *Pirrus in Notit. Melit. fol. 593.* hic inquiẽs. *Anno 1408. Conradus Caracciolus Neapolitanus presbyter Cardinalis tit. S. Chriſogoni ab eodem Innocentio VII. creatus Epiſcopus Melitenſis, poſt Catanenſis, & utraq; dignitate ſe abdicauit.*

Verùm in noſtris Tabularijs, (è quibus tanquam ab explorata teſſera excepimus quæcumq; poſteris exhibemus) aliter vbique de Conrado iſto ſilentium. Iam Innocentius VII. anno 1404. mẽſe Octobri, vt *Panuinius* aduertit, in Pontificem electus, ann. 1406. 6. Nouembris deceſſit: non potuit igitur anno 1408. Conradũ creare Catanenſem, aut Melitẽſem Epiſcopum. Fides ergo penes Auctores iſtos ſit Antiſtitem hunc Catanenſium Epiſcoporũ albo adſcribentes.

§. XLIV.

F. MAVRVS CALI.

Anno à Dei filio in terris nato 1408.

DEfuncto, vt dicebam Roberto, Fr. MAVRVS CALI ex Ordine Minorum Conuentualium, Melitæ ortus, teſte *P. Luca Vuadingo Annal. Minor. tom. 4. ad annum 1393. nu. 2.* & poſt eum laudato *Abela lib. 3. Notitia 1. fol. 306.* è patria Mileuitana Eccleſia ad Catanenſem euectus eſt ann. 1408. rem maximopere promouente Martino Siciliæ Rege, facta ad id facultate ab Alexandro Papa V. qui tunc vniuerſalis Eccleſiæ clauo legitimè præſidebat. Rem ex ordine narrant Regales literæ ideò ſcriptæ *Catanæ 16. Auguſti 1. Indict. 1408.* En illas.

MARTINVS &c. Præſentium ſerie pateat vniuerſis, quòd auctoritate Apoſtolica nobis conceſſa per Bullas ſpeciales, quòd Beneficia & Dignitates Eccleſiaſticas in Regno Siciliæ vacantes ſeu vacantia perſonis idoneis, & de quibus ſit meritò confidendum, & in quibus noſtra præſer-

præſertim confidat Altitudo, conferre, ſeu commendare, durante ſchiſmate, valeremus. Dum Cathedralis Eccleſia Mileuitana per renunciationem Reuerendi in Chriſto patris F. MAVRI olim Epiſcopi Mileuitani, & nunc per Sedem Apoſtolicam ad Catanenſem Eccleſiam iã promoti &c.

Fuit Maurus vir omnium ſenio venerandus, ſolida eruditione præſtans, Theologicis, Legalibus item ſtudijs commẽdatus, & cui tum Pontifex ipſe, tum Martinus Rex Eccleſiaſticas cauſas decidendas quàmſæpiſſimè demandarint. Id quod anticipato pridem greſſu tradidit *Aubas Pirrhus in Notit. Melit. fol.* 598. cuius hæc verba. *Maurus ſemper in Sicilia deguit, cui viro apprimè docto, ac in vtroq; Iure peritiſſimo ſummus Pontifex, Rexq; Martinus multas Eccleſiaſticas cauſas decidendas demandauere.*

Ipſo ſuę aſsũptionis initio, pluribus à *Poliſena de S. Seuerino* pientiſſima fæmina donatus eſt ſanctorum Reliquijs; has præcipuè in noſtris Tabularijs, ac viſitationum Regeſtis legere eſt. *Caput S. Matthiæ Apoſtoli. Crucem deauratam cum Ligno veræ Crucis D. N. I. C. Caxettã vnam de Chriſtallo cum argento deaurato circumquaq; diuerſis Reliquijs multorum Sanctorum. Conectam vnam de argento deauratam cum multis & diuerſis Reliquijs Sanctorum. Brachium S. Blaſij inueſtitum de argento. & Crucem vnam cum aliquibus pretioſis in ea affixis lapidibus.* Eas argenteis thecis auro gemmiſque variegatis obſignauit in quibus parandis, comparandiſq; quinque millia florenorum Florentiæ munificus inſumpſit; fides ſit tabulis *Iacobi de Cumbulo die II. Auguſti* 1. *Indictionis* 1403.

Baſilicæ ſtudioſiſſimus, Cathedrale templũ nouis adauxit ædificijs, quæ gentilitijs ipſius Inſignijs inter fornicum abſides etiam num concinnata inſpectamus, hac circum adiecta Epigraphe.

MAVRVS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPVS CATANENSIS FECIT.

Martino Rege in Sardinia per hęc tẽpora abſq; virili prole defuncto ann. 1409. Blanchæ illius vxor Caroli Nauarræ Regis filia à Martino viro dum in humanis ageret, Siciliæ Vicaria exprefecta Regnum adhuc adminiſtrabat, fruſtra obſiſtentibus Bernardo Crapera Motycæ Comite ac Regni Iuſtitiario, ceteriſque Regni Summatibus. Acres ideo graueſque in Aula Sicula gliſcebant in dies ſtudiorum factiones, imo & diſſenſiones: dum alij *Blanchum*, alij *Bernardũ* rebus agendis prętici contendebant. Inter has turbarũ vertigines inuoluitur & noſter Antiſtes, qui perduellionis crimine notatus a *Blancha* Preſulatu ſpoliatur: hinc Epiſcopatu ſe ſe abdicare coactus eſt anno 1411. menſe Ianuario. Quicquid dixerit laudatus *Abela lib.* 3. *fol.* 312. Maurum Catan. Eccleſiam ad annũ 1420. rexiſſe, ab eaq; vltro ſe abdicaſſe, reſeruata ſibi annua penſione, ex *Bulla Martini V. dat. Florentiæ* 12. *Kal.*

Kal. ſeptembris Pontif. eius anno 3. aſſeuerans. Deturbato ſiquidem Mauro, illicò ei ſuffectus eſt *Thomas Aſmaris* V. Februarij 1411. qui ad annum vſq; 1415. Catanenſem adminiſtrauit Eccleſiã; cui pariter è Pontificio abeunti ſubrogatus eſt *Ioannes de Podio*, ſiue *Podiomacijs* anno 1418. quiue ad annum 1431. noſtræ præfuit Eccleſiæ. Fieri igitur non potuit vt Maurus ann. 1420. in Catan. Cathedra ſederit Antiſtes.

§. XLV.

THOMAS DE ASMARI.

Anno à Virginis partu 1411.

VT Epiſcopales Inſulas depoſuiſſe viſus eſt Maurus: illicò conuocato Canonicorum agmine, rem quàm maximè ſollicitante Blancha Siciliæ Regina, in Antiſtitem adlegitur *ipſo D. Agathæ feſto die 5. Februarÿ* 1411. Fr. THOMAS DE ASMARI, patritia gente, quæ à *Tiberio Aſimaro Auguſto* genus ducebat ſuũ, inter Cataneſes exortus.

Fuit Thomas vir, non tam generis ſplendore, quàm virtutis merito Illuſtriſſimus, rerum vſu ac dexteritate præcipuus, ad maiora natus. Patrem habuit *Guillelmum Aſmari*, qui, Martino Siciliam moderante, Magiſtri Iuſtitiarij vices ſubierat anno 1398.

Adoleſcens Regularibus D. Benedicti inſtitutis in patrio D. Agathæ Cœnobio ſeſe addixit. maturus ætate communibus Monachorum ſuffragijs Prior adlegitur anno 1400. eſt Dignitas hæc magni apud Catanenſes honoris, ac prima poſt Pontificalem.

Sub id ferè tempus Catan. Eccleſia ob Roberti Antiſtitis deceſſum Paſtore viduata, cũm *Raymundo Plomaterio*, *Antonio de Calicijs*, *& Bertuchio de Chriſafi* Generalis expræficitur Vicarius, Electionem hanc ratam habuit Bonifacius IX. Apoſtolicæ confirmationis munimine ſuffragatus, *dato Romæ Reſcripto* 17. *Kal. Auguſti* 1404.

Sub eiuſdem Anni ſpatium ex Pontificis Facultate Sanctimonialium Cœnobium D. Benedicto ſacrum in Æde Spiritus ſãcti extra vrbis mænia (ne difficillimis illis temporibus periculum ſuſtineret) extinxit, ac in ſecularem redegit Eccleſiam: monialibus intra vrbem accerſitis, & in nouo D. Benedicti Cœnobio perſtrictis.

Nouo ſubeunte anno 1405. die 14. Martij Ædem *S. Mariæ de Frundò* ſacram intra fines Ennæ Fr. Honufrio de Comiſo Monaſtæ Benedictino (Platienſi populo

p ilo reni in primis efflagitante) concessit, atq, in Regularem erexit, eique Prioratum S. Spiritus annexauit. Sub Mauro Cali Episcopo generalem egit Vicarium ab anno 1408. ad annum vsque 1410.

Anno dein 1411. deturbato, vt dicebam, Mauro sufficitur Episcopus, scriptis ideo à *Regina Blã cha* literis *Catanæ 22. Iunij eodem anno*.

Thomæ subrogatio summopere arrisit Ferdinando Regi, qui ad Thomam has dedit literas de ipsius electione congaudens.

LO REY de Aragon, e de Sicilia.

Venerable Elect: axi per letteres de la Reyna nostra molt cara, e molt amada Cosina germana, come per Messer Andrea del Castel hauem sabut la vostra elecion del Bisber de Cathania, de la qual hauem hauut singolar plazer, per tal com sabem, que vos, e vuestres parents, e amicos nos hauet seruits en a quexa Ciutat, e Regne, por manera, que los dit serueys no deuen passar sens cõdigna rimuneracion, per quios manam que sibe haueis seruit entro aza, que axi ben, e millor continuets dazi auant, car Nos traballerim ab lo Sante Pare, que vos hauerets vostra confirmacion: declarant noy que nos seruim sobre à zõ à la Reyna nostra molt cara, e molt amada cosina germana, e à la Ciutat de Cathania, que hauem à vos a vestres frats in singolar recomendacion.

Dada en Barchinona sot nostre sagel secret à 18. dias de Decemb,

A *del ann M. CCCC. XII.*

REY FERDINAND.

Al Venerable Religios amat, e fel nostre L'Elect de Catania.

Paria scripsit ad Reginã, Thomæ eiusque progenitorum obsequia, præstita item sibi seruitia perbelle contestans.

Reyna molt cara, e molt amada cosina germana.

Nos D. FERDINAND per la gracia de Deu Rey de Aragon, e de Sicilia vos enuiam molt à saludar, cõ à quella per qui volsiẽ que Deu donas tant honor e bonauentura, com per annos muchos Reyna molt cara e molt amada cosina ermana: Entes hauem zo que messer Andrea del Castel nos ha dit da part vostra sobre la elecion feta en la persona de frat THOMAS de ASMAR en Obisp de Cathania, a que molt cara, e molt amada cosina ermana vos respondere, que nos hauem grã plazer de la elecion per tal com sem stats informats, ell, e sots parents nos an seruit por manera, que nos los douem perseguir de gracies, e fauor: por que Reyna molt cara, e molt amada cosina ermana Vos pregam affectuosament, q te por amor e contemplans nostra vullars hauer ló dic elect, e sos frats in special recomendacion, canda tots farets singular plazer.

Dada en Barcinona sots nostre sagel secret a 19. dias de Decembre del anno 1412.

REY FERDINAND.

Ala Reyna de Sicilia nostra molt cara e molt amada cosina ermana.

Eadem perscripsit de Thomæ

electi-

electione lętatus ad Catanensē Senatum.

Capitaneo, Patritio, Iudicibus, Iuratis, ac vniuersitati Ciuitatis Catanæ dilectis, & fidelibus nostris.

LO REY de Aragon, e de Sicilia.

Amats e fieles nostres, vestra litera hauem rebada, perla qual nos hauets certificat de la elecion feta à F. THOMAS de ASMAR en Bispe de Cathania, de la qual cosa nos hauem hauut gran placz. axi mãx som certificats dels traballs, e afanys, que a quexa Ciutat e vos altrs hauets sostenguts per seruir nostre, e per bõ auenir dequez nostre Regne, loqual nos agrahim molt, eg certificam, que nos entenet hauer a quexa Ciutat, e vos altrs en nostra comenda, com nos haran a quexa Ciutat per vna deles singulars de quex Regne, per soy pregam, que tots temps vullats continuar vestre bon seruey, car nos pregam, emanam que per contemplacion nostra hajats lodic Elect e los frats en special recomendacio, teniut a quel en la reputation, que a la dignitat pertens, que de tos farets seruey assenyalat.

Dada en Barchinona sots nostre sagel a 19. dias de Deciembre del anno 1422.

REX FERDINANDVS.

Episcopus electus, quo passim nomine se subscribebat, *THOMAS ELECTVS EPISCOPVS*, sacras Insulas capessiuit nunquam; siue quia Catholicæ Ecclesiæ vnitas immani schisma te, quod ad annos 30. & vltra Christianum orbem vexauerat, per ea tempora miserè adhuc scindebatur, siue quia *Fr. Mauri* abrogatio non iure facta in disquisitionem adhuc vocabatur, siue tandem quia Rom. Pontificis electio illa non fuisset probata: vt vt res fuerit, consecrationis insignia hunquam suscepit, ea tamen omnia, quæ Pastoralis erant muneris exequebatur; *Thomas electus Episcopus*, vt dicebam, se se nuncupans, subscribensque.

Anno tandem 1415. ab Episcopali dignitate se abrre professus est, abdicationem, eiurato, vt fieri solemne est, schismate, Apostolicæ sedis nomine recipiente *Martino de Turribus* in Sicilia Pontificis Nuncio, ac iurium Apostolicæ Camerę collectore. Reddita nihilominus est *Thomæ* Prioratus dignitas, quam antequam ad Episcopalem Cathedram eueheretur in eadē Catan. Ecclesia obtinebat: octingentis item florenis annuis ex Episcopatus prouentibus ad condecentem honoris ac familiæ sustentationem assignatis.

Proximo deinde anno 1416. *Abbas S. Mariæ de Fossanoua* in Agrigentina Diœcesi designatur, id quod nouissimè testatur *Rocchus Pirrus in Notit. Eccl. siæ Agrigentinæ fol.* 374. & 375. sub quod idē tempus Catanensi Cathedra de facto ad huc vacante, Generalis Vicarius à monachorū Capitulo deligitur, & Apostolica auctoritate, vt munus illud obiret, honestatur.

Alphonsi Ferdinandi Regis natu maximo, qui sub idem anni

ſpatium patri in *Sicilia* ſceptrō ſucceſſerat, cum cæteris Siculis Prælatis in *Arce Vrſina Catanæ* corā Ioanne Pegnafielis & Mōtis albi Duce illius germano Regis perſonam agente, ſuam & ipſe fidem ſpopondit 24. martij 1416.

Plenus tandem dierum, plurimis conſcenſis honorum gradibus, plurimis item exantlatis rerum viciſſitudinibus, diem clauſit extremum anno 1423.

§. XLVI.

IOANNES DE PODIO.

Anno verbi 1418.

E Pontificio abeunte *Thoma*, Antiſtes præficitur *IOANNES DE PODIO*, è ſacro Prædicatorum Ordine aſſumptus, anno 1418. Hunc pleriq; *de Podiomaçijs*, nonnulli *de Podionucijs*, alij *de Podyomitis*, & tandem *de Podomitis* dixere: genere Gallus, nobilitate clarus, quippe qui familiæ ſplendorem a veteribus Catalauniæ principibus (inter quos *Ægidius de Podio* Regis Martini Maiordomus, & armorū, vt dicunt, Vxerius in Siciliam venit) continuata progenitorum ſerie, repetebat; eruditione, moribus, dexteritate tandem longe præclarior.

Totius ſuæ Dominicanæ familiæ Generalis Magiſter ex merito virtutis eligitur anno 140... ad quem eo magiſtratu fungentem literas perſcripſit *Diuus Vincentius Ferrerius* 27. *Decembris* 1403. *è Ciuitate Gebennenſi*, quas in noſtro Dominicano Cœnobio aſſeruatas, integre tranſcripſerā *Catan. Decachord. tom.* 1. *chord.* 7. *mod.* 7. *fol.* 138.

Ferdinando Aragonum & Siciliæ Regi à ſacris fuit confeſſionibus: dignus præterea cui *Martinus* III. alias V. Rom. Pontifex, propriæ conſcientiæ expiationes commiſſerit: varijs ideò ac perhonorificis ab eo Legationum muneribus coho neſtatur; tum *Referendarius* conſtituitur, mox *Nuntius Apoſtolicus* in Sicilia, & tandem *Catanenſis Epiſcopus*, quo ſe paſſim nomine prænotabat, *Ioannes miſeratione Diuina Epiſcopus Catanenſis, ac Iudex omnium perſonarum Eccleſiaſticarum exemptarum in Regno Siciliæ per ſanctiſſ. Dominoſtrum Papam Martinum V. ſpecialiter deputatus &c.*

Vicarium habuit *F. Petrum Chabret* eiuſdem Dominicanæ Religionis Theologum, ea provincia dignum, quam muneris amplitudo exigebat. *Conſtantienſi Concilio*, quod abolendi ſchiſmatis causa Baldaſſaris Coſſæ nuncupati *Ioannis XXIII.* Angeli Corarij *Gregorij XII.* & Petri de Luna

Luna *Benedicti XIII.* coactum fuerat anno 1414. abſolutū anno 1418. & ipſe interfuit, eruditam præterea ac ſale refertam ad Patres illos habuit orationem. In ſeſſione ſiquidem 45. eaq; poſtrema de diſſolutione Concilij hæc de Præſule noſtro legere eſt.

Reuerendus Pater Ioannes de Podemitis, ſiue Podyomitis Epiſcopus Caſtanienſis, Frater Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Profeſſor de mandato Domini noſtri Papæ Martini, & conſenſu Sacri Concilii (vt aſſeruit) ambonen aſcendit, & fecit collationem ſolemnem aſſumendo pro Themate hæc verba Ioannis cap. 16. videlicet. Vos nunc triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum,

Alfonſo Regi Scriptorum omnium calamis celebrato, qui (vt dicebam) *Ferdinando* in Siciliæ ſceptro ſucceſſit, a Cõſilijs adſcitus, plurimis ab eo cumulatur honorum augmentis hoc Diplomate Ioannis facinora proloquentes.

ALPHONSVS

Dei gratia Rex Aragonũ, Siciliæ &c

Cum quadam pragmatica ſanctione, non ſine cauſa facta, fuerit & ſit per prędeceſſores noſtros Diuæ memoriæ introductũ, quod nullus exteræ nationis valeat Beneficia Eccleſiaſtica intra Regna, & Terras noſtras modo aliquo obtinere: conſueuit tamen aliquoties ipſorum Prædeceſſorum noſtrorũ, & noſtra Regia benignitas erga eos, quorum merita, & alterius rationis identitas naturales eos faciunt, liberaliter diſpenſare.

Cum itaque quoad vos Venerabilẽ in Chriſto patrẽ, & Conſiliarium noſtrum dilectum Fr. Ioannem de Podiomatio Ordinis Prædicatorum in ſacra pagina Magiſtrum, Epiſcopum Catanenſem, & domini noſtri Papæ Confeſſorem, oriundum Regni Franciæ, quem licèt corporalis natiuitass, & exteræ nationis educatio extraneum reddant, affectio tamen intrinſeca, quam erga Nos, & domum noſtram Regiam geritis, nec non ſeruitia gratanter præſtita naturalem noſtrum exhibent, diſpenſare velimus.

Tenore præſentium concedimus, & noſtræ voluntatis beneplacitum impartimur, quod non obſtante ſitis dictæ exteræ nationis, poſſitis vbique, & in quibuſuis Regnis, & Terris noſtris, potiſſime in regno Siciliæ, quæuis & quantacumq; beneficia Eccleſiaſtica, Prælaturas, & Dignitates per dominũ Summum Pontificem, aut quoſuis Prælatos, ſeu perſonas Eccleſiaſticas canonice collata, vel conferenda vobis Epiſcopo ſupradicto liceat in virtute chartæ, ſeu priuilegij noſtri huiuſmodi firmiter valituri libere obtinere, ac etiam poſſidere: Pragmatica ſanctione iam dicta, aut alijs quibuſuis ſtatutis, & ordinationibus vel edictis obſiſtentibus nullo modo. In cuius rei teſtimoniũ preſens Priuilegium fieri, & Sigillo noſtro communi negotiorum Siciliæ in pendenti iuſſimus communiri.

Datum in Caſtro S. Cucuphati Valent. Die 12. Auguſti anno à Natiuitate

cate Domini 1419.

REX ALFONSVS.

Solemne olim erat, Patritiũ, Iudices, ceteros item Vrbis Administros à Prorege expræfectos, non aliter ad officiorũ poſſeſſiones admitti, ni prius in Epiſcopi manibus fidei iuramentum de Iuribus, ac libertatibus Eccleſiæ illæſis conſeruandis præſtitiſſet: eaq; ſarta tecta pro virili cuſtodituros ſãcte ſpopõdiſſent quod cum nonulli præſtare renuiſſent, has pro ſui Iuris tuitione ad *Antoniũ Cardonã, Ferdinandũ Velaſquez, & Martinũ Torres*, qui Siciliæ Regnũ ſimul pro Rege moderabantur ann. 1420. ſcripſit literas.

MAGNIFICIS, ET POTENTIBVS DOMINIS,

Dominis Vicęregibus Regni Siciliæ.

Magnifici & Potentes Domini, Veſtræ Magnificẽtiæ inſinuo iniurioſam nouitatem, quam contra Catanienſem Eccleſiam poſt receſſum veſtrum irrogare aliqui præſumſerunt. Cum enim à tanto tempore, quod do contrario memoria hominum non exiſtit, vſq; nunc Patritius, & Iudices ſui, Catapani, & Capiſurri Catanenſes, poſtquam fuerunt inſtituti, antequam ſua officia exequantur, conſueuerunt iurare Eccleſiæ ſub certa forma, quę nihil aliud continet in effectu, niſi quòd ſua fideliter exercebunt officia, & quòd Iura & libertates Eccleſiæ nón offendent, ſed facient quantum in eis eſt, quod reddent quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quę ſunt Dei Deo.

Et quamuis ego per multos dies expectauerim, quod dicti officiales per D. V. nuper in Cathania inſtituti ante quam ſua officia exercẽre præſumerent, ad dictum Iuramentum, prout conſuetum ſemper fuerat, præſentarent: ipſi tamen de hoc minime curauerunt, ſed omiſſo Eccleſiæ Iuramento, ſuis miniſtrauerunt & miniſtrant officijs, Eccleſiam ſuo iure, & pacifica poſſeſſione, quantum in eis eſt, Motu proprio ſpoliantes.

Quod videns, Primò miſi ad eos, ſeu ad principales eorum, charitatiue, & benigniter exhortando, quatenus vellent Iuramentum præſtare conſuetum & debitum, & ab incepta nouitate ceſſare; qui noluerunt, ſed cum conſilio aliquorum concluſerunt quod D. V. de hac materia ſcriberent, & interim dictum Iuramentum nullo modo præſtarent.

Super his igitur veſtra circumſpectio queſo dignetur attẽdere. Primo, quod in hac materia innituntur debiliſſimo fundamento: dicunt enim quod Rex Martinus Iunior ordinauit, quod huiuſmodi Iuramentũ à modo Eccleſiæ præſtaretur, quod nó eſt verum. Ego de hoc cum fide dignis ciuibus Catanenſibus diligenter inquirens, reperi, quod præfatus Dom. Rex ab aliquibus æmulis Eccleſiæ plurimum ſtimulatus ita ordinare propoſuit, ſed poſtmodum melius informatus, & conſcientia motus illud noluit ordinare. In cuius ſignum nulla de tali ordinatione reperitur Scriptura, nec eſt aliquis, qui dictæ ordinationis Edictum

ctum audiuerit promulgatum. In huius etiam ſignum, neq; tẽpore dicti Dom. Regis, nec ex tunc fuit à dicti Iuramenti præſtatione ceſſatum: imò ſemper uſq; ad officiales præſentes corã Epiſcopo, uel in eius abſentia coram ſuo Vicario, uel uacante Sede corã Vicario Eccleſiæ præceſſores ipſorum nouorum Officialium, ut præmiſſum eſt, Iurauerunt; & ita duobus annis immediatè præteritis, me abſente, coram meo Vicario factum fuit, etiam, vt audio, illo tempore, quo vos Egregie & Magnifice Domine Antoni, & Dom. Epiſcopus Ilerdenſis tanquam Vicereges eratis in Catanenſi Ciuitate præſentes.

Nonne magnificus Dom. Martinus tempore quo Catanenſem pro parte olim Domini Bernardi gubernabat Eccleſiam, hoc iuramentum tanquam debitum exegit, & recepit? Vtique. Quid ergo dicemus ad hæc? Et ſi præfatus Dom. Rex Martinus (ſicut ipſi fingunt) iuſtè prohibuit fieri iuramentum, cur ſibi per alios officiales præteritos nõ fuit obeditũ? Cur præfati magnifici domini dictum Iuramentum, ut ſupra dictum eſt, uoluerunt præſtari? Si uerò nõ prohibuit, quid ſibi uolunt hi, qui contra Eccleſiam in hac materia nunc inſurgunt? An forſan quia in his prætenditur regium intereſſe? pro fundius intelligunt, & feruentius eius conſeruationem zelant, & diligunt: quod non credo. An quia hac arte impetere contra Eccleſiam à D.V. ſub colore honoris Regij ſatagunt? quod nunquam Reges præteriti, imò neque Tyranni concedere uoluerunt.

Hanc eſſe eorum intẽtionem, non ego, ipſi dicunt, ſuper hoc negotio Dominos uolumus conſultare. O commendandi officiarij, qui de non dubijs dubia facientes, non uerentur Dominorum conſcientias contra Deum & Eccleſiam, quantum in eis eſt, inclinare. Dominos, inquiunt, uolumus hac in materia conſultare, ò ſeruitores obſequioſi, qui Regiæ Maieſtati ſatagunt offerre ſacrificium de rapina; Quid inquiunt melius quã ut ſuper dicto Iuramento Dominos conſultemus. Hoc certe ſi fiendum, eatenus fieri debuit antequam Eccleſiam ſua poſſeſione ſpoliaſſent: nunc autem primò offendentes, poſtea conſultantes, ſimiles illis ſunt, qui proceſsũ ceperunt facere, poſtquam hominem ſuſpenderunt. Primo ſaltem reſtituant, & poſtea conſultationem intendant.

Dominis, inquiunt, volumus ſcribere, vt eorum nobis poſſit intentio apparere. Satis de V.D. intentione ipſis, ſi intelligere voluerunt, apparuit; cum nuper Catanam, me, & Eccleſiam eis, & alijs præſentibus, tam efficaciter commendaſtis. Si ea, quæ tunc ipſis impoſuiſtis, ſcil. quod Iura & Libertates Eccleſiæ nequaquam minuaderent, alias non modicum Regiam Maieſtatem offenderent, cordialiter acceptaſſent, non oportebat in re, de qua nunc agitur, talibus conſultatio-

cationibus D. V. fatigare.

Quid Ergo? profecto per hanc D. V. conſultationem intendunt tam ipſi, quam eorũ complices, turbare quod clarum eſt, fermentare quod purum eſt, prolongare quod præſto eſt, & ita Eccleſiam ſuo iure, & pacifica poſſeſſione de preſenti, & conſequenter in perpetuum ſpoliare. Nam vt ſum informatus à certo, Ideo D. V. ſub titulo conſultationis ſcribunt, credentes quòd nullo modo mandabitur Eccleſiam reſtitui, aut eidem per dictos officiales Iuramentum pręſtari, ſed vniuerſitatis diſcretioni negotium remittetur. Abſit autẽ à præclaris circumſpectionibus veſtris parti & complicibus dare Iudicium, & patrem & matrem ſubmittere pedibus filiorũ. Nam vt dolorem, qui me iugiter affligit, explicem. Sunt aliqui, ſalua ſemper pace bonorum, tantum à Dei & Eccleſiæ cultu, ac deuotione remoti, quòd niſi quia ſentiunt Dominum Regem & Vos ad Eccleſiam fideli & catholica dilectione ſeruire, taliter iura & libertates ipſius ſub exquiſitis coloribus impugnarent, quod in breui nuda & miſera eorum pedibus calcaretur. Sed Benedictus Deus, qui non noſtris, ſed Beatæ AGATHÆ meritis tales Regẽ & Vicereges huic Regno conceſſit & concedet, modò, & in futurum, quorum potentia contra poteſtates contrarias Eccleſiam protegat, ſapientia contra fallacias diriget, & clementia contra malitias gratiã abundãter infundet.

A

Quare Magnificas D. V. ſupplico inſtanter, & humiliter, quatenus Eccleſiam Cathanienſem à præfatis Officialibus motu proprio ſpoliatam ante omnia reſtitui iubeatis, nec aliquatenus permittatis ab ea auferri quod uſq; in præſens habere & poſſidere pacifice conſueuit, ut Beata Agatha Deum pro uobis ſemper exoret, qui D. V. bonum ſtatum & longęuũ proſperare dignetur.

B

Scriptũ Cathaniæ 17. mẽſis Octobris

Ad Veſtrarum Dominationum beneplacitum & mandatum Fr. Ioannes Epiſcopus Cathanienſis, Conſſor Domini noſtri Papæ.

Proximo dein anno 1421. Ioannes noſter ſcriptis literis *Meſſanæ 15. Iunÿ 14. Indict.* ab Alphonſo, quem dicebam, Siculo Regno præficitur cum *Nicolao*

C

Cattanea, & Arnaldo Rogerio. Ij omnes ſimul Regias uices triennio ſubiere, auctoribus cum *Michaele Pio Hiſtor Dominic. lib. 3. part. 2. Rocco Pirro hic fol. 54. & Antonino de Amico in Chronologia Proregum Siciliæ*.

Eodem anni curriculo perhonorificas ab eodem *Alphonſi Rege* literas exorauit datas *Meſſanæ 20. Iunÿ*, quib' præſcribitur,

D

ut noſter Ioannes, eiuſq; in Catan. Epiſcopali munere ſucceſſores, *Eccleſia, illius item Monachi, Familiares, ſubditi, & eorum bona, Aduocati, Procuratores, negotiorum geſtores, Familiares, Granciæ, feuda, domus, Molendina, reditus, & prouẽtus ſub REGIA PROTECTIONE ſuſciperentur. Ita quòd nullus cuiuſuis gradus & prærogatiuæ exiſteret,*

ſteret, valeat illos, aut illa ſub quouis prætextu moleſtare. Et quod ei ſeruetur Iurisdictio Eccl ſiaſtica: & tandem quòd impetrantes literas Ciuilitatis Catan. nullum ſuæ Eccleſiæ, aut iuribus DOHANÆ inferant præiudicium.

Proximo huic anno 1422. ſuis ipſius adminiſtris præcipit laudatus *Alphonſus*, ſuæq; intentionis ita fore declarat, *quod gratiæ per ipſum Regem aliàs factæ cuique perſonæ non intelligantur factæ de iuribus Epiſcopatus, & Eccleſiæ Catan.* En diploma ſingula hæc per bellè conteſtans.

Alphonſus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ &c.

Nobilibus dilectis Conſiliarijs Viceregibus noſtris in Regno Siciliæ, nec non Capitaneo, Patritio, & eorum Iudicibus, cęteriſq; Officialibus Ciuitatis Catanæ tā noſtris, quā gabellotis DOHANÆ, & alijs Eccleſiæ Ciuitatis prædictæ, quibus pertinēt infraſcripta, & ipſorum Officialium locatenentibus præſentibus, & futuris gratiam noſtram, & bonam voluntatem.

Pro parte Venerabilis in Chriſto patris Catanēſis Epiſcopi fuit expoſitum cum querela, quòd aliquibus impetrantibus ciuilitatem Ciuitatis Cataniæ à noſtra Serenitate cum confirmatione à noſtra Curia literæ emanent, quòd Gabelloti Eccleſiæ, & officiales DOHANÆ dictos Ciues ita factos ad ſolutionē Iuris Dohanæ non compellant, additā nihilominus certa pœna, ac etiā cum pœna mandent Capitaneo, & alijs officialibus dictæ Ciuitatis, vt huiuſmodi ciuilitatem, aut confirmationem faciant inuiolabiliter obſeruari, qui propterea à ſolutione Iurium Eccleſię tales ciues eximunt, & indebitè liberant, & abſoluunt. Et propterea pro parte eiuſdem fuit ſupplicatum humiliter, quatenus pro indemnitate dictæ Eccleſiæ deberemus iuſtè & benigniter prouidere.

Nos igitur eius petitione clementer admiſſa, cum noſtræ intentionis non fuerit, nec ſit, virtute Ciuilitatum ipſarum, vel cōfirmationum poſtmodum factarum iuribus Eccleſię aliquando contra Iuſtitiam derogare; quinimò tanquam Deum timētes, velimus omnes gratias noſtras ſemper intelligi iuribus alienis, & ſignanter Eccleſiarum omninò ſaluis; vobis, & cuilibet veſtrum tenore præſentium declaramus, dicimus, & mandamus, quatenus omnes gratias Ciuilitatum prædictarum, ſeu confirmationis prædictarum factas, vel etiam fiendas in poſterū ſub quacumq; verborum forma, intelligi, & ſeruari debere NVLLO IVRIBVS DICTÆ ECCLESIÆ PRÆIVDICIO indebitè generato, ſed eidem ſemper ſalua ſeruentur omninò, cum ſic de certa ſcientia, pro conſeruatione Diuini iuris, duximus prouidendum.

Datum in Caſtro regali Ciuitatis Auerſæ ſub noſtro Sigillo ſecreto vigeſimo quarto die menſis Septembris anno à Natiuitate Domini M.CCCC.XXII.

REX ALFONSVS.

Porrò quod ad Iura Dohanæ ſpectat, eorumq; ſolutionem, hoc *In libro Priuilegiorũ Catanenſis Eccleſiæ fol.* 30. & 110. *legitur Statutũ.*

Tutti perſuni furiſteri, e non Citatini oriũdi di la Citati di Catania ſu ſubietti e tenuti a lo dritto di Dohana, non di exceptuãdo perſuna alcuna di qualſiuoglia gradu, e conditioni ſi fuſſi: ſaluo la Sãtitati di Noſtro Signuri lu Papa per ſo vſu, e de ſua Armata, chi facilſi in difenſioni di la Fidi Chriſtiana: & etiã la Maieſtà di lu Sereniſſimu Signuri Rè, como principali Citatinu chi è di la ditta Citati, e Signuri, di caſa ſua tantum, e di ſua armata e difenſioni di li ſoi Regni, e cõtra ſoi inimici: lo Signuri Vicerè per ſo vſu di caſa ſua tantum in lu tempu chi eſti in lu dittu officio; e nullu altru officiali Regiu, ò altro, nec etiam priuilegiatu, chi per gratia, ò per priuilegio fuſſi ſtatu Citatinu per lo Signuri Rè, oy per la Vniuerſitati di Catania, ſaluu che lu Signuri Epiſcopu lu facilſi citatinu cum lu conſenſu di lu Capitulu. E ſi per caſu lu dittu Signuri lu facilſi Citatino, non partia gaudiri la ditta Franchizza, ſolum in vita di lu dittu Signuri Epiſcopu; e ſi fuſſi franchu cum lu conſenſu di lu dittu Capitulo, all'hora ſia franchu in perpetuum.

Hactenus Statutum vernaculo, vt vides, ſermone impolitè exaratum.

Creditæ ſibi Eccleſiæ ſtatui impreterminſe proſpiciens, vt ſcribit *Pirrus in noſtræ Eccleſiæ Notitia fol.* 54. Põtificias literas à Martino V. Romæ 10. Kal. Iunij 1423. Pontif. anno 5. obtinuit, per quas Pontifex Epiſcopo Syracuſano Apoſtolico Delegato præcipiebat, vt bona omnia Eccleſiæ Catanenſis, quæ vel vſurpata, vel à prædeceſſoribus Præſulibus, vel etiam ab ipſo Ioanne malè alienata fuerint, ipſi Eccleſiæ reſtituenda curaret. Qua auctoritate Apoſtolica ſuffultus Caſtrũ Acis à Ferdinando Valaſcho, cui fortè Martinus Rex ob Artalis Alagonæ rebellionem conceſſerat, antiquo iuri Eccleſiæ Catanenſis reſtituendum maximè ſtuduit.

Anno 1427. *Alphonſus Rex* priuilegia, quę Cat. Eccleſiæ ad Ioannis Epiſcopi inſtantiã indulſerat (Priuilegiorum ſumma hęc erat, vt gratię per ipſum aliàs cõceſſæ Catanenſis Eccleſiæ iuribus nunquam eſſent impedimento) iterum confirmauit, ſerioque in re ſeria præcepit, ne DOHANÆ iura, aut illius Priuilegia oblæderentur, quin & Catan. Eccleſiæ Protectorem ſeipſum fore teſtatur hoc Diplomate.

ALPHONSVS Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ &c.

Noſtræ culmini Maieſtatis venerabilis in Chriſto pater, & dilectus Conſiliarius noſter Ioannes Epiſcopus Catanenſis querelanter expoſuit, quod nonnullis paucis temporibus citra iura gabellarum Catan. Eccleſiæ, ſignãter Dohanæ, Stiatę, & Iarrettæ recuſant ipſi Eccleſiæ ſoluere, motiua ſubſequentia allegantes. Quidam quaſdã literas per Nos, aut noſtram Curiam eis factas, in quibus, vt aſſerunt, eos exemptos fecimus à Iuribus antedictis.

ctis. Alij dicunt, quod vendendo Curię noſtrę aliqua ad Ius dictarum gabellarum Dohanæ, & Statiæ pertinentia, pactum interpoſuerunt, quòd à dictis iuribus ſeruarentur immunes. Nonnulli vlterius allegant noſtræ Maieſtati impenſa ſeruitia, propter quæ exemptionem à dictarum ſolutionum iuribus dicunt ſibi debere retribui pro mercede.

Supplicato igitur Nobis per dictum Epiſcopum, quatenus ſuper iſtis dignaremur debitè prouidere. Nos dictæ ſupplicationi benigniùs annuentes, vobis ſerie præſentis duximus declarãdum, non eſſe, fuiſſe, vel fore intentionis noſtræ, quòd prefatę perſonę, vel aliæ rendabiles per dictas allegationes, vel ſimiles, à ſolutione iurium Eccleſiæ aliqua tenus eximantur; quamuis cum Nos dictis iuribus non ſimus aliquo modo ſubiecti, noluimus tamen ſic præiudicare Eccleſiæ, vt hanc libertatem ad eos, qui dictis ſubijciuntur iuribus, extendamus, & ideo ſi in quibuſcumq; chartis gratiæ per Nos, aut officiales noſtros ſub quacumque verborum forma conceſſę, aut inpoſterum concedendæ appareat Nos aliquas perſonas eximere à quarumcumq; iuribus gabellarum, tales exemptiones intelleximus, & intelligi volumus de noſtris Iuribus Regijs, non verò Eccleſiæ ſupradictæ. Et ſi forſan aliquas conceſſiones, aut gratias à Nobis, aut Curia noſtra contigerit emanaſſe, in quibus a ſolutione DOHANÆ, Statię, Iarrectę, aut alterius iuris dictę Eccleſię aliquę perſonę aliàs rendabiles eximi iuberentur, volumus illas conceſſiones tanquam per importunitatõ, & pręter noſtrę mentis intentionem impetratas, nequaquam eximi, aut aliquem effectum ſortiri; quin potius voluimus iura dictę Eccleſię remanere integra, & illeſa. Abſit enim à noſtro iudicio Regię Maieſtatis, vt illius Eccleſię, ad quam ob B. AGATHÆ reuerentiam ſpeciali deuotione afficimur, & tãquam EIVS PROTECTOR cõ ſeruare voluimus, & debemus, iura dictę Eccleſię, aut Priuilegia minuere intendamus, aut lędere, imò confirmare potius & augere.

Quòcirca mandamus vobis, & etiam iniũgimus de noſtri certa ſcientia, & expreſsè, quatenus huiuſmodi Prouiſionem, & Declarationem noſtram, & omnia & ſingula in eis contenta teneatis, & etiam obſeruetis, nec ſinatis aliquem contraire quauis ratione, vel cauſa, cum de certa noſtri ſcientia, preuiaq; noſtri ſacri Conſilij deliberatione matura ſic volumus fieri, exequi, & impleri.

Datum Valentiæ ſub noſtro Sigillo communi negotiorum Siciliæ die 30. *Septembris Anno à Natiuitate Domini* 1427.

REX ALFONSVS.

Ioannem deniq; ad Baſileenſe Concilium cum Nicolao de Tudeſchis Panormitano Archiepiſcopo, Ludouico Romano, & Baptiſta Platamone V.I.D. Oratorem ab Alphonſo miſſum ſcribit *Pirrus in nouiſſima Regũ Siciliæ*

Chronologia fol. 91. Sed errat. non etenim Ioannes de Podio, ſed alter *Ioannes de Piſcibus* illius ſucceſſor in Concilio illo Alphonſi orator conſedit. *Ioannem* ſiquidē *de Podio* anno 1431. mortalitatis exuuias depoſuiſſe, ſempiternis glorioſius, vt pie credere eſt, induendum, Tabularia noſtra teſtantur.

§. XLVII.

IOANNES DE PISCIBVS,

Anno Dominicę Incarnationis 1431.

SEd iam in demortui *Ioannis de Podio* locum Cathedramq; ſufficitur *IOANNES DE PISCIBVS* Catanenſis ex ordine Minorum, *Piſciculus*, ſiue *Piſcitellus* vulgò nuncupatus, vir eruditione, dexteritate, eloquentia, genere tandem præcipuus: *Nicolai de Piſcibus* magni nominis Iuriſcōſulti, quiue in ſupremo Siciliæ Senatu Regij Fiſci patronum agebat anno 1394. genuinus filius. Fratrem habuit *Simonem de Piſcibus* V. I. D. doctiſſimum iuxta ac eloquentiſſimum, quiue incorruptę iuſtitię ſpecimen ſeipſum præbuit, & exemplar, quando ab *Alphonſo Rege Sardiniæ Prorex* expręfectus, proprio filio nequaquam pepercit, quo minus ob patrata ab ipſo facinora capite mulctatum punierit.

Teneris ſub annis literarum ſtudijs addictus magna futuri protectus præbuit documenta: ętate adultior *Ordinem Minorum* ſanctiſſimis doctiſſimiſq; viris efflorescentē ingreſſus, ingenij fœlicitate eò breui proceſſit, vt vix ex ephębis ſolutus Magiſter fuerit appellatus.

Nobiliores Minoritanę Religionis Academias ſuo vel tantum nomine decorauit, doctrinis illuſtriores effecit. In literarijs cōgreſſionibus ſubtiliſſimus, doctiſſimum quemque ſecum congredientem victor illudebat; hinc prouerbio locus factus eſt, *Piſciculus Tynnos in rete concluſit*.

Anno 1418. communibus Patrum ſuffragijs Siculę Prouinciæ Moderator electus eſt: quantum uis in annum 1421. aſſumptionē hanc confignet *Philippus Cagliola Manifeſt. Sicul. Prou. f.* 176. quod munus dum prudens exequitur, à verbi Dei præconio nunquam ceſſauit, grauibus quantumuis curis, quas ſecum affert Prælaturę ſollicitudo, diſtentus.

F. Antonio de Maſſa totius Minoritici ordinis Generali Miniſtro vel in paucis pretioſus, pluribus ab eo cohonestatur fauoribus: adeūdę ad rem laudati Præſulis literę ſcriptę *Ferrariæ* 29. *Maij* 1415.

Alphonſo

Alphonſo Aragonum ac Sicilię Regi à ſapientia ſcriptoribus cõmendato vſq, adeò pretioſus, vt eum à ſecretis Conſiliarium ſibi adſciuerit, eiuſq, opera ac conſilijs in grauiſſimis Regni negotijs vteretur: quẽ amplioris honoris prerogatiua cohoneſtare ſtudens *Catanenſi Eccleſiæ* ab *Eugenio IV.* preficiendum curauit Epiſcopum. Ex Diploma.

EVGENIVS EPISCOPVS
ſeruus ſeruorum Dei.

Dilectis filijs Capitulo Eccleſiæ Catanienſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Diuina diſponente clementia, cuius inſcrutabili altitudine ordinationem ſuſcipiunt vniuerſa, in Apoſtolicę Sedis ſpecula, licèt immeriti conſtituti, ad vniuerſas orbis Eccleſias, preſertim Romanę immediate ſubiectas, aciem noſtrę conſiderationis extendimus, & pro earũ ſtatu ſalubriori dirigendo Apoſtolici fauoris auxilium adhibemus: ſed de illis propenſiùs Nos cogitare conuenit, quas proprijs carere Paſtoribus intuemur, vt eis iuxta cor noſtrum Paſtores preficiantur idonei, & miniſtri prouidi deputentur, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem prouidam, & prouidentiam circumſpectam ſalubriter dirigant, informent, ac bona Eccleſiarum ipſarum non ſolum gubernent vtiliter, ſed etiam multimodis augeant incrementis.

Dudum ſiquidem bonæ mem. IOANNE Epiſcopo Cataniẽſi regimini *CATANIENSIS ECCLESIÆ ROMANÆ IMMEDIATE SVBIECTÆ*, ordinis Sancti Benedicti preſidente; Nos cupientes ipſi cum vacare cõtigerit per Apoſtolicę Sedis prouidentiam, vtilẽ & idoneã prouidere perſonã, prouiſionem eiuſdẽ Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſeruandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumq; quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Poſtmodum verò dicta Eccleſia per obitum ipſius Ioannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione huiuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad prouiſionem ipſius Eccleſię celerem & fœlicem, de qua nullus prẽter nos ea vice ſe intromittere poterat, ſiue poterant, reſeruatione & decreto obſiſtẽtibus ſupradictis, ſollicitis ſtudijs intendentes, poſt deliberationẽ, quam de preficiendo eidem Eccleſię perſonam vtilẽ & fructuoſam, cum fratribus noſtris habuimus diligentem; demùm ad dilectum filium IOANNEM electum Catanienſem ord. fratrum Minorum in Theologia Magiſtrum, & in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium prouidentia, & in temporalibus circumſpectione, alijſq, multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, & quem vos in Epiſcopum cõcorditer poſtulatis, direximus oculos noſtrę mẽtis; quibus omnibus

nibus attenta meditatione pensatis, de persona ipsius Electi nobis, & eisdē fratribus nostris ob suorum exigētiam meritorū accepta, eidem Ecclesiæ de eorūdem fratrum nostrorum cōsilio, auctoritate Apostolica prouidimus, ipsumq; Electum illi præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationē ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè cōmittendo in illo, qui dat gratiā, & largitur præmia. Confidentes quòd, dirigente Domino actus suos, præfata Ecclesia per eiusdē Electi industriam diligenter regetur, & prout circumspectionis studium fructuosum vtiliter & prosperè dirigetur, grataq; in eisdē spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa.

Quò circa Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem Electū, tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum, grato admittentes honore, exhibētes eidem obedientiam, & reuerentiā debitam, & deuotam, eius salubria monita & mandata suscipiētes humiliter & efficaciter adimplere curetis: alioquin sententiam, quam ipse Electus ritè protulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Dño vsq; ad satisfactionem cōgruā inuiolabiliter obseruari.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quatricentesimo trigesimo primo, xi. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Emendā lus ideò *Roccbus Pirrus hic fol.* 55. Ioannem ab Eugenio anno 1427. inauguratum cōtendens: cuius lapsum planè redarguit exscriptum Diploma. Ad hæc, anno 1427. non *Eugenius*, sed *Martinus V.* Catholicæ Ecclesiæ clauo præsidebat.

Plurimis, ijsq; præcipuis Antistitem nostrum Priuilegijs decoratum voluit laudatus Alphonsus, cui hominis ingenium, virtus, ac dexteritas signanter innotuerat. Illud præ ceteris insigne, quòd Ioannes ipse, Familiares, Administri, Ecclesiæ tandem bona sub Regis protectione susceperi sunt, & nonnisi coram ipso Episcopo Catan. sistendi à Regis administrorū iurisdictione prorsus immunes, hoc Diplomate.

ALPHONSVS

Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ &c.

Debita meditatione pēsantes quòd omnes fideles & subditos nostros, vtpotè sub nostræ protectionis præsidio constitutos, potissimè Prælatos, & Religiosos, qui circa Dei seruitium assiduè suas continuas vertunt actiones, à sibi illatis violentijs, oppressionibus, & offensionibus, ac iniurijs, siue molestijs defendere tenemur,

Volentes itaq; Nos Venerabilem in Christo patrem, ac dilectum Consiliarium nostrum Fr. IOANNEM DE PISCIBVS in sacra Pagina Magistrum Catanensem Episcopum prosequi ex specialis prærogatiua fauoris, vt Vos, & Monachi, Familiares, & subditi vestri, ac bona Ecclesiæ vestræ sub plena nostræ securita-

tis

tis fiducia, ac ſub tuto, & quieto tutamine viuere valeatis, cum preſenti charta noſtra vos dictũ Epiſcopum, Monachos, Familiares, ſubditos, Aduocatos, Procuratores, negotiorumq; geſtores, familiareſq; veſtri, & ipſorũ, ac etiam Eccleſiam, Curias, Grãgias, Feuda, domus, molendina, redditus, & prouẽtus recipimus, & aſſecuramus: ita quod nullus cuiuſuis fuerit preeminentię, ſtatus, & conditionis, confidens de noſtri gratia vel amore audeat, vel preſumat per ſe, vel per aliũ, aut alios, palam, quomodolibet, vel occultè, directè, vel indirectè, Vos dictum Epiſcopum, Eccleſiam, bona, & familiam veſtram, nec non domeſticos, familiares, factores, ac negotiorũ geſtores veſtros preſentes, & futuros, ac etiam domum veſtram, ſiue Curiam, Grangiam, ſiue domos in veſtra Dioceſi conſtitutas, Officiales, homines, & mulieres, habitantes, & habitaturos, fructus quoq; redditus, iura, aut alia quęuis bona veſtra, & ipſorum mobilia, & immobilia, ſeſeq, mouentia inuadere, lędere, occupare, capere, pignorare, impedire, offendere, vel contrauenire: ita quòd nemo officialium, domeſticorum, factorum, procuratorum, & familiarium veſtrorum, coram alio Iudice, ſeu officiali quocumq; prẽter quàm CORAM VOBIS, TAM CIVILITER, QVAM CRIMINALITER valeat conueniri.

Mandantes per hanc eamdem Viceregi, qui pro tempore fuerit, Magiſtro Iuſtitiario, Iudicibus

A Magnę Regię Curię, ceteriſque vniuerſis, & ſingulis officialibus noſtris, eorumq; loca tenentibus, preſentibus, & futuris dicti Regni Sicilię, ad quos ſpectet, & preſentes peruenerint, ſub obtẽtu noſtrę gratię, & mercedis, pęna quoq; florenorum mille, quatenus PROTECTIONEM, Cuſtodiam, nec nõ gratiam, & prouiſionẽ noſtram huiuſmodi vobis, & vniuerſis Monachis, & familiaribus, & ſubditis veſtris, ac dictę Eccleſię bonis, ac rebus veſtris, & alijs omnibus & ſingulis ſupradictis teneant firmiter, & obſeruent, teneriq; & obſeruari faciant, & non contraueniant, ſeu aliquẽ contrauenire permittant aliqua ratione, ſeu cauſa.

B In cuius rei teſtimonium preſentem fieri, & Sigillo noſtro negotiorum Sicilię in pendenti iuſſimus communiri.

C *Datum in Ciuitate Catanię die 17. Iulij anno à Natiuitate Dñi 1432. Regnique noſtri 17.*

Nobile hoc exemptionis Priuilegium, ne conſequentibus annis perditum iret, vel ſuo excideret gradu, apud tabulas *Nicolai Francauillæ* tranſcribendum curauit Epiſcopus *27. Martij xi. Indict. 1433.*

D Cum autẽ idipſum, quod piè dederat *Alphonſus* Diploma, impiè temerare contenderent illius adminiſtri, vigili ideò *Ioannis* ſtudio ſolertiaq; factum eſt, vt ſanctiùs illud cuſtodiendum præceperit Rex, ſcriptis iterum literis *in Caſtro Varoli 3. Decembris 1442.* quas hic deſiderari piaculum foret.

AL

ALPHONSVS
Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ &c.

Recolimus cõceſſiſſe aliàs Venerabili in Chriſto patri Ioanni Epiſcopo Catanenſi Conſiliario dilecto, & Oratori noſtro deuoto Priuilegium quoddam inſcriptis tenoris ſequentis.

ALPHONSVS Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ, Valentiæ &c. Debita meditatione pẽſantes &c *Quod hìc innuitur Priuilegium, iã iam recitabam, vt vidiſti.*

Nouiſſimè verò intelleximus, & quidem ſatis moleſtè, quòd quidam Priuilegium prędictum nonnunquam conantur infringere, illiq; auſu quodam illicito cõtrauenire, in graue damnum, & præiudicium ipſius Epiſcopi, iurium quoque, ac præeminẽtiarum ſuarum, de quo, ſi ita eſt, ſatis cogimur admirari; cum ad vnumquemq; maximè cui Iuriſdictio commiſſa eſt, nedum Priuilegia Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis conceſſa non infringere, ſed illa potius fauorabiliter manutenere, & conſeruare pertineat.

Volentes propterea Epiſcopũ prælibatum in conſeruatione dicti ſui Priuilegij, pluribus exigẽtibus meritis, & ſeruitijs noſtræ Maieſtati ſingulariter præſtitis, proſequi, ex ſpeciali prærogatiua fauoris, vobis, & vnicuique veſtrum de noſtra certa ſcientia, & conſultè, ſub iræ, & indignationis incurſu, pœnaq; mille florenorum in prænarrato Priuilegio cõtenta, à vobis, & vnoquoq; veſtrum in caſu contrauentionis irremiſſibiliter exigenda, & Fiſci noſtri iuribus applicanda, dicimus, & mandamus expreſſe, quatenus dicto Epiſcopo, & vnicuiq; domeſticorum, officialiũ ſuorum, & aliorum in dicto Priuilegio contentorum, ad quos ſpectare contigerit, formam, & tenorem dicti Priuilegij de verbo ad verbum de cætero integraliter exequamini, & obſeruetis ad unguem, obſeruariq; & exequi per quoslibet faciatis, ſi & in quanto gratiam noſtram charam habetis, dictamq; pœnam & indignationem cupitis euitare, nulla alia à nobis, ſeu officialibus noſtris ſuper his conſultoria, vel executoria expectata, quibusuis noſtris, aut inferiorum noſtrorũ prouiſionibus ſub quauis forma verborum in contrarium factis præſentibus noſtris cõſultiſſimis literis nullatenus obſtaturis.

Requirentes nihilominus; & hortantes per has eaſdem Epiſcopum prælibatum, quatenus ſi & quoties aliqua petitio contra eum, veluti particularem, ſeu priuatam perſonam per quempiam permoueri contigerit, eo caſu Iudicem partibus non ſuſpectum eligere debeat, qui partibus ipſis iuſtitiam debeat miniſtrare; cæteris cauſis Eccleſiam ipſam maiorem Catan. tangentibus Epiſcopali Curiæ Catan. dictæ, & RECTORI ipſius maioris Eccleſiæ, ſi cauſę fuerint gabellarum eiuſdem, penitus reſeruatis, ſub pœna prædicta florenorum mille, contrarium, aut contrauentionem præmiſſorum

atten-

attentantibus, aut imminuentibus infligenda.

Has autem noſtras literas ſecreto noſtro Sigillo munitas vobis in præmiſſorum teſtimonium duximus dirigendas, quas poſt earũ opportunam inſpectionem pro cautela reſtitui volumus ſingulis vicibus præſentatas

Datum in Caſtro Karoli die 3. *menſis Decembris* 6. *Indict. anno Domini* 1442.

REX ALPHONSVS.

Illud tamen opportunè ſubijcendum reor, RECTOREM Catanenſis Eccleſiæ (de quo in exſcripto Diplomate) haud deſpicabilem habere in Vrbe iuris dicendi poteſtatem, priuatiue quo ad Capitaneum, & Senatum, etiam cum commodis pœnarum, in ijs quæ ad Eccleſiam ipſam, eiusq; bona, ſiue Mensã Epiſcopalem ſpectant. Ipſe ſiquidem tãquam Arbiter iuris inter Epiſcopum & Catanenſis ciues in cauſis ad Menſam Epiſcopalem ſpectantibus, eſt iudex competens, laicos ad forum ſuũ trahit, eoſq; etiam inuitos compellit ad ſolutionem Dohanæ, Decimarum, Cenſuum, Canonum, ceterorumq; Iurium ad ſæpedictam Epiſcopalem Menſam attinentium, etiam carceribus illos mancipando; idq; tum ex titulo in vim Priuilegij, vt vidiſti: tum ex immemorabili conſuetudine ad hunc vſq; diem iugiter ſeruata, & in cotradictorio Iudicio non ſemel ſtabilita: tum deniq; ex innumeris ſanè actibus, quos poſitiuos vocant, iurisdictionem hanc præſeferentibus.

A Singula inferiùs diſtinctis annorum epochis ex induſtria ſiſtemus, Iuris quoq; Allegationes, ad calcem operis dabimus, ne extra Scænam modo ſaltaſſe videamur.

Qualis autem quantaq; ſit Rectoris Iurisdictio, conijce, ſi iubet, ex formulis Prouiſionum, quibus alias ſæpedicti Muneris prouincia ab Epiſcopis pro tempore exiſtentibus demandari conſueuit, ijs vel maxime ab *Antonio Pharaonio Cat. antiſtite anno* 1569. editis, quas exſcribere placuit.

B Cum opus ſit pro expediendis negotijs & cauſis rerum temporalium, & temporalis iuriſdictionis noſtri Epiſcopatus eligere, conſtituere, & creare Officialem dicti Epiſcopatus, prout eſt de Iure, & antiqua cõſuetudine, & obſeruantia: confiſi plurimũ de veſtris fide, integritate, ſufficientia, & virtute, vos N. eligimus, conſtituimus, & facimus

C omni meliori modo, via, & forma, quibus de Iure potuimus, & & poſſumus, & eligimus, conſtituimus, creamus, & facimus officialem & RECTOREM noſtri Epiſcopatus, cum poteſtate procedendi, terminandi, & decidendi omnes, & quoscumque

D Proceſſus, Quæſtiones, Lites, & cauſas vertentes in curia ſiue officio Rectoris dicti Epiſcopatus, ſiue ciuiles, ſiue crimmales, vel mixtas, tam motas & incæptas, quam mouendas & incipiendas, cum omnibus, & ſingulis præeminentijs, prærogatiuis, auctoritate, poteſtate, iuriſdictione ad dictum officium ſpectantibus, &

eminentibus, & cum omnibus Priuilegijs, Immunitatib', exemptionibus, libertatibus, honoribus, & oneribus, lucris, pœnarum cõmodis, granorum, gabbellarum ſolitarum, iuribus, & emolumentis ad officium prædictum ſpectare & pertinere ſolitis &c.

Datum Catanie die 4. Iulij 12. Indict. 1569.

Ad Generale Concilium, quod per ea tempora Baſileæ cogebatur (vt è diuerticulo ad ſemitam reuertamur) cum Nicolao de Tudiſchis conciue Panormitano Archiepiſcopo Ioãnes noſter Orator ablegatur anno 1432. Regis ſui nomine in cõſeſſu illo ſuffragium daturus: ibi maximam virtutis, eruditionis, doctrinæ, ſed eloquentiæ in primis fecit oſtenſionem: de quo *Matthæus Siluagius Colloqu. trium peregrinor. fol.* 264. hæc ad rem ſcripſit.

In hac Vrbe Catanie fuerunt, & claruerunt tres fratres de cognomine & familia Piſcium. Primus fuit D. SIMON Piſcis, qui fuit V. I. D. vir doctiſſimus, & eloquentiſſimus, doctrina & fama fuerat ſuper athe tanotus, ob ſuæ doctrinæ & virtutis excellentiam fuit Prorex Sardiniæ ab ipſo Alphonſo Rege conſtitutus, & rigore iuſtitiæ filium ſuum propter facinora perpetrata interficere fecit. Secundus fuit Ordin. Minorum dictus F. ANTONIVS PISCIS Theologus inſignis. Tertius etiam Ord. Minor. Fr. IOANNES PISCIS Orator, & eloquentia præcipuus. Hi duo fuerunt in Concilio Baſileenſi ita accepti, vt animum penè omnium allicerent. Fr. Ioannes fuit Catanenſis Epiſcopus Ordinatus ab Eugenio IV. precibus Regis Alphõſi. Ita Siluagius.

Acres Epiſcopum inter & Senatum obortæ ſunt contentiones de Iurisdictione certãtes: quibus ad Alphonſum Regẽ delatis, Epiſcopo Eccleſiæque fauorabiles à Rege literæ ſunt exoratæ. En illas

ALPHONSVS &c.

Vniuerſis & ſingulis Baronibus, terrarum dominis, Juratis, cæteriſq; officialibus, & vniuerſitatibus, præſertim Ciuit. Cataniæ, ad quos, ſeu quem præſentes peruenerint, & infraſcripta pertinere quomodolibet dignoſcantur, fidelibus noſtris gratiã & bonam voluntatem.

Nuper ſiquidem pro parte Venerabilis in Chriſto patris Conſiliarij, & Oratoris noſtri deuoti IOANNIS Epiſcopi Catanenſis non ſine graui querela fuit noſtræ Maieſtati expoſitum quod vos ſiue nonnulli ex vobis veſtre, ſi qua eſt, Iuriſdictionis terminos ampliando, ne dum irreuerenter, ſed præiudicialiter, Deum præ oculis non habẽtes, Iurisdictionem, præeminentias, & bona maioris Eccleſiæ lacerare, & vſurpare, eumdẽq; Epiſcopum in poſſeſſione pacifica bonorum, reddituum, & Iurium dictæ Eccleſiæ inquietare, vt potis ſuos Officiales, & cuſtodes Nemoris ipſius Eccleſiæ moleſtando, aliaſq; nouitates indebitas faciendo, quodam reprehenſibili auſu, & auctoritate propria, cum nulla in his vobis ſpectet iuriſdictio, pro viribus non ceſſatis in iuris iniuriam, ac animarum veſtrarum nõ modicam

Læſi-

Leſionem, de qua, ſi ita eſt, non ſine turbatione cogimur admirari: eò potiſſimum, vt vnde ſecundum Ius & Diuinum & Humanum iura Eccleſiarum tueri, & augere tenemini, illa nitimini perſonaliter laceſſere.

Supplicato itaq; Nobis humiliter ſuper his debite prouidere, cum intentionis noſtræ ſit, vt tenemur, iura Eccleſiæ, & eiuſdē immunitates illibata ſeruare. Vobis, & cuilibet veſtrum dicimus, & mandamus de certa noſtra ſcientia, & expreſsè, ſub noſtræ indignationis incurſu, quatenus præfatum Epiſcopum, officiales, procuratores, & factores ſuos circa iuriſdictionem, præeminentias, ordinationes, & immunitates, ac conſeruationes bonorum, rerum, & iurium dictę Eccleſię, & Nemoris mentionati abſtineatis de cetero indebitè moleſtare, & ab alijs moleſtari permittere caueatis; neq; vos coniunctim vel diuiſim in his intromittere præſumatis, quin potius eumdem Epiſcopū per ſe, & ſuos prædictos illis vti, & potiri ſinatis, prout retro Epiſcopi prædeceſſores ſui melius & plenius vti conſueuerunt; & alias illum in ſua pacifica poſſeſſione perſiſtere, aſſiſtatis eidem, & ſuis iam dictis, quando, & quoties opus fuerit, conſilio, auxilio, & fauoribus opportunis fauere: quòd ſi præmiſſorum cōtrarium attētare præſumpſeritis quod nō credimus, nos oportebit taliter quoad alia Iuris remedia prouidere, quòd indemnitati Eccleſiæ, & tranſgreſſoris punitioni debitè ſatisfieret.

A *Datum in Vrbe felici Panormi die 6. Decembris anno à Natiuit. Domini* 1433.

Eccleſię ſuę ſtudioſiſſimus nouis illam exornauit ædificijs, cuius gentilitia ſtemmata in Templi fornicibus compaginata noſtræ ſpectatricis ætatis tempora contuentur. Ne autem Baſilicæ moles temporum iniurijs iacturam pateretur, anno 1441. eiuſdem ædificijs expræfectum decreuit uirū Patritij ordinis ex Senatorum albo deligendum (*Magiſtrum operæ* vulgus appellat) cuius muneris partes ſunt materialem Baſilicæ ſtatum proſpicere, ne magna moles ædificiorum ruinis laboret aliquando, aut ſordeſcat. Id quod antea oculatiſſimè decreuerat *F. Simon de Puteo* anno 1388. vt in illo dicebā §. 41. fol. 173.

C Multa præterea ſanciuit, quibus ad ſacrarū legum cuſtodiam ac primęuæ regularis obſeruantiæ normam ſeuerius obſeruādā adſtrinxit *Monaſteria S. Mariæ de Licodia, & S. Nicolai de Arenis*, quæ ſub id tempus Epiſcopi parebant imperio. habes ea in Epiſcopij Tabulario ad annum 1422. fol. 313.

Ioannis dexteritas, indefeſſa item Paſtoralis ſollicitudinis cura in eo sūmoperè enituit, quòd truculentis illis tēporibus, ſchiſmatum agitatione (*Baſileenſium* diſcordi pace) interturbatis, Prouinciam ſuam ſartam tectā ſeruauit.

Hęc dum ſtrenuè ageret *Ioannes*, neſcio quid de eo ſiniſtrū *Nicolao V. Rom. Pontifici* delatum (eſt

hęc ſpectata humanæ fęlicitatis inconſtantia, rerũ, temporumue viciſſitudo) eò proceſſit, vt Epiſcopatui cedere compelleretur anno 1445. præuio ad id *Apoſtolicæ Sedis* Reſcripto, quod in *Priuilegio Rectoriæ ſeu Quartæ portionis Capellaniæ Matricis Eccleſiæ Caſtri Ioannis in perſona Ioannis de Perno* collate ſub die 25. Iunii 1449. legere eſt. Fundos itẽ plurimos ab *Ioanne* alienatos Eccleſiæ reſtituendos præcepit Pontifex, irritas definiens & inanes quaſcunq; ab eo factas alienationes, dato Diplomate *Romæ pridie Idus Decembris* 1448. Adeunda ideò Epiſcopj tabularia ad ãnum 1449. fol. 130. Senatus item Aduerſaria in *libro Priuilegiorum fol.* 277. Fontem, è quo hæc hauſimus, indigitaſſe ſit ſatis. Animi tandem mœrore confectus breui inter ſuos migrauit è vita.

Fit ex his, a vero longiùs abiiſſe *Philippum Cagliola Explor. 6. Manifeſt.* 6. hæc de noſtro Ioanne acceſſito ſermone ſcribentem fol. 177. *Ioannes tandem ſenio confectus, conciuibus ſuis tanquam orphanis pupillis relictis, ſummo deſiderio concepto, diem claudit extremum anno 1444. & in principe Vrbis Æde tumulatur*. Hæc inquam minime inter ſe cohęreſcentia, imò Pontificijs Diplomatibus, publicis Epiſcopij Tabulis, perſpectis Senatus Aduerſarijs, è quibus ſingula, quæ ſcribimus, fideliter excepimus, è directo aduerſantia nemo non viderit.



§. XLVIII.

IOANNES DE PRIMIS.

Anno ſalutis noſtræ 1445.

DEturbato, vt dicebam, è Pontificij honoris ſpecula Ioanne de Piſcibus, ſublegitur *IOANNES DE PRIMIS* etiam Catanenſis; vir vt doctrinę ſic dexteritatis fama celeberrimus. Hic honeſtis parẽtibus *Catanæ* natus, propriæ virtutis merito nobilior euaſit, ac maiora de ſeipſo in dies exhibuit futuræ virtutis indicia.

Adoleſcens iã regularibus *Diui Benedicti* inſtitutis ſe ſe mancipauit, in celebri *Diuæ Iuſtinæ de Padua* Cęnobio monachum profeſſus ann. 1422. ipſo *S. Ioannis Baptiſtæ* natali die. Emendãdus ideo *Pirrus hic ad annum* 1444. *fol.* 55. Ioannem in patrio D. Nicolai de Arenis Cęnobio monaſticã profeſſam aſſeritans.

In Religione, quoad ibi vixit, ita excelluit, vt præcellentis ingenij fama, eximio docendi vſu, *Romæ*, ac *Patauij* diù exercitata vitæ puritate præiuerit, ceteris item in exemplũ præfuerit: hinc per omnes Religionis ſuę gradus aicen-

aſcendens, primùm S. *Iuſtinæ de Padua* Monaſterij Prior, deinde Cœnobij S. *Pauli* de vrbe Abbas præficitur anno 1444.

Primus ex Siculis patribus ordinis ſui *Præſidens* communibus Monachorum ſuffragijs electus eſt: tum laudato Benedictinorum cœtu expoſtulante, eadem muneris præfectura eidem Benedictinæ Religioni ſumma cum laude ſecundo præfuit.

Magnæ apud *Eugenium IV.* R. P. ſemper fuit opinionis, acerrimi ingenij vir, & ad ardua quæque audenda dexterrimus. In difficillimis illis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus quando *Baſileenſium* diſſenſionũ turbinibus Eccleſię cymbula agitari videbatur, in *Siciliam* ſumma cum Iuris dicendi poteſtate p o Apoſtolica Sede legatus amandatur; ac Cathedralium Eccleſiarum, cæterarumq; omnium, Archiepiſcoporum item, Epiſcoporum, ac reliquarũ Eccleſiaſticarum perſonarum generalis Reformator deſtinatur. Quod munus dum prudens exequitur omnium, ſed Pontificis vel maxime ſibi conciliauit affectum.

Apud *Alphonſum* Siciliæ Regẽ ea præſtitit auctoritate, vt ardua quæque Regni negotia ipſius opera, ac conſilijs quàm ſæpiſſimè perficerentur. Ad Apoſtolicam Sedem eo itidem tempore, quo Chriſtiana Religio, ob Patrum diſſidia in *Baſileenſi Concilio*, haud vulgari verſabatur diſcrimine, Regis Orator deſtinatur, quo in munere eloquentia præſtitit, & ingenio.

A

Vniuerſa hæc & ſingula, ſiue munia, ſiue munera (præclara de *Ioanne* virtutis monumenta) recẽſet laudatus *Alphonſus* in Diplomate, quo Catan. Vrbi, Ioanne in primis efflagitante, Gymnaſiorum indulſit reſtaurationẽ, ſcripto *Neapoli 28. Maÿ 7. Indict.* 1444. Integrum illud exſcripſerã *Catan. Decach. Chorda 4. Mod. 2. fol.* 202. verba dũtaxat hìc replicabo rem, quã vrgemus, euincẽtia.

B

Venerabilis Fr. IOANNES DE PRIMO noſtræ FIDELISSIMÆ Ciuitatis CATANIÆ Oriundus, Abbas Monaſterÿ S. Pauli de Vrbe Ordinis S. Benedicti, Legatus, & Commiſſarius Sanctiſſimi domini noſtri Papæ Eugenÿ IV. ac Viſitator, & Reformator Eccleſiarum Cathedralium, & aliarum omnium, necnon Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, omniumq; aliarum Eccleſiaſticarum perſonarum, vt per alias ſuas Bullas Legationis, & Commiſſionis ipſarum, cum prouiſionibus noſtris executorÿs continetur, Serenitati noſtræ exhibuit &c. Et infra.

C

Nos verò cupientes eidem ſummo Pontifici parere, & voluntati ſuæ nos reddere conformes: habentes gratum animum, vt in Domino ſperamus, nedum largiùs, ſed largiſſimè eidem Abbati, & ſuis, cum decuerit, oſtendere per effectum ad opera grandia, fructuoſa, & ſatis vtilia, quæ pro exaltatione Coronæ noſtræ, noſtræque Regiæ domus apud Sanctiſſimum dominum noſtrum, ſeruenti ZELO, SAPIENTER, & PRVDENTISSIME pro nobis, & ſtatu noſtro idem Abbas operatus eſt, & pro nobis continuò nõ deſinit labo rare &c. Hęc Alphonſus oculatiſ-

D

ſimus

simus testis, omniq; maior exceptione de Ioanne testatur.

Patriæ amantissimus publicũ scientiarum Athenæum iam diù ante Hippocratis etatẽ Catanę institutũ (fides sit *Hieronymo Mercuriali* in libello, quem de *Ratione victus* inscripsit, *lib.* 1. *cap.* 3. hęc inquienti. *Hippocratis etate tria tantum famæ celebritate præclara recensebantur Lycæa, alterum Rhodi, alterum in vrbe Cariæ Cnydo, TERTIVM IN SICILIA CATANÆ*) pientissima dein *M. Marcelli* solertia restitutũ, diuturnis postmodum bellorum turbinibus Regni, Regumq; vicissitudinibus interturbatum, iteratò restaurandum, ac veluti per fimbrias apprehensum pristino decori statuiq; restituendum curauit, exoratis, vt dicebam, ab *Eugenio IV. Pont.* & ab *Alphonso Rege* Diplomatibus, quę ex integro dabam ego ipse *Catan. Decachord. Chord.* 4. *Modulo* 2. ea hic iterum repetere hominis esset miserrime diligentis. Scriptam dumtaxat ab *Ioanne* ad Catanensem Senatum de Lycei restitutione Epistolam placuit innectere.

Spes mihi erat, Prestantissimi Patres, ipse ad vos coram contẽdere, munus cuiusdam recognitionis beneficiorum hactenus in me à vobis collatorum prę se ferens, delaturus: sed cum, causa publici negotij id efficiente, iter meum in prę sentiarum sit interceptum; ne gratia ipsa vacua, aut otiosa torperet, per magnificum virum dominum Petrum de Speciali, qui vnà cum Reuer. P. F. Petro de Hieremia Vicario ordinis Prędicatorum in Regno Trinacrię mihi patre, & domino singulariss imo, humanitatibus vestris prę sentarent, dimittere statui, Priuilegium videlicèt celebre & insigne STVDII GENERALIS, in communi ipsa FAMOSISSIMA, ET STVDIORVM MATRE CIVITATE CATANIÆ instituendi; quod primò quidem Sanctissimus in Christo Pater & dominus Eugenius Papa IV. pro ea, quam gerit ad Vniuersitatem nostram, affectione, vltrò concessit: nec non Sereniss imus, & Clementiss imus Princeps dominus noster Rex Alphonsus sua mera liberalitate secundò largitus est. Ipsum itaque, ea qua decet reuerentia, susc ipite, & tam solemne Iocale, quod Patriam nostram spiritualiter, & temporaliter potest extollere, grandifacite, ac pro me peccatore orare placeat. Cęterũ aliqua commiss i prę fato Magnifico viro vobis referenda, cui dignemini fidẽ prę stare. Spectab. vestris me continuè commissum facio.

Ex Neapoli 19. *Septemb. ann.* 1444.

Filius, seruitor, & conciuis vester IOANNES *Abbas S. Pauli de Vrbe.*

Haud multò post à laudato *Eugenio* (Alphonso in primis vrgente) Patrię prę ficitur *Episcopus*, anno 1445. quo in munere ita vixit vt iustitię ac bonorum operum seipsum exhibuerit sectatorem. Populum sibi commissum optimis imbuendum moribus contẽdens, vtpote qui non sui ipsius modò, sed vniuersi gregis sibi cõcrediti

crediti rationes, nouerat se Domino redditurum.

Virtutis itaq; merito à prætacto *Eugenio* in sexta, eaq; postrema Cardinalium creatione 17. Kal. Ianuarij 1446. Purpura donatus est, ac *Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Sabinæ* designatus.

Cauendum ideò ab *Alphonso Ciaconio*, qui in Epitom. Roman. Pontificum in sæpius laudato *Eugenio fol.* 900. nostrum *Ioannem*, quem Catanæ natũ superius dicebam, *Messinensem*, solus ac solitarius edixit. Eum recte carpit *Pirrus hic fol.* 56.

Postquam Generale Studium ab *Alphonso* in Patria instituendũ exorauit *Ioannes*, Tractas 5555. annuas ex vrbis Oneratorio siue Portu extrahendas pro legentiũ stipendijs excepit. Ex harum tractarum cõcessione *Catanensis Ecclesiæ* iura, in ijs præsertim, quæ Dohanam spectabant, non parùm oblædebantur; literas ideò ab *Alphonso* impetrauit, quibus Ecclesiæ suę iura illibata ac ĩtacta recta seruarentur. En illas.

ALPHONSVS Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ citra & vltra Farum &c.

Magnifico in dicto Regno Siciliæ vltra Farum Viceregi, alijsque Officialibus dicti Regni, ad quos spectabit, & præsertim Capitaneo, Patritio, Iudicibus, & Iuratis Ciuitatis Cathaniæ, Consiliario, & fidelibus nostris salutem, & dilectionem. Ex querimonia coram nostræ Maiestatis conspectu proposita pro parte Venerabilis in Christo Patris Cõsiliarij, & Oratoris nostri deuoti IOANNIS Episcopi Catan. nuper accepimus, quòd ratione quia ipsius Ciuitatis studio generali pro eius subuentione concessimus certas annuas Tractas à Portu & Carricatorio eiusdem Ciuitatis extrahendas, ab omni solutionis onere liberas, & exempras, certa sub forma in nostro Priuilegio inde facto clariùs exarata; Vos ad certum Ius Dohanæ, quod ipsa Maior Ecclesia sẽper habuit, atq; habet, & consequitur super Victualibus, quæ ab eodem Carricatorio extrahũtur, trahere studetis; de quo, si ita est, satis cogimur admirari.

Nolentes igitur iura ipsius Ecclesiæ, propter concessionem nostram, in aliquo diminutionem accipere, sed augeri potius, & seruari, quibus de intentione nostra non fuit, nec est, per verba dicti Priuilegij, aut ipsam gratiam aliquatenus derogare: vobis & vestrum cuilibet dicimus, & mandamus expresse, de certa nostra scientia, quatenus eidem Ecclesiæ de suis consuetis Iuribus respondeatis, seu responderi per quos decet faciatis, prædicta nostra Gratia, & concessione, quæ ad bona, & iura Ecclesiæ non extenditur, nullatenus obsistente.

Datum in Cassili Auenionis die 9. *Iunij* 9. *Indict.* 1446.

Noster tandem *Ioannes* cum diù sibi vixisset, Ecclesiæ tamen suæ, Patriæ, Ciuibus, bonis tandem omnibus immaturus obijt *Neapoli*, quinquagenario maior 12. Kal. februarij ann. 1449. ab assumpto sacræ Religionis habitu septimo ac vigesimo, a sacris

Iu-

Insulis 4 ab inducta tandem sacra Purpura tertio; & in Templo S. *Seuerini* ord. D. Benedicti tumulatur, auctore *Arnaldo Vuion de Lagno Vitæ tom. 1. lib. 2. cap. 2.*

Post cuius obitum, scribit *Pirrus hic fol 56.* Canonicorum Regularium Capitulum Catanense de more elegit Episcopum *Iaymum de Paternione* Ciuem & Monachũ Benedictinum, tunc Abbatẽ S. Philippi Argyrionis, vti scribit *Siluagius de Tribus Peregrinis fol. 165. quam electionem Eugenius Papa, & Alphonsus Rex respuêre*, ita Pirrus, qui rectiùs dixisset *Nicolaus Papa*. Biennio siquidem ferè exacto *Eugenius* diem clauserat extremũ 23. Februarij 1447. ei in Pontificatu substituto Romæ 6. Martij *Thoma Lucano*, Card. S. Seuerinæ, qui *Nicolaus V.* dici voluit, vt passim notant Ecclesiasticarum rerum Scriptores.

§. XLIX.

ARIAS DE AVALOS.

Anno verbi 1449.

POst Ioannis decessum exprę-ficitur eodem anno 1449.

ARIAS DE AVALOS Neapolitanus generis nobilitate cõspicuus. Est siquidem *Avalos* familia inter Neapolitanas illustrissima, filesque Scriptoribus quotquot Illustres Vrbis illius Familias accersiuis libellis illustriores reddidere; nostrum non est familiarum texere Genealogias.

Arias igitur ipso Episcopatus initio Archidiaconatus dignitatẽ obtu *Blasij de Medico* Rectore destitutam contulit *Andreæ Munsono* viro Patritio, & in eadem Cathedrali Canonico scriptis literis 23. Iunij 1450. Vicarium habuit Honufrũ de Flore meę Collcg. Ecclesię Canonicum ea prouincia dignum, quam muneris amplitudo exigebat. Sub eiusdẽ mensis anniq. spatium literas à Proręge exorauit, quibus Ecclesię suę indemnitati voluit esse prospectum.

ALPHONSVS

Dei gratia Rex Aragonum, & Siciliæ &c.

Vicerex in dicto Regno Siciliæ Nobilibus Capitaneo, Patritio, Iudicibus, Iuratis, aliisque Officialibus Clarissimæ Ciuit. Catanæ &c.

Conquestũ fuit nobis grauiter pro parte Reuer. in Christo patris Episcopi Catanensis, quòd aliqui Dei timorem, ac Regiæ Maiestatis præ oculis non habẽtes, nondum iurisdictionem eiusdem Episcopi impedire, & perturbare conantur, sed grauius peiusque Bona Ecclesiastica sui Episcopatus occupare, & possessiones sic occupatas detinere cõnantur, in eiusdem Ecclesiæ maximum præiudicium, & iurisdictio

ctionis ipſius Epiſcopi derogationem euidentem: De quo ſi vera eſt aſſertio conquerentis, nil mium admirari compellimur. Propterea noſtra ſuper his Prouiſione ſupplicitèr poſtulata, quia nemini licet falcem ſuam in alienam meſſem extendere, neq; alterius bona, & ſignanter Eccleſiæ, occupare, & occupata detinere, Prouidimus, & ita vobis dicimus, & mandamus expreſſè, quatenus de eadem Iuriſdictione vos intromittere, eamq; perturbare & impedire minimè debeatis: quinimò ſingula verò ad ipſum Reuerend. Epiſcopum, eiuſq; officiales effectualiter reſtituatis. Et nihilominus ſi quis eadem bona Eccleſiaſtica occupata detinere præſumpſerit, illũ ad illorum reſtitutionem & effectiuã executionem compellatis, procedendo circa hæc taliter, quòd eius Eccleſia beneficium integræ reſtitutionis ſuorum bonorum occuparorum, noſtræ executionis remedio ſubſequente, cognoſcat. Cauti de contrario, colore aliquo, ſiue ingenio, pro quanto gratiam Regiam caram habetis, eiuſq; iram & indignationem cupitis non ſubire.

Datum in Terra Caſtelli Veterani 25. Iunij XII. Indict. 1449.

LOP XIMEN DVRREA.

Per hæc tempora Quarta de legatis ad opera pia per defunctos dimiſſis per Catanenſes Epiſcopos exigebatur, procuratorem ideò conſtituit *Ioannem de Simone* 20. *Octobris* 1449.

Priuilegia omnia, quibus Catanenſis Eccleſiæ adminiſtri, Epiſcopi item familiares, ſubditi &c. à Regis iuriſdictione per Reges ipſos fuerant exemptati, ipſi dũtaxat Epiſcopo ſubiecti, abdicata à Regijs adminiſtris in illos animaduertendi poteſtate, ab *Alphonſo* Rege iterum confirmanda exorauit, emanato huiuſcemodi confirmationis Diplomate.

ALPHONSVS
Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ citra & vltra Farum &c.

Sicut nobis aſſertum eſt, Epiſcopos Catanienſes ab olim ſemper, vel interdũ in temporalibus exercere iuriſdictionem tam ciuiliter, quàm criminaliter ſuper ipſius Officiales, & commẽſales ſuos, ita quòd de eis, neq; ratione delicti, vel contractus, aut alio quouis modo aliquis noſter, Epiſcopalis Curię cognoſcere cõſueuit nec etiã patet miniſtros, & eius Officiales compellere ad cõportum de per eos adminiſtratis reddẽdũ, eoſq; deſtituere, & alios de nouo vocare. In præſentiarũ verò quia Venerabilis in Chriſto pater, & dilectus Conſiliarius noſter Arias Epiſcopus dictę Eccleſiæ Catanẽſis dubitauit ab aliquo veſtrum in prædictis ſibi obſtaculum inferri, pro eiuſdem parte Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicatum extitit, vt ſuper præmiſſis de aliquo Iuris remedio prouidere dignaremur. Nos eiuſdem ſupplicatione veluti iuſta & conſona rationi benignè admiſſa, vobis, & vnicuiq; veſtrum de noſtri certa ſcientia, deliberatè, atq; conſultè dicimus, præcipimus, & mandamus expreſsè,

ſubiræ, & indignationis noſtræ incurſu, pœnaq; mille ducatorũ auri noſtris ærarijs inferẽdorum, quatenus, ſi ita eſt quod Epiſcopi preteriti fuerint in poſſeſſione prædictorum, Epiſcopo præfato, qui nobis admodũ CHARVS, ACCEPTVSQVE eſt, ſuper iuriſdictione præmiſſa exercenda in perſona dictorum ſuorum officialium, commenſaliumue, tã ciuiliter, quàm criminaliter, atq; in dictis computis petendis, ac ſuper Officialibus prædictis, ac eorum officijs reuocandis, amouendiſq;, & alijs de nouo inſtituendis, & præſertim nobili Nicolao de Paternione, nullum obſtaculum aut contradictionem aliquam inferatis, nec inferri faciatis, & maximè eadem iuriſdictione Epiſcopũ prænominatum vti ſinatis, & permittatis, quẽadmodum alij Epiſcopi ſui prædeceſſores in dicto Epiſcopatu validiùs pleniuſq; vſi fuere temporibus retroactis, & caueatis attentè de ſecus agẽdo, pro quãto gratia noſtra vobis chara eſt, iramq; & indignationem, & pœnam ſuperius expreſſam cupitis euitare, quia ſic omnino fieri volumus, compleri, & exequi.

Datum in Turri Octauæ, dicta vulgariter dello Greco, 25. die menſis Auguſti xij. Indict. Anno à Natiuitate Domini 1449.

Sub idem tempus Dioeceſim luſtrans plura dimiſit Paſtoralis ſollicitudinis monumenta, quæ in Epiſcopij tabularijs habes digeſta in libro, qui incipit *Ab anno* 1449. *vſque ad annum* 1455.

A Cum *Berengario Coriglies*, ſi ue *Gruillis* Franciſcotis Baro de *Calatabiani* oppidum, quod Catanenſis Eccleſiæ iuris erat, ſui fore eo tendente, graues ſubijt cõtentiones, tes tandem per definitiuam ſententiam Epiſcopo adiudicata eſt per *Alphonſum*, emanatis ideò literis *Neapoli* 29. *Februarij* 1449. in noſtro tabulario ad hunc annũ exſcriptis fol. 141. Inter cætera illud præcipitur, *quatenus nolit, nec deceat aliquid moliri, vel attentare quid ſit præiudiciale Iuribus Catan. Eccleſiæ ſuper Terra Calatabiani, quin bona Eccleſiæ ſemper tuta & illeſa conſeruet.*

B Hæc dum vigili ſtudio impiger exequitur, in Arce Caſtri Vrſini ſupremum obijt diem 22. Auguſti 1450. & in principe Vrbis Æde tumulatur.

C Ex his precaria, ſponteq; conficta redarguuntur, quæ de Antiſtite noſtro virulento ſanè calamo ſcripſit *Rocchus Pirrus hic fol.* 56. hæc inquiens. *Sed altioris Eccleſiaſtici gradus; ac paſtoralis ſollicitudinis immemor, laxioris vitæ blandimenta ſecutus multis obſtrictus eſt criminibus, & apud Alphonſum accuſatur: ſed cum Rex vera eſſe, quæ obijciebantur, comperiſſet, rem ad Nicolaum V. Pontificem nũ*

D *detulit modò, ſed adeò vrgenter inſtitit, vt fuerit dignitate Epiſcopali priuatus. Romæ deinde miſerè ſuũ obijſſe diem Ariam ex literis datis Panormi* 12. *Maij* 14. *Indict.* 1450. *conſtat.* Hæc Pirrus.

At non ita eſt. fidem adhibeas velim laudatis Epiſcopij noſtri tabulis. Quæ ſi factuæ ſatis

non

non ſint, dabo multò maiora, Excommunicationis ſcil. ſententiam, quam *Guillelmus Bellomus* Ariæ in Epiſcopatu ſucceſſor anno 1452. promulgauit. En illam.

Nos Guillelmus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Catanenſis venerabilibus viris Capellanis noſtræ Maioris Catan. Eccleſiæ ſalutẽ, & Dei timorem. Pro parte venerabilis Fr. Antonij de Maſſaro monachi dictæ maioris Catan. Eccleſiæ fuit nobis querelanter expoſitum, quòd cum olim inter eum, & venerab. Fr. Matthæum Iuuini, tempore, quo in Epiſcopatu Catan. præſidebat Reuerendiſſimus Dominus Arias prædeceſſor noſter, coram dicto prædeceſſore noſtro eſſet controuerſia, & petitio Officij Cantoriæ dictæ Eccleſiæ, & eſſet confectus Proceſſus, cõcluſus, clauſus, & ſigillatus, & in poſſe dicti prædeceſſoris, noſtri tranſmittẽdus ad effectum expeditionis, dicto Epiſcopo prædeceſſore noſtro infirmitate detẽpto, QVA DECESSIT, proceſſus ipſe per aliquos dies breues ante obitũ dicti prædeceſſoris noſtri Proceſſus ipſe fuit repertus in quadã caxea ipſius Epiſcopi in CAMERA, in qua ipſe Epiſcopus erat in CASTRO VRSINO, demum Proceſſus ipſe fuit raptus, & ab inde tranſportatus, nec ſcitur quò Proceſſus ipſe fuerit tranſlatus. Supplicatum propterea &c. Dat. Catanæ in noſtro Epiſcopali Palatio die &c. Martij primæ Indict. 1452.

Ad hæc: biduò poſt illius deceſſum in Epiſcopali interregno Generalis Vicarius à monachorũ capitulo electus eſt *Ioãnes Scarfillitus* Cathedralis Eccleſiæ Prior his præmiſſis characteribus. *Die* A *24. Auguſti 13. Indict. 1450. Electio Vicarij facta ſede Epiſcopali vacãte per MORTEM Reu. in Chriſto Patris & Dom. Arias miſeratione Diuina Epiſcopi Catanenſis.*

Fieri igitur minime potuit vt Epiſcopalibus Inſulis orbatus miſerè Romæ diem obierit *Arias*, qui feliciter conſũmato virtutis agone vitæ curſum expleuit Catanæ in *Caſtro Vrſino*, & in ſua, cui præfuerat, Eccleſia Pontificio more B tumulatus.

Hæc tamen non ad alienæ laudis inuidiam, *Pirri ſcilicet*, dicta velim intelligas, ſed vt veritatẽ candide daremus, qui vera dicit neminem laceſſit, niſi eum, cui veritas dolet.

Ariæ deceſſu Epiſcopali Sede vacante, in Generalem Vicarium electus eſt *Fr. Ioannes Scarfillitus Cathedralis Eccleſiæ Prior*. Hic Nicolaum de Paternione in Eccle- C ſiæ & Epiſcopatus Rectorem ad eius vitæ decurſũ à Ioanne Arię prædeceſſore alias nominatũ et ipſe nominauit 25. *Auguſti* 1450. Nominationẽ hanc ratam habuit *Nicolaus V.* quem à munere illo cum de facto deturbaſſet *Alphonſus Siciliæ Rex*: re mature diſcuſſa redintegratum voluit, ſcriptis literis 30. *Octobris* 15. *Indict.* 1451. D executis in Regno 17. *Decembris* 1451. quas placuit exſcribere.

ALPHONSVS &c.

Dum olim per vos facta fuiſſet commiſſio Egregio Militi Antonio de Caſtello Secreto, & Magiſtro procuratori noſtro Ciuitatis Catanæ, quòd ipſe ſolus, & nemo alius nomine Curię noſtrę regeret, gubernaret, & adminiſtraret

niſtraret quoad temporalia tantum omnes Facultates, Redditus, Prouentus, Boſcalia, ſeu Glandagia, Carnagia, Cenſualia, Territoria, & Iuriſdictionē omnem temporalem Maioris Eccleſiæ & Epiſcopatus dictæ Ciuit. Catanæ, donec per Nos foret prouiſum, ac nomine dictæ noſtrę Curiæ vēderet ac gabellaret dictas gabellas, Introitus, & Prouentus, Exitus, & iura ad Iuriſdictionem temporalem Eccleſiæ prædictæ ſeu dicti Epiſcopatus ſpectantes & pertinentes, & hoc vt Nos facilius & melius ex ipſis redditibus & prouentibus aſſequi poſſemus eas pecuniarū quantitates, quas à dicto eramus, & ſumus adhuc recepturi, prout hæc & alia &c. Ex quibus ſe grauatum ſentiens idem NICOLAVS &c.

Nos autem de huiusmodi literis tam a vobis, quā a nobis prefato Viceregi ſuper his emanatis, nec non de his aliſque pro parte ipſius NICOLAI allegatis in Curia noſtra originaliter præſentatis, relatione habita &c. Nolentes Nicolao prædicto nouitatem fieri in exercitio & adminiſtratione RECTORIÆ prędictæ, & omnium ac ſingulorū ad eum quouis modo ſpectantium, & pertinentium, volumus, & vobis tenore præſentium decerta noſtra ſcientia, & cum noſtri Conſilij deliberatione matura, committimus, & mandamus, quatenus præmiſſis noſtris atq; veſtris literis non obſtātibus quouis modo, eumdem NICOLAVM ad plenum exercitium, curā, & adminiſtrationem ac regimen dictæ RECTORIÆ præfatæ maioris Eccleſiæ & Epiſcopatus Catanenſis inducatis, reſtituatis, reponatis, & reintegretis iuxta formam, ſeriem, & tenorem dictarum Epiſcopalium literarū, & Apoſtolicæ confirmationis ex inde ſequutæ, ac ſi, & prout melius, & plenius fuerat in huiuſmodi adminiſtratione, & exercitio, antequam in his nouitas ex ueſtris, atq; noſtris literis & ordinationibus ſibi facta fuiſſet, prout cum præſētibus ipſum Nicolaum ad præmiſſa reſtituimus, repoimus, & reintegramus, cum omnibus, & ſingulis ad dictam Rectoriam, & eius adminiſtrationem, & curam de iure, vſu, & conſuetudine, & aliter quouis modo ſpectantibus, & pertinentibus &c.

Datum in Turri Octaua die 30. *Octobris* 15. *Indict.* 1451.

§. L.

GVILLELMVS BELLOMVS.

Anno redemptionis 1450.

SExto poſt Ariæ obitum menſe nondum exacto, *GVILLELMVS BELLOMVS* Pa-

tria

tria Syracuſanus genere nobilis, legaiis tandem ſcientiæ doctrina præcipuus, *Catanenſi Eccleſiæ* datur Epiſcopus anno 1450. menſe Februario die eiuſdem 19. Ex Diplomate *Nicolai Papæ V.* ſexto nonas octobris Pontif. anno 4. & literis *Regis Alphonſi* ſcriptis *Neapoli* 22. *Septembris* 14 *Indict.* 1450.

Nec mullites amice lector, ſi menſe Auguſti *Ariam* prædeceſſorem Antiſtitem ſupremum obiiſſe diem anno 1450: dixerim ſupra: *Guillelmum* modò menſe Februario die eiuſdem 19. inauguratum Epiſcopum ſubiunxerim; quaſi hæc notabilis ſit temporum interuerſio. Peregrinum namque id apud cordatos viros audire non debet, quando per ea temporum ſpatia non menſis *Ianuarius* (vt noſtra hac ætate) ſed *Martius*, eiuſdemq; dies 25. anno initium dabat, id quod piuribus euincebam *Catan. Decachord. tom.* 2. *Chord.* 7. §. 9. *fol.* 112. Mentis itaq; Februarius, qui modò ſecundus eſt in menſibus Anni, ſuperioribus ſeculis vndecimus erat, atq; penultimus.

Fuit *Guillelmus* acris, ac ſolertis ingenij vir, adoleſcens iuri operam dedit; tum patriæ *syracuſanæ Eccleſiæ* Canonicus, dein Theſaurarius. Et tandem ſub *Rogerio Bellomo* Syracuſan. Epiſcopo eius auunculo, Generalis præfedit Vicarius.

Præſul expræfectus ea omnia pro munere exequi ſtuduit, quæ vigilem decebant Paſtorem. Vicarios habuit *Nicolaum de Luna* Priorem S. Mariæ de Platia, & *Berardum*, ſiue *Bernardum Tornainbeni* meæ Collegiatæ Catanenſis Eccleſiæ Theſaurarium. Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis tutator, Priuilegia omnia à prædeceſſoribus Epiſcopis ab *Alphonſo Rege* aliàs exorata denuò ab eodē confirmanda curauit, emanato nouæ probationis Diplomate.

ALPHONSVS

Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ citra & vltra Farum &c.

Magnifico Viceregi noſtro, Magiſtro Iuſtitiario, eiuſq, locũtenenti, & Iudicibus magnæ Regiæ Curiæ, Aduocato, & Procuratori fiſcali, nec non Magiſtris Rationalibus, Magiſtro Portulano, Magiſtro Secreto, Theſaurario, & Conſeruatori noſtri Patrimonij, ſeu id officium regenti, & cæteris demum officialibus præfati Regni Siciliæ vltra Farum, & ſignanter Capitaneo, Patritio, Iudicibus, Iuratis, Vniuerſitati, Secreto, & magiſtro Procuratori, & alijs Officialibus PRÆCLARISSIMÆ CIVITATIS CATANÆ, & alijs demum, ad quos ſpectat, præſentibus, & futuris gratiam, & bonam voluntatem.

Recordamur hactenus varijs temporibus, videlicet a tempore, quo Sceptrum Regnorum noſtrorum ſuſcepimus, vſq, ad preſens conceſſiſſe in fauorem Maioris Catanenſis Eccleſiæ & Epiſcoporum eius varias & diuerſas Literas, Priuilegia, & Prouiſiones, tam gratioſas, quàm fauorabiles, atq; iuſtas, ſub varijs formis in ijſdem Literis, Priuilegijs, & Prouiſionibus, ad quas nos referimus, contentis, & declaratis.

Et

Et quoniam ob deuotionem maximam, quam gerimus erga ſacrum corpus B. AGATHÆ Virginis, & Martyris, ſub cuius vocabulo dicta maior Eccleſia fundata eſt, & conſtructa olim, atq; dotata per bonæ memoriæ Reges,& Principes dicti Regni prędeceſſores noſtros, eumdem animum in preſentiarum habemus, & habere Deo ſuffragãte in poſterũ continuè inſtituimus, quẽ hactenus habuimus.

Idcirco volentes, & cupientes vt quicquid per Nos, ſiue gratioſum, ſiue fauorabile, ſiue iuſtum dictæ Eccleſiæ, eiuſq; Epiſcopis conceſſum eſt, id tanquam pia eleemoſyna renouetur, ac tenaciter cunctis tẽporibus obſeruetur. Ea propter omnibus & ſingulis de certa noſtra ſcientia, & expreſsè,præcipiendo mãdamus ſub pœna vnciarum decemmillium, & priuationis officiorum, quatenus omnes & ſingulas Prouiſiones, Priuilegia,& literas per Nos hactenus quandocumq, ſub quacumq; verborum forma dictæ Eccleſiæ, & eius Epiſcopis conceſſas, ſiue gratioſæ ſint, ſiue fauorabiles, ſiue iuſtæ, quas quidẽ in præſentibus de certa ſcientia haberi volumus pro ſufficiẽter de verbo ad verbũ expreſſis, atq; inſertis; etiam ſi de illis oporteret hic fieri mẽtionem magis ſpecialem, quaſq; harum ſerie de dicta certa ſcientia,& plenius confirmamus, ſi, & quatenus eis hactenus melius viſum fuit, de nouo concedimus præfatæ Eccleſiæ, eiuſq; præſenti Epiſcopo GVILLELMO, & cunctis alijs Epiſcopis ſucceſſoribus ſuis purè, ſimpliciter, & bona Regia fide, ſine vlla ſiniſtra interpetratione, & intellectu; ſed ſemper in fauorem, & in auantagium Eccleſiæ, & Epiſcopi, ac Epiſcoporum prędictorum inuiolabiliter, & tenaciter obſeruetis, & exequamini,ac obſeruari,& exequi faciatis per quoſcumq; iuxta ſuas continentias pleniores, omni dubio, contradictione,& conſultatione ceſſantibus; nihil ita in contrarium tentaturi aliqua ratione, vel cauſa.

Datum in Turri octauus die xi. *Decembris* 15. *Indict.* 1451.

Reſcriptum hoc ne temporum iniuria obliterandum poſteri dolerent, aut inter inueterata neſciendum, apud tabulas *Petri lo Medico* publica fide trãſcriptum eſt *Die* 26. *Nouembris* 6. *Indict.* 1457.

Auguſtinenſes Cœnobitas Quartam legatorum, ex ijs præſertim quę *Baptiſta Platamonus* vir domiſoriſq; clariſſimus Cœnobio illi per ſupremos codicillos legauerat, reſpondere reputẽtes ſacris interdixit ſecundo octobris 1450. Literas item ab *Alphonſo* exoratuit ad Prorẽgem, cæteroſq; Regios adminiſtros, *quatenus ſub pœna vnciarum mille, habeant, velint, & debeãt ſolui facere dicto Epiſcopo, & integrè ſatisfacere de iure QVARTÆ, & Canonica portionis legatorum per defunctos ad pias cauſas relictorum, & præcipuè de Legatis relictis per Bartholomæum de Ioenio Baronem terræ Caſtellionis, nec non & eius vxorem, Adam Siſmundum &c. Datum in Turri octauus* 8. *Decembris*

cembris 15. *Indict.* 1451.

Eccleſiæ ſuæ ſtudioſiſſimus à *Nicolao V.* Pontifice, vt præter Archidiaconatum, Apoſtolica auctoritate, quatuor in ea inſtituerentur Dignitates, exorauit anno 1453. Prioratibus, eorumq; prouentibus ad congruam dotē earum vnicuiq; deſignatis. Pontificium Diploma integrum dederā *Catan. Decach. tom.* 1. *Chord.* 2. *Mod.* 3. *Excurſu* 2. *fol.* 62.

Eccleſiaſticę iuriſdictionis, vt aliàs dicebā, vindex acerrimus Literas à Siculo Prorege exorauit, quibus vrbis Capitaneus obiurgatur illius familiarium cauſas agnoſcere præſumens.

ALPHONSVS

Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ &c.

Præſidens in regimine dicti Regni Siciliæ Nobili Capitaneo, eiuſq; Aſſeſſori Clariſſimæ Ciuitatis Cathaniæ Cōſiliarijs Regijs dilectis ſalutē.

Pro parte Reuer. in Chriſto patris Epiſcopi Catanenſis fuit Nobis expoſitum cum querela, quamquam ipſe ex Priuilegio, & antiquiſſima conſuetudine, & obſeruantia, ſuorum Officialium, & cōmenſalium, ac procuratorum in ciuilibus & criminalibus plenam habeat cognitionem, de quibus niſi ipſe, & eius Curia Epiſcopalis nemo cognoſcere audeat, ſub certis pœnis, prout in Priuilegijs, Literis, & Prouiſionibus eius Eccleſiæ indultis clarius dicitur contineri. Attamen vos, ſpretis eiſdem pœnis, mandatiſq, Regijs, præter formam ipſorum Priuilegiorum, Literarū, Prouiſionum, Conſuetudinum, & Obſeruantiæ, de cauſatione certi criminis propoſita per mag. Andream de Aſmundo in Sacra pagina Profeſſorē contra Nobilem Rogerium de Bellomo eius procuratorem & commenſalem, cognoſcitis, & cognoſcere vultis, procedendo ad merita cauſæ, tamquam ſi de veſtra iuriſdictione foret, in eiuſdem Epiſcopi, & eius Eccleſiæ, Dignitatis, & Iuriſdictionis maximum detrimentum, & iacturam; ſuper quibus fuit Nobis ſupplicatū ſibi de Iuris remedio ſubueniri.

Propterea volentes, vt tenemur, Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, Dignitatem, & prę-eminētiam adiuuare, prouidimus, vobiſq; dicimus, et mandamus ſub eiſdem pœnis, quatenus eidem Epiſcopo, eiuſq. Eccleſię prędictę eorum Priuilegia, Literas, & Prouiſiones Regias ad vnguem exequi & ſeruare debeatis iuxta earum continentiam pleniorem, contrariū nullatenus tentaturi.

Et ſi præter illarum formam in aliquo proceſſiſtis, illud reuocetis, & ad ſtatum priſtinum reducatis.

Volumus tamen, quòd ſi dictus Rogerius virtute Epiſcopalis iuriſdictionis ipſi Epiſcopo extiterit remiſſus, quòd teneatur dictus Epiſcopus in huiuſmodi cauſa Iudicē partibus nō ſuſpectum dare, coram quo poſſit accuſatio ventilari.

Datum Panormi 19. *Septembris* 2. *Indict.* 1454.

Simon Archiepiſcopus Panormit.

Elaſco Alagonæ Vrbis capitaneo aduerſus ſuam ipſius *Epiſcopi* fami-

familiam ac familiares manum extendere cõtendenti imperterritus obtitit: hinc muneri proſpiciens ſuo, literas ab *Alphonſo* exorauit 6. *Ianuarij* 1457. quibus, vt à ſimilibus audendis de cetero abſtineat, Epiſcopo item Priuilegia omnia intemerata cuſtodiat, ex imperio iubetur Capitaneus. Nouæ iterum ſubortæ contentiones nouum denuo expoſtularunt ab eodem *Alphonſo* Priuilegium, quo veluti per fimbrias apprehenſum priſtinæ reſtitutum eſt dignitati perhonorificum illud Diploma à *Ioanne de Podio* Guillelmi prædeceſſore exoratum, *quòd omnes familiares, ſerui, & adminiſtri Epiſcopi immunitatibus Eccleſiæ Catan. frui poſſint*, emanatis à Rege Literis, Meſſanæ 4. Septembris 1460.

Turrim Archirafi ad fines Miſcalarum cum adiacentibus terrarum tenimentis conceſſit *Guillelmo Raymundo de Montecateno* Hadrani Comiti, Regniq; magiſtro Iuſtitiario, *ſub ãnuo cenſu florenorum ſex auri, & totius Terragij, ac dimidij iuris decimæ*, ſcripto conceſſionis inſtrumento . . . decẽbris 1464. Lectori deſipere id minime debet; curioſitas, cui nihil deſpicabile, leuioribus quãdoq; delectatur, eò vel magis quòd ex viliſſimo huiuſce cenſus vectigali facile rimari quiuis poterit, quid valeant temporum, morum, rerumq; viciſſitudines, quando noſtro hoc œuo vnciæ ſexcentæ & amplius ex hoc terrarum tenimento ſingulis annis percipiuntur.

Guillelmus tandẽ ætate proue ctus ſuſceptis pie Sacramẽtis, caducas exiit Inſulas, perennibus, vt pie credere licet, à Domino induendas anno 1472. ex cuius demortui ſpolijs, ac prouentibus ſede vacante percipiendis Templum reparandum voluit Prorex, ſcriptis literis Panormi 13. Martij 6. Indict. 1478. cuius Gẽtilitia ſtemmata in tranſtris Baſilicæ tectum ſuſtinentibus anno 1468. depicta perſpeximus.

§. LI.

IVLIANVS DE RVVERE

Anno Chriſti 1472.

VT de *Guillelmi* obitu certior factus eſt *SIXTVS IV.* Romanus Pontifex, illicò Catanenſis Thiaræ honore decoratum voluit *IVLIANVM DE RVVERE*, ex Albizola Sauonenſis Diœceſis, eius ex *Raphaele* germano fratre nepotem; dato *Romæ Diplomate* 15. *Kal. Febr.* 1472.

Vica-

Vicarium dein Generalem deſignauit *Taymum*, ſiue Iacobum *de Paternione Abbatem Agyrenſem cum iuriſdictionis arbitrio, facultatibus &c. quibus alij Eccleſiarum Vicarij à Sede Apoſtolica conſtituti tam de iure, quàm de facto vti poſſunt &c. vtquequò præfatus Iulianus noſter ſecundum carnem nepos aliud duxerit ſtatuendum.*

Quia tamen ab *Ioanne* Siciliæ Rege non fuerat Pontifici oblatus, in Epiſcopum nequaquam fuit receptus. Quin *Lop Ximenes Durrea* Regis perſonam in Sicilia gerens ſcriptis Literis *Panorm. 23. Martij 6. Indict.* 1474. eidem Iayino Generali Vicario Capitulariter electo, quem ad tuenda Catan. Eccleſiæ bona Oeconomum conſtituerat, enixe præſcripſit, *quatenus omnes & ſingulos reditus, prouentus, fructus, pecunias, Iura, res, & bona ipſius Catanenſis Eccleſiæ ſeu Epiſcopatus, ſpolia, & alia, quæ poſt obitum dicti Guillelmi olim Epiſcopi acquiſita ſunt, ac penes quaſcumq; perſonas quouis modo peruenta faciat ad manus propriας peruenire, & recuperata apud ipſum conſeruet, donec per ſummum Pontificem, & dominum Regem fuerit concorditer prouiſum de dicto Epiſcopatu.*

Paria ſanè perſcripſit Canonicis, vrbis Secreto, Senatui, affectuarijs, colonis &c. Literarum exemplaria tranſcripta habes in Epiſcopij Tabulario apud *Regeſtum Anni* 1474. *fol.* 3.

Cardinalis interim, inquit Pirrus hic fol. 57. *facta à Pontifice facultate, in Ciuitate Platiæ poſſeſſione aliquorum bonorum iuris Epiſcopatus capta, ea vendidit. Sed Rex ne id ſuo patronatus iuri obeſſet, Barcinone Literas* 15. *Iulij* 1475. *tranſmiſit, præcipiens, ne Iulianum electum Epiſcopum recipiant, atq; vt Canonicorum Capitulũ venditorum bonorum recuperationem curaret; qua de re Prorex die* 5. *Octobris* 9. *Indict. eodem anno Catana perſcripſit S. T. Magiſtro Ioanni Gacto Epiſcopo Cephaludenſi.*

Nec inferior erat ex aduerſo Cardinalis in creditæ ſibi à Pontifice *Cat. Eccleſiæ* iuribus vindicandis ſollicitudo, cui ne deeſſe per abſentiam videretur, *F. Cõſtantinum* totius Diœceſis Vicariũ à Pontifice conſtituendum curauit anno 1473.

Iulianus iſte electus Catanenſis Epiſcopus per omnes Eccleſiaſticos gradus ad ſummum Pontificatum euectus eſt anno 1503. ac *IVLIVS II.* nũcupatus: ob præclara ſiquidem, quæ in eo nitebant animi decora, *Carpentoractenſis* primum Epiſcopus renunciatur: tum *Auenionenſi*, dein *Metenſi* Eccleſiæ præficitur Antiſtes, ad hęc, *S. R. E. presbyter Cardinalis tit. S. Petri ad vincula* renunciatus, primum Epiſcopus *Albanus*, mox *Sabinus*, & tandẽ *Oſtienſis* preſedit, tribus legationibus *Auenionenſi*, *Picena*, *Bononienſi* vno tempore decoratur, Maior Pœnitentiarius, & tandem *Pij III.* obitu Romanus Pontifex omnium, qui Conclaue ingreſſi fuerant, Cardinaliũ ſuffragijs electus, Eccleſiæ Dei gubernaculis ſummus Rector, atq; Nauclerius præſedit, *Iulius II.* vt dicebam, vocitatus.

§. LII.

FRANCISCVS CAMPVLVS.

Anno Virginei partus 1474.

HÆc dum Romanum Pontificem inter ac Siculũ Regem pro *Iudiam Ruuerei* electione contentioſiùs agerentur, à *Ioanne*, qui *Alphonſi* fratri natu maiori abſq; prole defuncto, & *Ferdinandi* parentis, & ipſius *Alphonſi* teſtamento ab anno 1458. in Siciliæ Regno ſucceſſerat, Epiſcopus deſignatur *FRANCISCVS CAMPVLVS* V. I. D. patria Syracuſanus, genere patritius, cuius parentes ex induſtria deſcribit *Roccus Pirrus hìc fol. 57.* & qui ſub *Antonio Iacobo Venerio* Syracuſiorum Epiſcopo generalem egerat Vicarium anno 1460. ob *Guillelmi Bellomi* conciuis obitum in Catan. Cathedra collocatur Antiſtes anno 1474. menſe Iunio, die eiuſdem nono: Tum ſcriptis à Protege literis 14. Septembris 14. Indict. eiuſdem anni 1474. *F. Iacobo de Paternione* Ec-

A cleſiæ Catanenſis Yconomo præcipitur, vt prouentus illius *Franciſco Campulo* nouiter electo dandas ſoluendaſq; ſatageret.

Dubitat *Pirrus* num *Epiſcopus* noſter Pontificiam obtinuerit conſecrationem, quin & extra dentes eam nequaquã obtinuiſſe ſubiungit, hæc inquiens. *Sed quia à Sixto Romano Pontifice fuerat (vt dixi) conſtitutus Epiſcopus Iulianus* Cardinalis, *Franciſcus Pontificiam conſecrationem obtinere non potuit*. Atqui erraſſe Pirrũ ab eodem Franciſco ſcriptæ literæ ad *Ioannẽ Paternò Eccleſiæ Priorẽ anno* 1475. conuincũt, quibus ſeipſum abſolute Epiſcopũ appellat, illiq; Monachorum regimen Põtificia fultus auctoritate demandat: id quod expedire nequiuiſſet, ſi ab Apoſtolica Sede non fuiſſet in Epiſcopum confirmatus. En illas.

C *FRANCISCVS Epiſcopus Catanenſis dilecto in Chriſto filio Ioanni de Paternione Decretorũ Doctori Priori Eccleſiæ noſtræ Catan. ſalutem in Domino ſempiternam.*

Sacris Canonibus inſtitutum eſſe legimus, in agro Dominico, in ſacra videlicèt Monachorum nigrorum Religione, flores honoris, & honeſtatis fructus in vbertatem debere ſuccreſcere. Hinc eſt quòd Nos cupientes Eccleſiam præfatam noſtram, quæ ordinis eſt eiuſdem, in prædictis florere virtutibus, tibi præfato Priori, ad quem ipſorum venerabilium monachorum tàm de iure, quàm ex diuturna conſuetudine, cura in corrigendo, & regendo præfatos monachos ſpectat; dictam curam, prout hactenus

ctenus per te, & tuos prædeceſſores ſeruatum extitit, tibi vice noſtra committimus, dictamq; conſuetudinem tanquam Iuri conſonam approbamus, & ad Te de iure ſpectare declaramus. Volentes inſuper, ac ipſis venerabilibus Monachis, & ſingulis ipſorum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub CENSVRIS, & POENIS in quodam BREVI SS. Domini noſtri Domini SIXTI PP. IV. dictis Monachis & Capitulo directo contentis, Mandantes, & præcipientes, vt tibi, & non alteri, ſiue Vicario, ſiue cuicumq; noſtro ſubſtituto obediant, & ſecundùm regularia Inſtituta tibi obedientiam præſtẽt, prout de Iure, & antiqua conſuetudine tenentur. Et nihilominus attendentes quòd ſi ſua vnicuiq; non ſeruatur Iuriſdictio, ordo Eccleſiaſticus confunditur, gubernaculum diſciplinæ contemnitur, Religio tandem naufragatur; ea propter harum ſerie declaramus Iuriſdictioni tuæ dicti Prioratus, quam in præfatos Monachos habes, vt præfertur, minimè derogare velle, imò prout hactenus ſeruatum extitit, de cætero ſeruari volumus; & Iuriſdictioni, ac poteſtati tibi per Breue SS. Domini noſtri Sixti Papæ IV. nuper tibi indultum, maximè ſuper corrigendis, & diſponendis locis intra ſepta Monaſterij, & Eccleſiæ prætatæ annuimus, & aſſenſum præſtamus: illudq; ratum, ac gratum habemus. Volentes per præſentes literas perpetuò vbiq, de præmiſſis in quocumq; loco fidem fieri;

A

Mandantes Vicario noſtro, qui ad præſens extitit, & ei qui pro tempore fuerit, vel fuerint, vt de Monachis intus & extra ſepta Monaſterij, & Eccleſiæ præfatæ quocumq; modo non ſe impediat, vel impediant: Declarantes quidquid contra prædicta, vel ali quod ipſorum egerit, vel egerint, attentauerit, vel attentauerint, vltra pœnas in Breui prefato, ac ſacris Canonibus inſtitutis contentas, in quas (quod Deus auertat) incurrerit, vel incurrerint, per eum, vel eos nullius exiſtet roboris, & firmitatis; hanc noſtram Declarationem, & voluntatem per præſentes literas ſubſcriptas noſtra propria manu, ac noſtri Sigilli appenſione munitas volumus perpetuò fore duraturas.

B

C

Datum Romæ in domo habitationis noſtræ Anno à Natiuitate Domini 1475. *Indict.* 8. *die verò* 18. *mẽſis Martij, Pontificatus SS. Domini in Chriſto patris, & Domini noſtri Sixti Diuina prouidentia Papæ IV. anno* 4.

FRANCISCVS, qui ſupra, Epiſcopus Catanenſis.

D

Aliunde firmo quod dixi. *Sixtus IV.* Pontificia, qua fungebatur, auctoritate datis Literis *Romæ apud S. Petrum* 28 *Auguſti* 1474 reuocatũ voluit à Vicariatus Catanen. munere *Laymum Paternò*, quem aliàs expræfecerat, *ex quo ad Catanenſem Eccleſiam nuper ab eadem Sede Apoſtolica fuit prometus Franciſcus Campulus.*

Romæ itaq; cum eſſet *Franciſcus*, ibi deceſſit 9. Iunii 1475. anno à ſua ipſius aſſumptione non

dum exacto, cum ſibi creditam Eccleſiam nunquam vidiſſet, Ob cuius obitum ſæpedictus Pōtifex generalem deſignauit Vicarium *Fr. Bartholomæum Munſonum* Cathedralis Eccleſiæ Canonicum, quouſque nouus Eccleſiæ noſtræ Præſul daretur, ſcriptis *Romæ Literis 12. Iunij 1475.*

§. LIII.

IOANNES GACTVS.

Anno Reparationis humanæ 1475.

POſt *Franciſci* deceſſum, à laudato *Sixto IV.* Rom. Pontifice Catanenſi Eccleſiæ datur Epiſcopus *Fr. IOANNES GACTVS* patria Meſſanenſis, profeſſione Dominicanus, doctrinæ multæ vir, & eloquentiæ, ſcripto Apoſtolico Diplomate 1. Septembris 1475. commiſſæ ſibi Eccleſiæ poſſeſſionem nactus primo Nouembris eiuſdem anni: ſolutus iam à iuramenti vinculo, quo *Cephalœdenſi* Eccleſiæ, cui præerat Epiſcopus, antea detinebatur.

A Diſplicuit hoc quàm maximè *Ioanni* Siculorum Regi, tum ob illatam ſuo Patronatus iuri, vt dicebat, iniuriam, tum quòd *Bernardum Margarithi* in Catanēſem Antiſtitem delegiſſet; literas ideò ad Siculum Proregem trāſmiſit *Barcinone 25. Iulij 1475.* ne *Ioannem* in Catanenſem nouam, nec in Cephalœdenſem antiquam admitteret Eccleſiam; quin ad Regnū ne accederet perſcripſit alijs literis *5. octobris 9. indict. 1475.* Regis tamen mandatum per actum facti (ita fari fas ſit) ſeruatum non video; quin Pontificij Diplomatis teſſera cauſam tutatus ſuam Epiſcopus cō ſedit. En Apoſtolicum Reſcriptū.

B *SIXTVS EPISCOPVS ſeruus ſeruorum Dei.*

Dedimus pridem vobis in Epiſcopum, & Paſtorem venerabilem Fr. IOANNEM GACTVM C virum magnæ doctrinæ, & probitatis, & omni honore dignum. Quare hortamur vos per præſentes Patentes, quatenus eum pro veſtro, & indubitato Paſtore habentes, ſibi tanquā Catholico, & de animarum veſtrarū ſalute ſollicito obedientiam, & reuerentiam debitam exhibeatis, vt meritò poſſitis à Domino commendari. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 18. D Decembris 1477. Pontif. noſtri anno 7.

Vicarium habuit generalem *Ioannem de Ficarra* meæ Colleg. Catan. Eccleſiæ Canonicum: tū *Andream Stizzia* Canonicū Meſſanenſem.

Eccleſiaſticæ iuriſdictionis acerrimus

cerrimus propugnator, vrbis Capitaneum eiuſque Aſſeclas, pro violata Eccleſiæ immunitate, ſacris interdixit 23. Iulij 1478.

Prioratum *S. Mariæ Burgitabuſt* de Catan. Eccleſiæ iuribus, vt alibi dicebam, contulit *Fr. Paulo de Ricciulis* Catan. monacho ac Theſaurario 3. octobris 1478.

Verùm hoc eodem anno, cũ diu agitatæ contentiones inter *Ioannem* Regem, & *Sixtum* Pontificẽ, de Catan. Epiſcopatus collatione, finem per compoſitionem accepiſſent, Regio Decreto Torroſæ habito 13. Aprilis, *Ioannes* noſter Ius Eccleſiæ Catan. in *Bernardi Margarithi* gratiam (fuerat hic à Rege Catanenſis Epiſcopus electus) reſignare coactus eſt, antiquæ Cephaludenſi Eccleſiæ redditus.

Abdicationẽ hanc ægrè ferens patriam vrbẽ *Meſſanam* adijt, ætate, ſed magis animi mœrore confectus in ſuo Dominicano Cœnobio, in quo ſacris Religionis & doctrinæ ſimul fuerat initiatus, febre correptus extremum clauſit diem, publicoq; luctu ac funere lacrymatus, in Æde illius Metropolitana tumulatur anno 1484. ex *Maurolico Hiſtor. lib. 2. fol.* 38.

Fuit *Ioannes* omni doctrinæ genere callentiſſimus, acris ingenij vir, dexteritate præcipuus & eloquẽtia. Ferdinandi Regis Catholici ad *Sixtum IV.* Rom. Pont. Orator anno 1472. Iterum anno 1475. à primoribus Siculis ad eumdem Pontificem deſtinatur Orator ardua Regni negotia tractaturus. Anno tandem 1479. ite

A rum Regio nomine apud eumdẽ Pontificem Maximum legatione functus eſt.

Præclara de eo ſcripſere *Maurolicus compend. Hiſtor. Sicil. lib. 5. fol.* 168. *Michael Pius de Viris Illuſtribus Dominicanis part. 2. lib. 3. fol.* 44. cuius cenſionem præſtat hic ſiſtere. *Theologiam profitebatur, ſed nec minus cæteras Philoſophiæ partes callebat; Pontificij, Cæſareiq; iuris erat peritiſſimus, Aſtronomus, Rhetor, ac præter Latinas Græcis Hebræiſq; literis ornatus: Mathematicus etiam non obſcurus fuerat. Florentiæ, Bononiæ, & diutius Ferrariæ, ære publico, docuit: diſcendi, & retinendi vis, quæ quidquid ſemel, atq; iterum perlegebat, felicitiſſimè, & fideliſſimè animo imprimebat, proferebatq; Tantæ admirationi omnium fuit, vt cum Romæ in generalibus Dominicanorum Comitijs coram Nicolao V. Pontifice Maximo diſputaret, à Pontifice interrogatus fuit, num publico decreto Doctor pronunciatus fuiſſet, reſpondiſſetq; Ioannes, nullo adhuc Doctoris decoratum eſſe Priuilegio, mox Pontifex inpoſito illi Apice Doctorem pronunciauerit: ibi Beſſarionis Cardinalis Nicæni auſpicio SS. Petri & Pauli Alyenſis, ſiue de Itala, ac ſimul SS. Petri & Pauli de Agrò ſit Abbas ann. 1469.*

Paria de eo ſcripſit *Fazellus Decade 1. lib. 2. cap. 2. Ioannis* ingenium, dicendi, docendiq, vim, agendi dexteritatem, obitum tandem enarrans, his verbis. *Ioannes Gactus Ord. Prædicatorũ anno ſalutis 1440. Meſſanæ oritur. Fuit is Dialecticus, Philoſophus, & Theologus nemini impar, Mathema-*

thematicus etiam non obſcurus: docuit ære publico Florentiæ, Bononiæ, & diutius Ferrariæ. Is Literarum græcarũ auiditate in Græciam profectus, cum breuiſſimo temporis ſpatio eam percalluiſſet, Romam reuerſus eſt, vbi Beſſarionis Cardinalis Nicæni auſpicio primũ Alyenſis Abbas, mox Cephaledenſis Epiſcopus, ac demum Catanenſis Præſul ſuffici tur. Tanta fuit in hoc homine & dicendi & retinendi vis, vt admirationi omnibus ſemper fuerit, nam quidquid perlegebat ſemel atq; iterũ, id fœliciſſimè fideliſſimeque animo imprimebat, proferebatq;. Venit in Patriam tandem Epiſcopatus Catanenſis repulſam paſſus, vbi in morbum prolapſus, delatuſque in Ædem Diui Dominici, in qua ſacris Religionis ſimul & doctrinæ fuerat initiatus, febris atrocitate confectus extremum vitæ diem clauſit, publi, coq; luctu ac funere in Æde Pontifi. cali Diuæ Mariæ humatus eſt. Extant eius Orationes aliquot corã Romanis Pontificib' habitæ varia erudi tione refertæ, ac mira arte elaboratæ

§. LIV.

BERNARDVS MARGARITHI.

Anno ſalutis 1477.

ANtiquæ ſuæ Cephaludenſi Eccleſiæ reſtituto Ioanne Gatto: Catanenſi, à qua vt dicebam ille ſe abdicauerat, à *Ferdinando* Ioannis Siculorum Regis filio, cui *Catholici* cognomentum Chriſtianæ religionis pietas fecit, EPISCOPVS exprænicitur anno 1477. menſe Maio *BERNARDVS MARGARITHI* Catanenſis, omnium ſenio venerandus, eruditione præſtans & ingenio; cuius aſſumptionem ratam habuit Pontifex dato *Romæ Diplomate* 6. *Idus Februarij* 1478. quicquid ſcripſerit *Pirrus hìc*, ad annum 1475. Bernardi promotionem conſignans.

Bernardus igitur *Catanæ* honeſtis parentibus ortus (id quod præ ceteris ſcripſerũt *Aloyſius Lelius in Hiſtor. Montis regalis parte 1. fol. 83. & Rocchus Pirrus in illius Eccleſiae Notit. ad annum 1483. fol. 424.* & iterum in noſtræ *Catan. Eccleſiae Notitia fol. 58. & 93.*) pieq; educatus humanioribus literis operam dedit, mox in patrio *D. Agathae* Cœnobio regularem D. Benedicti diſciplinam profeſſus, in ſacris literis egregiè verſatus, breui magiſter eſt appellatus. *Ioanni Aragonio* Siciliæ Regi à ſacris confeſſionibus. Tum *Eccleſiae S. Petri de Rodes* in Gerundenſi Diœceſi Abbas primum deſignatur (hinc à pleriſq;

Gerun-

Gerũdenſis euulgatus, ſed malè) poſtmodũ Cephalædenſi Eccleſiæ datur Antiſtes, & tandem ob *Ioannis Gacti* abdicationẽ ad patriam Catanenſem Cathedram euectus anno, vt dicebam, 1477.

Sacras Pontificij Infulas à *Dalmatio* Syracuſiorum Epiſcopo in Catanenſi Baſilica, de Pontificis permiſſu, ſuſcepiſſe Bernardum auctor eſt *Pirrus hic ad ann.* 1479. *& in Notit. Syracuſ. fol.* 181.

Generalibus Regni Comitijs ſub *Ioanne de Cardona* Regis perſonam agente Catanę coactis anno 1479. Bernardum præfuiſſe teſtatur laudatus *Pirrus*, in ijſq; inter pręcipuas Siculas vrbes CATANA Panormi & Meſſanę TERTIA SOROR acclamata eſt, vtq, earum Priuilegijs potiretur, iteratò decretum. Fuerat id à *Ludouico Rege* Vrbi noſtræ conceſſum anno 1353. Ab *Alphonſo* de in probatum dato Diplomate *Valentiæ* 20. *Iunij* 1428. & iterũ in alijs Regni Comitijs ſub eodẽ *Ferdinando* coactis anno 1508. ſtabilitum, edito iam Reſcripto, quod inter Regni Capitula ſub laudato *Ferdinando* 66. enumeratur

Sacro igitur magiſtratu potitus, Eccleſiæ ſuæ ædificijs, ne vetuſtate ſqualerent, ſacris item ſupellectilibus expræfectum conſtituit *Rogerium de Petra Sancta* (Operis Magiſtrum nos dicimus) ſcriptis literis 31. Decembris 1479.

Turrim Archirafi, præcipuũ ex Catan. Eccleſiæ prædijs, eiq; adiacentia terrarum iugera conceſſit *Michaeli de la Prorina* 18. *Auguſti* 1480.

A Eccleſiæ ſuæ ſtudioſiſſimus Iura omnia ac Priuilegia eidem à prędeceſſoribus Regibus indulta, à laudato *Ferdinando* approbanda, Regiæque confirmationis vallo iterum ſtabilienda exorauit, dato *Diplomate Barcinone* 10. *Iulij* 1481. quod *Bernardi* genium pariter & ingenium perbellè conteſtans placuit hic recitare.

FERDINANDVS

B *Dei gratia Rex Caſtellæ, Aragonum, Legionis, Sicilia &c.*

Cum Eccleſia Ciuitatis Catanię prædictę ſit vna de principalioribus dicti Regni Siciliæ, multis decorata Priuilegijs per retro Principes progenitores noſtros, ac martyrio glorioſæ Virginis & Martyris AGATHÆ conſecrata, maxima deuotione fuerit, & ſit decorata: Maieſtas noſtra ad illius decorẽ habens reſpectum,

C feruentiùs in eius deuotione ardeſcit, & plus multò in præſentiarum, dum Reuer. in Chriſto Pater, Conſiliarius, & Confeſſor immortalis recordationis Sereniſſimi Regis & domini genitoris noſtri BERNARDVS MARGARITHI magnis virtutibus prædituſ in Epiſcopum eiuſdem noſcitur promotus, ob idq, illius inclinati ſupplicationibus, omnes Gratias, Prerogatiuas, Priuilegia, Immunitates, Libertates,

D Exemptiones, & Dona per retro Principes, & alios eidem Eccleſiæ, & Epiſcopis pro tempore exiſtentibus indultas, & conceſſas; nec non & quæuis Priuilegia & Indulta ſub quauis forma verborum emanata, quæ ſufficienter hic haberi volumus pro expreſſis

eidem

eidem Eccleſiæ,& Epiſcopo Bernardo, ſuiſq, Vicarijs, Iudicibus, officialibus, domeſticis, familiaribus, ac eorum etiam ſeruitoribus,& famulis indulta,item Monachis Eccleſiæ prælibatæ innouamus, prout liberè præſentium tenore, ex noſtra Regia munificentia, & de plenitudine poteſtatis abſoluta, legibus in hoc derogando, de certa ſcientia, & conſultò innouamus,& de nouo concedimus,indulgemus pariter & gratioſè donamus. Ita quòd gaudeant, & vti valeant de cætero illis Prærogatiuis,& Exemptionibus in dictis Priuilegijs, & Gratijs contentis, prout melius & plenius hactenus vſi ſunt.

Verùm cum per Iuriũ & Priuilegiorum prædictorum diſpoſitionem prætendatur prouisũ, quòd de cauſis quibuſcumque, tam ciuilibus, quàm criminalibus, & pecuniarijs nemo Officialis laicus, quantæcumq; ſit auctoritatis & præeminentiæ, cognoſcere debeat in territorio dictæ Ciuitatis Cathaniæ,ſed ſolus ipſe Reuer. Epiſcopus Catan. vel ſui Vicarij, Iudices, & officiales, quos, vt aſſeritur, idem Epiſcopus poteſt & valet ad eius libitum voluntatis admittere,& remouere, ſeu de nouo confirmare quandocumq; & quotieſcumque, illoſque corrigere, punire, & caſtigare: & his non obſtantibus, vt accepimus, nonnulli Deum præ oculis non habentes, bona, & Iura, tam ſpiritualia, quam temporalia,redditus,& prouentus,& Iuriſdictionem ad dictam Eccleſiam, & eius Epiſcopũ ſpectantia præſumunt ſibi appropriare, deturbare, dilacerare, & vſurpare, in graue damnum ipſius Eccleſiæ, & illius Epiſcopi præiudicium, de cauſis Epiſcopi & monachorum, & alijs cognoſcendo: Alijq; Iaccia, Mandralia, ſeu mandras faciendo in territorio dictæ Eccleſiæ, maximè in Plana, & in Nemore, ponendo animalia, ligna faciendo, arbores,ſeu glandes incidendo & alia tentando contra ipſam Eccleſiã, & Epiſcopum,ſeu eorum Iuriſdictionem, & Ius, quod habere prætendunt prohibendi, mandras vaccarũ intus territoriũ dictæ Eccleſiæ & Ciuitatis; & maximè cognoſcendi de omnibus prædictis,& quibuſcumq;cõceſſionibus ad tempus, ſeu in perpetuum factis,ſeu locationibus quarumcumq; poſſeſſionum, ſiue agant, ſiue conueniantur; cum talia bona nec dicantur opera ipſius Epiſcopi, nec ſuorum officialium,ſed eiuſdem Eccleſiæ, de quibus, vt prætenditur, poteſt Epiſcopus de Iure cognoſcere; nec non capiendi, puniendi, & caſtigandi omnes, & quoſcũque malefactores, & detemptores bonorum, rerum, & iurium dictæ Eccleſiæ iuxta conſuetudinem hactenus obſeruari ſolitam, & eos mediante Iuſtitia compellendi ad reſtitutionem prædictorum, & præſertim adminiſtratores bonorum, reddituum, & Iurium dictæ Eccleſiæ & Epiſcopi ipſius, vt reddant computa, & reliqua reſtituant ipſi Eccleſiæ, ſeu eius yconomo, & procuratori, omni mora poſtpoſita: nec

non

non etiam bona indebitè alienata, & malè detempta ad Ius, & proprietatem ipſius Eccleſiæ liberè reuocādi, & reintegrandi, ac contra omnes, & quoſcumq; prædictos inobedientes & rebelles remedijs & cenſuris Eccleſiaſticis vtendi, pro defenſione præſertim ſuæ Iuriſdictionis.

Vobis propterea, & veſtrum cuilibet prædictorum, & ſignanter Capitaneo, Patritio, Iudicibus, & Iuratis dictæ Ciuitatis Catanæ præſentium tenore dicimus, præcipimus, & mandamus, ſub incurſu noſtræ indignationis, & in pœnam florenorum auri numerò mille, quatenus conſtito vobis ſummariè de prædictis, ſeu quouis prædictorum, vocatiſq; ijs, qui vocādi fuerint, de ipſis cauſis, & Iuriſdictione Eccleſiaſtica in præiudicium Iuris, & Iuſtitiæ dicti Reuer. domini Epiſcopi, & ſuorum officialium nullo modo vos intromittatis, ſeu ijſdem impedimentum præſtetis: quinimò prædictam Eccleſiam, & eius Epiſcopum in poſſeſſione ſua, vel quaſi omnimodò manuteneatis, ſeu manuteneri faciatis, non obſtante quocumq; alio abuſu prætenſo vigore Prouiſionū iam dudum emanatarum, tempore vacationis dictæ Eccleſiæ à bonæ memoriæ Rege Alphonſo patruo noſtro, & alijs pragmaticis, edictis, ſtatutis, & prouiſionibus in contrarium facientibus: ipſumq; Reuer. Epiſcopum, & ipſius officiales in ſummam commendationem & reuerentiam habeatis, ac eiſdem aſſiſtatis quotiès per inuocationem bra-

A chij ſecularis fueritis requiſiti, ope, opera, conſilio, & fauore; Nos enim aliàs faciendi, ſeu attentandi contrarium vobis, & veſtrum cuilibet tollimus omne poſſe, cum nullitatis decreto.

In cuius rei teſtimonium præſentes fieri iuſſimus noſtro negotiorum Sigillo Siciliæ in pendenti munitas. Dat. Barchinone die 20. menſis Iulij 14. Indict. Anno à Natiuitate Domini 1481. Regnorumq; noſtrorum videl. Siciliæ anno 14. Caſtellæ, & Legionis 8. Aragonum verò & aliorū 3.

P O E L R E Y.

B Hęc quantumuis pro Catanēſis Eccleſiæ iuribus ſtetiſſent, Pro regiæ item confirmationis munimine roborata, *ſub dat. Panormi die 3. martij 15. Ind.* 1482. nō ceſſabant propterea Regis adminiſtri illius iura depōpare, Epiſcopi iuriſdictionem adoriri: nouo ideo Proregiæ confirmationis vallo vtendum oportuit, vt vel ſic, ſcrupulis omnibus reciſis, certa pro Epiſcopo ſtaret ſententia.

C *FERDINANDVS*
Dei gratia Rex Caſtellæ, Aragonum, Siciliæ &c.

Vicerex in dicto Siciliæ Regno Spectabilibus, Magnificis, & Nobilibus præfati Regni Magiſtro Iuſtitiario, ciuſq; in officio regio locū tenenti, & Iudicibus M. R. C. Capitaneo inſuper, Patritio, Iudicibus, Juratis, & alijs vniuerſis & ſingulis officialibus Clariſſimæ Ciuitatis Catanæ, tam præſentibus, quàm futuris, cæteriſq; vniuerſis, ad quos, vel quem ſpectauerint infraſcripta, & præſentes earum præſentationes deuenerint, Conſiliarijs, & Fidelibus regijs dilectis ſalutem.

D

Viſo & diligenter inſpecto per Magnam Regiam Curiam Priuilegio Sereniſſimi domini Regis Alphonſi dato in ipſa Ciuit. Cataniæ die 16. Iulij 1432. conceſſo per eum Reuerēdiſſimo quōdam Fr. Ioanni de Piſcibus S. Theol. Profeſſori Epiſcopo Catanenſi, compertum habemus dictum dominum Regem Alphonſum per id Priuilegiū prouidiſſe, ſtatuiſſe, & mandaſſe officiales, domeſticos, factores, procuratores, & familiares ipſius Reuer. Epiſcopi nullo pacto coram alio Iudice, aut officiali quocumque, præterquàm coram ipſo Reuer. Epiſcopo, tam ciuiliter, quàm criminaliter conueniri debere. Neq; ignoramus eumdem Sereniſſimum Dominum Regem exinde per ſuas opportunas Prouiſiones datas in Caſtro Varoli die 3. menſis Decembris 6. Indict. 1442. moleſtè ferentē, quòd quidam præfatum Priuilegium dicto Reuer. Epiſcopo, & ſuis prædictis conceſſum nonnūquam conabantur infringere, illiq; auſu quodam illicito contraire: prouidiſſe, & mandaſſe prę-fato Reuer. Epiſcopo, & vnicuiq; domeſticorum, officialium ſuorū, & aliorum in dicto Priuilegio contentorum, memoratum Priuilegium ad vnguem obſeruari, exequi, & teneri debere iuxta ſui ſeriem, & continentiam plenioremi.

Nouimus inſuper eumdem Sereniſſimum Regem Alphonſū exinde per alias Prouiſiones, ſeu Priuilegium eius datum in Turri octaui 11. die Decembris 15. Ind. 1451. confirmaſſe plenius omnes & ſingulas Prouiſiones, Literas, ac Priuilegia per eū quomodocunq; & ſub quacumque verborum forma præfatæ Eccleſiæ Catan. & eius Epiſcopo conceſſas, ſiue gratioſæ ſint, ſiue fauorabiles, ſiue de iuſtitia; illaſq; & illa Reuerendiſſimo Epiſcopo Guillelmo Bellomo tunc viuenti, & cunctis alijs Epiſcopis ſucceſſoribus ſuis purè, & ſimpliciter, ſine vlla ſiniſtra interpetratione, & intellectu, ſed ſemper in fauorem ipſorum Epiſcoporū de nouo conceſſiſſe.

Nouimus quoq, Sereniſſimū, & Inuictiſſimum Dominum noſtrum Regem Ferdinandum per eius opportunum Priuilegium datum Barchinone die 20. menſis Iunij 14. proximæ præteritæ Indict. de qua quidem Viceregia opportuna exequutoria à nobis emanauit, data in vrbe Panormi die 3. menſis Martij 15. Indict. proximè excurſæ, Confirmaſſe, innouaſſe, & de nouo mature & conſultè conceſſiſſe, & gratioſè donaſſe Eccleſiæ Catan. præfatę; nec non & ipſi Reuer. Epiſcopo Bernardo, qui de præſenti eſt, ſuiſq; Vicarijs, Iudicibus, Officialibus, domeſticis, & familiaribus, eorumque etiam ſeruitoribus, atq; famulis omnes & ſingulas Gratias, Prærogatiuas, Priuilegia, Immunitates, Libertates, Exemptiones, & Dona per retro Principes, & alios eidem Eccleſiæ, & Epiſcopis pro temporibus exiſtentibus indultas, & conceſſas: nec non, & quæuis Priuilegia, & Indulta ſub quauis ver-

verborum forma emanata; quæ item omnia idem Sereniſſimus Dom. noſter Rex in dicto Priuilegio haberi voluit pro ſufficienter expreſſis, prout hæc, & alia pleniùs & diffuſius in dicto Regio Priuilegio vidimus contineri.

Cum autem noſtræ mentis, intentionis, & voluntatis fuerit, & ſit, vt tam præmentionatæ Prouiſiones, & Priuilegia Sereniſſ. domini Regis Alphonſi, præſertim Epiſcopis Catanenſibus, eorumque Officialibus, domeſticis, familiaribus, & alijs iam ſupradictis elargitæ, & conceſſæ, quàm ſupradictum mentionatum Priuilegium cum eius executoria cõceſſum per dictum Sereniſs. & Inuictiſſimum dominum Regẽ exequantur, teneantur, ſeruentur, & compleãtur in perſonam ipſius Reuer. Epiſcopi, pro ſuis officialibus, familiaribus, domeſticis, & alijs antedictis, iuxta illo rũ illarumq; ſeriẽ, & cõtinentiam plenioriẽ. Idcirco vobis dicimus, & expreſſe mandamus, quatenus illas, & illa eidem Reuer. Epiſcopo, ſuiſq; predictis teneatis, ſeruetis, & compleatis, teneriq; ſeruari, & compleri faciatis iuxta eorum ſeriem, & continentiam alias demandata: & ſi forte in aliquo hactenus deuiaſtis, aut exceſſiſtis, illud confeſtim, acceptis præſentibus, ad priſtinum reducatis, & reſtituatis; neq; ſecus agatis quauis ratione, vel cauſa, ſi mille Regaliũ auri pœnam Regio Fiſco applicandam cupitis euitare.

Datum Panormi die 19. menſis Martij Primæ Indict. 1483.

A

B

C

D

GASPAR DE SPES.

Nonnulla *Bernardum* inter, & Eccleſiæ Canonicos, ſub id fere tempus, exorta ſunt diſſidia, pro iuribus ſuis acriter contendentes. Re ad Apoſtolicam Sedem delata, *Ioanni de Paternione* Mileuitano Epiſcopo cauſa cognoſcenda mandatur, qui vtr iuſq; iuribus ritè recteq; penſatis, Canonicis illam adiudicauit 19. *Julij* 1482. cuius ſententiæ & ipſe lubens libenſq; ſubſcripſit.

Cum autem *Bernardus* noſter ingenio præſtaret & moribus, *poſt Auſiæ de Podio* Archiep. ſcopi Mõteregal. deceſsũ publicis Monachorum votis, illius Eccleſiæ Archipræſul expetitus eſt, & electus 6. *Octobris*, ex *Lello in Hiſtor. Montiſregal. part. 1. fol. 83. & Rocho Pirro in illius Eccleſiæ Notitia fol.* 124. Diſplicuit tamẽ electio hæc *Ferdinando Regi*, Eccleſiam illam ſicut & reliquas in Sicilia ad Regiam ſpectare præſentationem contendenti, quin & illatam ſuo Regio Iuri Patronatus iniuriam querebatur: Monachorum ideo de *Bernardo* electione poſthabita, *Ioannem Borgiam Cardinalem* dedit Antiſtitem.

Noſter tandem *Bernardus*, cũ patriæ Eccleſiæ ãnos nouem præfuiſſet, in fata conceſſit 26. *Junij* 4. *Indict.* 1486. Ob cuius obitum *Fr. Andreas de Paternione* Catan. Decanus Apoſtolica auctoritate Generalis expræficitur Vicarius, ſcriptis Romæ literis 15. Decembris 1486. in Prothonotario exſcriptis 2. Ianuarij 5. Ind. 1486.

§. LV.

ALPHONSVS CARRILLVS ALBORNOTIVS.

Anno Dominici Natalis 1489.

DEfuncto *Bernardo*, *Innocentius VIII.* Rom. Pontifex Catanẽſibus in Epiſcopum dedit *ALPHONSVM CARRILLOS de ALBORNOZ* Hiſpanum, Canonicum Toletanum, ac Prothonotarium Apoſtolicum, ſcriptis Romæ literis *Idibus Nouembris* 1486. *Pontificatus eius anno tertio.*

Fuit *Alphonſus* natalium ſplendore conſpicuus, *Alphonſi Carrilli* Diac. Cardinalis tit. S. Euſtachij ex fratre nepos, vir ingenio prepotens, doctrina præcipuus.

Ægrè id tulit *Ferdinandus Rex*, ex quo nõ fuerat ab ipſo oblatus Pontifici, ſuoq; Regio patronatus Iuri non leue illatum aſſeritabat præiudicium, literaſq; ad Prorege ſcripſit, ne *Alphonſum* in Epiſcopum admitteret. Compoſita tandem res eſt, ac triennio fere exacto *Alphonſus* in Catan. Epiſcopũ recipitur, ea conditione, vt Alphonſo Aragonio Regis ipſius notho annuam 300. florenorum auri penſionem exſolueret, præuia ad id Romani Pontificis facultate 9. Februarij 1439. Epiſcopus ideo recipitur, ac ſalutatur 20. Martij eodem anno.

Vicarios habuit Hieronymum la Roſa ſpectatæ virtutis virum, Collegiatę Eccleſię Canonicum, & Mattheum Iuuini Cathedralis Canonicũ, ac S. Mariæ de Caua Priorem.

Eodem anno, ſcribit Pirrus in noſtre Eccleſię Notit. fol. 59. *decedente Fr. Bartholomæo Munſono S. Mariæ de Monacho ſeu de Noua Benedictino Priore, Prioratum illum Pontificia auctoritate adiunxit Cantoriæ Catan. Eccleſiæ Fr. Petrus Viperanus, qui tunc ea Dignitate decorabatur.* Errat tamen, vt vidiſti *Catan. Decachor. tom. 1. Chorda 2. Mod. 3. Excur. 2. fol. 63.* Hic ſiquidem Prioratus ex Pontificia Nicolai V. facultate Cantoris Dignitati fuerat annexatus anno 1453. Non eſt igitur in hoc euincendo contentioſiori diſputatione certandum.

Nonnullæ inter *Alphonſum* Epiſcopũ, & Catanenſem Senatum ſubortæ ſunt diſſenſiones pro Iuriſdictione certantes, in ijs vel maxime quæ Iura Dohanæ, Nemorum, Pantani &c. ſpectant, (ea eſt humanæ vitæ conditio, vt nec diuturna pax quietiores efficiat, nec longæua diſſenſio perturbatiores exerceat) quæ tandem per tranſactionem fuerunt compoſitæ, & vt dicebat *Nazianzenus Orat. contra Iulianum*, per ſcopulos ductæ ſunt ad littus, ac *Ferdinandi Acunna* Si-

ciliam

ciliam pro Rege moderantis auctoritate firmatæ 23. Ianuarij 6. Indict. 1490. Diſſenſionũ cauſas, compoſitionum deniq; leges, pactioneſq; habes in Epiſcop. tabul. *ad annum* 1489. *fol.* 249. *& in Lib. Priuilegiorum fol.* 156.

Degebat interim apud Hiſpanias Alphonſus, inde germanum Fratrem ſuũ Aluarum hominem laicum Catanã tranſmiſit, quem Generalem Catanenſis Eccleſiæ Vicarium, ac Procuratorem, etiam in ſpiritualibus, conſtituerat: qua de re certior factus Põt. Innocentius *VIII.* Epiſcopo ſubiratus acres ſcripſit literas 8. Ianuarij 1490. grauiter eum carpens. Eſt id ſacrorum Canonum iure vetitum, *can. in noua* 16. *queſt.* 7. *cap. decernimus*, *vbi Dom. Abbas Conciuis meus n.* 12. *Felin. n.* 6. *Decius n.* 15. *Ripa nu.* 56. *de Iudicijs.* Indecorum eſt enim laicum Eccleſiaſticos viros iudicare; id quod pluribus aſſequitur *Sbrozius de Officio Vicarij lib.* 1. *queſt.* 31. *per tot.* Alias item dedit ad Cathedralis Eccleſiæ Canonicos, eis præcipiens, ne Vicarium laicum admitterent, ſed ipſi quòd Epiſcopus longiùs abeſſet, vnum aut plures deſignarent Vicarios.

Perſtitit ideo Hieronymus la Roſa demandatæ ſibi prouinciæ munus explens, vt antea. Eo Generalem Vicarium agente, Monitoriales literæ ad Vrbis Senatores datæ ſunt pro Epiſcopalis iuriſdictionis exercitio, Rectoris item officio quammaximè facientes, quas lubet exhibere.

Nos Hieronymus la Roſa Canonicus Panormitanus, nec non Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ de Eleemoſyna Canonicus, ac Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Alphonſi miſeratione Diuina, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Catanenſis in Spiritualibus & temporalibus Vicarius Generalis, Magnificis, & Egregijs viris Iuratis Clariſſimæ Ciuitatis Cataniæ nobis in Chriſto filijs chariſſimis ſalutem, & Dei timorem.

Cum Reuerendiſſimus Dom. Epiſcopus Catanenſis pro adminiſtranda Iuſtitia tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus tenuerit, prout de præſenti tenet, ſuos Officiales, videl. Generalem Vicarium, & eius locum tenentem in ſpiritualibus, & temporalibus, Magnificum RECTOREM, vbi cauſæ omnes pertinentes ad ipſam Eccleſiam agitantur, prout de Iure eſt, apud dictos Reuer. & Magnifi. Vicarium, & Rectorem ſecundùm naturam earumdem cauſarum, ita & taliter quòd primum Iudicium in temporalibus (puta videl. in rebus Gabellarum, Nemorum, & aliorum Iurium ipſius Eccleſiæ) eſt ipſius Magnifici Domini RECTORIS, & deinde ſucceſſiue, & per appellationem deuoluũtur ad Reuerẽdis. Dom. Epiſcopum Catanenſem prædictum, ſeu eius locumtenentem, & ſucceſſiue per appellationem ad Illuſtriſ. Dom. Proregem, vti Monarcham in Regno, & ita fuit ſemper obſeruatum, & practicatum a tanto tempore, de quo memoria hominum in contrarium non exiſtit.

Nouiter verò intelleximus, quòd

§. LVI.

FRANCISCVS GARCIA.

Anno ab Orbe redempto 1493.

PRæſulis iſtius nudum dumtaxat nomen in noſtris ſchedis inuenio, quem ex Epiſcopo *Gaudicenſi* in Hiſpania, ſiue rectiùs in Bethica Hiſpaniæ prouincia Granatenſis Archipreſulis faſces reuerente, ad Catanenſem Eccleſiam legimus euectum anno 1493.

Cauendum ideo à *Pirro hîc* Eccleſiam Gandienſem, rectius Gaudienſem, Regno Valentiæ adſcribente: eſt etenim Gaudienſis vrbs, vulgo *Gaudix*, Granatę vrbi Regni Granatenſis Metropoli ferè cõterminа, ad leucas nouem diſtans, fides ſit *Ioanni Botero Relat. Vniuerſal. parte* 1. *lib.* 1. *fol.* 7.

Generalem expræfecit Vicarium *Hieronymum la Roſa* omnium ſenio venerandum; tum *Conſaltum Matruch* hiſpanum; ipſe verò in Regis aula ſemper verſatus Eccleſiam ſibi commiſſam nunquam vidit. Anno tandem 1495. è viuis exceſſit.

§. LVII.

IOANNES DEZA.

Anno humanæ ſalutis 1496.

FAto quodam (ita fari fas ſit) per hæc tempora *Catanẽſis Eccleſia* Paſtore viduata conſedit, Epiſcopi procul abſentis vt præſentia, ſic ſolatio deſtituta: tres, vt vidiſti, conſecutis temporibus habuit Sponſos, *Alphonſum*, *Franciſcum*, & deniq; *Ioannem*, de quo nobis ſermo, quorum neminẽ videre licuit, nec habere præſentem. Fuit, qui aulicis vel diſtentus curis, vel illectus illecebris, creditum ſibi gregem, cui ſanctiùs inuigilare debuerat, deſpicabilem habuit, & abiectũ; Fuit, qui, dato repudij Libello, deſponſatam ſibi Eccleſiam dimiſit, antequam agnouiſſet. Fuit denique, qui ne patrium deſereret ſolum & in longinqua tranſiret, chariorem habuit poſteriùs deſponſatam Eccleſiam, qui prioris elegantiam non vidit, opulentiam non ſenſit.

IOANNES igitur *DEZA* Hiſpanus, quem ex literis *Ferdinandi*

Regis

Regis 26. *Octobris* 15.*Indict.* 1496. delectum Catan. Epiſcopum edocemur; mox *Ouetenſem* Antiſtitem in Hiſpanijs aſſumptum teſtatur *Pirrus hìc fol.* 60. Vicarium habuit *Hieronymum la Roſa*, non ſemelà nobis laudatum.

Nil aliud de eo præter hæc, ad manus venit, & mentem, quantumuis induſtriam omnem ſinceram poſuerim, vt ex imis Tabulariorum ruderibus notitiã aliquam eruerem, ac poſteris recentarem.

§. LVIII.

FRANCISCVS DETZ PRATS.

Anno Chriſtianæ redemptionis

1498.

AD Ouetensẽ Eccleſiã tranſlato *Ioanne Deza*, vt dicebam, ſucceſſor datur *FRANCISCVS DETZ PRATS*, ſiue de *Prades* Valentinus Canonicus, & qui in Siciliæ Regno (non in Hiſpaniarum Regnis, vt ſcripſit *Pirrus hic fol.* 60.) Apoſtolicum egerat Nuncium, ex nominatione A *Ferdinandi Regis* 20. martij 1498. ac Pontificia *Alexandri VI.* confirmatione 16. Kal. Maij eiuſdem anni, *Catanenſis* præficitur Epiſcopus.

Vicarios habuit *Fr. Matthæum Iuuini* S. T. D. Priorem S. Marię de Caua, & *Iacobum de Oriolis*, ſiue Orioles, Catan. Canonicum, ac Priorem S. Gregorij de Platia.

Baſilicæ ædificia ne vetuſtate B ſordeſcerent, à *Ferdinando Rege* literas exorauit, vt de Epiſcopatus prouentibus in illorum refectionem vnciæ centum annis ſingulis erogarentur, per ipſum Epiſcopum expendendæ, ſcriptis literis *Granatæ* 21. *Septẽbris* 1498. tranſcriptis in *Protonot.* 15. *Nouembris* 3. *Indict.* anni eiuſdem.

Priuilegia, quibus Epiſcopi familiares, cèteriq; eius admini- C ſtri à Regia iuriſdictione exemptãtur, ne ſuo exciderent gradu, curauit, exoratis, vt aiunt, literis obſeruatorialibus 23. Nouembris 2. Indict. 1498. *Ioanne delanuza* pro Rege Siciliam moderante, quas in Epiſcopij tabulis paſſim legere obuium cuiq; eſt, ſed vel maxime in *Libro Priuilegiorum fol.* 150. *& ſequent.*

Baſilicæ valuas ſacrorũ emble- D matũ, ac ſententiarũ interuallis variegatas ex integro reſtituit ãno 1500. idquod gentilitia illius Stẽmata, adiecta item Inſcriptio perbellè teſtantur.

> *Sub Diuo Ferdinando Rege Caſtellæ & Aragonum Granatæ expugnatore, & Iudæorum expulſore, anno Domini M. D. ad Laudẽ Dei, Diuaq; Agathæ, Franciſcus Detz Prats Nuncius Apoſtolicus Epi-*

Epiſcopus Catanenſis has Portas fieri fecit; procurante donno Paſchaſio de Anzano eius Prouiſore, per Pariſium Calchi Architectorem Catanienſem.

Ex his facile erit & promptũ refellere quæ de *Franciſco* noſtro ſcripſerat *Pirrus hìc fol.* 60. *Et conſtitutis Vicarijs Fr. Matthæo Iuuini Priore S. Mariæ de Caua, & Fr. Iacobo Orioles Priore S. Gregorij de Platia Benedictinis, anno* 1499. *die* 7. *Februarij apud Apoſtolicam Curiã pro ſucceſſore Præſulatũ reſignauit.* Anno ſiquidem 1500. Catan. Præſulem agebat Franciſcus, vt dicebã; ſub cuius tẽporis annique ſpatiũ die 23. Octobris ſupremũ obijſſe diẽ, eiuſq; deceſſũ *Fr. Matthæum Iuuini*, & *Hieronymum Siſmundum* Catanenſẽ Canonicum, qui poſtea *Pactenſis Epiſcopus* renunciatus eſt, in Generales Vicarios à Canonicorum Capitulo deſignatos edocent Epiſcopij tabulæ ad hunc annum.

A

B

C

§ LIX.

DIDACVS.

Anno Gratiæ 1500.

D

FRanciſco, quem dicebamus, viam vniuerſę carnis ingreſſo, ſufficitur DIDACVS..... Hiſpalenſis Eccleſiæ Decanus, anno 1500. Pontificatus *Alexandri VI.* anno 6. Cognomentum ignorare facile fuit, tum Scriptorum inopia, tum breuiſſimà laudati Præſulis prefectura. Anno ſiquidem 1501. 3. Aprilis ad præ-

tactã Catan. Cathedram aſſumptum legimus *Iacobum Raimirez*, quem cum laudato *Didaco* malè confundit *Pirrus hic fol.* 90. faciens vnum ex vtroque.

Quid verò egerit interea Præſul iſte, numquid Catanam venerit, ã hinc ad aliam euectus fuerit Cathedram, incompertum habeo, resque apud me eſt incertiſſima; nolo mihi vitio vertatur quod in alijs ſummopere diſplicuit euanida lubentia veri fidem mendacio decolorãtibus.

§. LX.

IACOBVS RAIMIREZ.

Anno à Chriſto nato 1501.

IN Manuſcripto Catanenſium Epiſcoporum Catalogo, quo me Sacer. *D. Agathinus Margarithi* S.T.D. antiquarius profeſſor, & in hoc Catan. Gymnaſio Logicæ facultatis ad ãnos 20. & vltra primarius Cathedraticus, dum viueret, amicè donauit, hæc lego.

IACOBVS RAIMIREZ & Guzman S.T.D. ad Catanenſẽ

A *Epiſcopatū promotus 3. Aprilis 1501. ob mortem Didaci, vt continetur in Bulla Iulij II. anno 6. eius Pontificatus.*

Emendandus ideò *Roccbus Pirrus hîc fol. 60.* hæc de Iacobo noſtro ſcriptitans. *Didacus, ſeu Iacobus Raimirez & Guſman Hiſpanus nobilitate generis præclarus, S. T. D. Decanus Hiſpalenſis ex Diplomate Alexandri VI. Romæ 6. Kal. Iulij* B *anno 1500. Pontificatus 6. &c. fit Epiſcopus.*

Triplex ſiquidem in hoc aſſeritando veritati piaculum fecit; alterum, quo *Didacum* prædeceſſorem Epiſcopum, vt vidiſti, cum *Iacobo* ſucceſſore malè confundit. Alterum, quia anno 1500. menſe Iulio ſuperuiuebat adhuc *Franciſcus Prates* Epiſcopus, qui menſe octobris anno illo diem C clauſit extremum, vt dicebam, nec dū per ea tempora fuerat in Catan. Cathedra collocatus *Didacus Iacobi* prædeceſſor, multò igitur minùs *Iacobus* vtriuſq; ſucceſſor. Tertium deniq; ac poſtremum, quia *Alexandri VI.* Pōtificatus initium ſumpſit 3. Idus Auguſti 1492. annus itaque ſacræ illius Dynaſtiæ 6. in annum cadit 1498. non autem in annum D 1501. qui à ſuſcepta ſacra Thiara nonus numeratur.

Noſter itaque *Iacobus* Pontificio apparatu Vrbem ingreſſus eſt tertio Aprilis 1501. mox ſacras *D. AGATHÆ* Reliquias venerabundus luſtrauit 19. eiuſdē menſis. Viſitationis inſtrumentū exſcripſeram *Catan. Decac. tom 1. Chord. 2. Mod. 3. fol. 45.* placet iterum hic replicare.

Reuiſio capitis ac viſcerum S. Agathæ Virginis & Martyris Catanenſis, habita die 19. Aprilis 4. Indict. 1501. die Lunæ, hora ſecunda noctis.

Reuerendiſſimus Iacobus Ramirez de Guzman Catanenſis Epiſcopus, vnà cum magnifico Aluaro de Paternione tanquam Patritio, D. Bartolomæo Aſmundo tanquam Iurato, magnifico Matthæo Iuuini tāquam Theſaurario, & Vicario in ſpiritualibus, Fr. Hieronymo de Aſmundo Vicario, Fr. Andrea de Paternione tanquam Decano maioris Eccleſiæ, ac magiſtro Vincentio Archipbel aurifice, fuerunt in cuſtodia Beatiſſimæ Virg. & Mart. AGATHÆ; dictuſq; Reuerendiſſimus Epiſcopus volens videre Caput dictæ Virginis, fecit aperiri quoddam cataractum in capite dictæ Virginis, & ſic extraxerunt Caput ibi poſitum, & inuenerunt illud purum, & immaculatum, habens capillos nonnullos ad colorem auellanæ. Oculi eius erant clauſi, Aures deſiccatæ, Os eius parum apertum, Dentes albiſſimi, pellis Faciei impaſſuluta, ſeu deſiccata, Naſus erat ſanus, & venuſtiſſimus: & coopertum erat caput quodam velo ſerico albiſſimo, ſano, & nouo. O mira res, quòd iam ſunt plures anni, quòd non eſt memoria hominum quòd tale caput apertum nunquam fuit à tempore Reuerendiſſimi Ioannis Piſcitelli Epiſcopi Catanenſis, quòd iam adhuc ſunt anni ſexaginta, vel circa. Et ſic poſtea viderunt intus Corpus eius & viſcera, atq; interiora arida, & quaſi impaſſuluta, odorantia omni mirabili odoramento, & refragantia Diuino odore. Et ſic omnes ibi aſtan-

adſtantes oſculati ſunt caput, & reposuerunt ad locum ſuum, & admirati omnes receſſerunt, deuote, & plenis lacrymarum oculis.

Ceterum quæ de *Ioanne Falco* Hiſtoriæ huius auctore ſcripſit *Pirrus* hic eodem *fol.* 60. hæc inquiens. *Hanc rem conſcripſit Fr. Ioannes de Falco Netinus ordinis Praedicatorum in quodam libro antiquo Conuentus S. Dominici extra mania vrbis Catana, qui appellatur Catalogus Sanctorum, & geſtorum eorum, editus à domino Petro de Natalibus:* Vehemens erga Netum Patria ſuam *Pirri* ſtudium præſeferunt, qui dum Patriam alienis honorare ſtudet honoribus, onerat potius, ac dehonorat. *Ioannes* ſiquidem *Falcus* patria fuit Catanenſis, noſtriq; Dominicani Cœnobij filius, vt vocant ac profeſſus, id quod pluribus euincebam *Caſan. Decach. tom.* 1. *Chord.* 2. *Modul.* 7. *fol.* 136. ſiſtam hìc ineluctabile recitati notamenti primigenium exemplar, quod diligentius aduertere debuerat, ne in ſcrobem hanc impegeret.

Hoc Notamentum extat regiſtratum manu B. Fr. Ioannis de Falco CATANENSIS, Ordinis Praedicatorum, in quodam antiquo libro Cõuentus S. Dominici extra vrbis mœnia, qui intitulatur Catalogus Sanctorum, & geſtorum eorum, edito à Domino Petro de Natalibus Epiſcopo Equilino, in poſteriori parte Codicis. Condonandum tamen *Pirro*, quem Patriæ affectus facilè ducit, ac circumducit, vt alienis creſcere illam putet iniurijs.

Æs Campanum tota Sicilia celeberrimum iamdiù fractum conflici denuò & augeri curauit anno 1503. hac in extremis illius oris adiecta Inſcriptione. *Iacobus Raimirez de Guzman natione Hiſpanus, S.T.D. Catanenſis Epiſcopus hanc diu fractam proprijs ſumptibus & conflici & augeri iuſſit, Anno M. D. III.*

Sed anno 1504. ſcribit Pirrus hic fol. 61. *ad Ilerdenſem Eccleſiam Valentiæ aſſumpto Iacobo, Iulius II. Pontifex, qui cum eſſet Cardinalis ab auunulo Sixto IV. Catanenſibus datus fuit Epiſcopus, cum Praeſulatũ Ioanni Cardinali Columnæ Diacono Tit. S. Mariæ in Aquiro contulit: mox Canonicorum Capitulum Cardinali poſſeſſionem tradidit. Perſcripſit verò Prorex 7. Septembris eodem anno irritam eſſe poſſeſſionem illam, cum Cardinalis non fuiſſet à Rege oblatus, quare omnia in priſtinum reducerent ſtatum.*

In Tabulis tamen noſtris nihil horum offendere licuit: quinimò ab anno iſto 1504. ad annũ 1508. qui eius vitę poſtremus fuit, ſacram Catanenſis Eccleſiæ Præfecturam iugiter tenuiſſe Iacobum edocemur.

Ne tamen hæc ad inuidiã collimata ſuſpiceris vt vel ſic obtrectatione alienę famæ nomen aucupari contendam, calamum altiùs adigam, vt rei ueritas in lectoris mente firmetur.

Anno itaque 1505. menſe Iunio die eiuſdem 18. plurimæ ab eo ſancitæ ſunt leges, quibus D. Agathæ monachi ad ſacrarum legum cuſtodiam, arctioremque regularis obſeruantiæ normam adſtricti ſunt.

Eodem inſuper anno 1505. ad

§. LXII.

GASPAR POV.

Anno Chriſti 1514.

AD Ilerdenſem Eccleſiam tranſlato, vt dicebam, *Iacobo*, Epiſcopus inauguratur *GASPAR POV*, & ipſe hiſpanus, ex præſentatione Regis *Ferdinandi in Monaſterio Valbonæ 26. Octobris* 1513. & Pontificio diplomate *Leonis X.* Pontificatus eius anno 1. conſecrationis munia condonantis.

De noſtro Præſule hæc in antiquo M. S. Codice offendere licuit. *Poſtmodum de iſto Epiſcopatu Catholicus Rexgratificauit Reuerēdiſſimum Epiſcopum Gaſparem Pou de Terra Lerida, & fuit capta poſſeſſio per Reuer. Dominum Ioannem Sanchez dicti Reuerendiſſimi amicum ſingularem, & loco eius rexit annis duobus, & poſtea venit dictus Reuerendiſ. Epiſcopus tempore quo erant maximæ reuolutiones in Ciuitate Catanæ, & perdurauit vita eius vſq; ad 8. Indict. menſe Octobris die 14. 1520. & poſtea fuit electus in dicto Epiſcopatu Matthæus genere Suizzerorum, qui erat primus Cardinalis in Conciſtorio Romanorum &c.*

Biennio poſt Catanam venit *Gaſpar*, è Cœnobio *D. Mariæ Nouæ Lucis* (quò ſe receperat) Pōtificio apparatu vrbem ingreſſus, ac ſolemniſſimè exceptus.

Rem hic opportunè referam, & fortaſſe peregrinam: mos erat antiquitus, vt quoties Epiſcopus Pontificio amictus ornamento vrbem Infulatus incederet, alter ex Collegiatę meæ Canonicis cū altero ex Cathedralis Eccleſiæ monachis ſiue Canonicis Baculū illi Paſtoralem inſimul geſtarent Ægrè id ferebāt monachi, nacta ideo occaſione, quàm maximè apud Gasparem inſtabant, ne ſuo tunc in Vrbem ingreſſu id Collegialibus honoramantum permitteret: acriter ex aduerſo contendebant Collegiales prærogatiua illa, vt aliàs potiri, neue aut iuribus ſuis excidere ſineret, aut è gradu, quo ſtabant, deturbari: hæc tamen contentionum diſſidia ita compoſuit Epiſcopus, vtrorumq; iura præſeruare ſtudens, vt ſcil. *in præſentaneo illo Pontificio ingreſſu neuter illorum Baculum geſtaret; ſed aliquis ex Epiſcopi capellanis, donec auditis vtriuſq; iuribus, quid iuridicè definiendum fuerit, ſanciatur.* Sed dubio iterum propoſito, req; ad examen vocata, Collegialibus Canonicis cauſam ab Epiſcopo adiudicatam docent Epiſcopij tabulæ ad diem 19. *Octobris* 15. *Indict.* 1526 è quibus deprōpſimus quæ candidè exhibemus.

Vicarium initio expręfecit *Hieronymum de Pou Canonicum Vigilenſem, ac Rectorem parochialis Eccleſiæ montis acuti* Ilerdēſis *Dieceſis & in eadem Eccleſia perpetuum beneficiatum:* poſtmodum *Benedictū de Aſmari* S. T. D. Catan. Eccleſiæ Canonicū, & Priorem, Regium Sacellanum, & *Ferdinandi Regis* Eccleſiaſtē, de quo nonnulla dicebam *Catan Decach. tom. 2. Chord. 9. mod. 8.* poſt cuius obitum

Fr. Mat-

Fr. Matthæũ Iuuini Cathedralis Eccleſię Priorẽ adlegit 16. maij.

A *Carolo V.* Siciliæ Rege futuro Romanorũ Imperatore Priuilegia omnia Catan. Eccleſiæ eiuſq; Epiſcopis à Siculis Regibus indulta, vt iterum rata firmaq; haberẽtur exorauit. En Diploma.

IOANNA & CAROLVS

Dei gratia Reges Caſtellæ, Aragonum, Legionis, Vtriuſq; Siciliæ &c.

Spectabilibus, Magnificis, dilectis Conſiliarijs, & fidelibus noſtris Viceregi, magiſtro Iuſtitiario &c.

Expoſitum extitit Maieſtatibus noſtris pro parte Reuer. in Chriſto patris, & dilecti Conſiliarij noſtri GASPARIS POV S. T. Profeſſoris, Epiſcopi Catanenſis, quòd Sereniſſimus Rex Alphõſus prædeceſſor noſter immortalis memoriæ ſuo cum opportuno Priuileg o dato in Ciuitate Catanæ die 17. menſis Iulij 1422. conceſſo Fr. IOANNI de PISCIBVS quondam Epiſcopo Catanenſi prouidit, ſtatuit, & mandauit, Officiales, domeſticos, factores, procuratores, & familiares ipſius Epiſcopi nullo pacto coram alio Iudice, aut Officiali quocumque, præterquàm coram ipſo Epiſcopo, tam ciuiliter, quam criminaliter conueniri debere. Et deinde per ſuas opportunas Prouiſiones datas in Caſtro Varoli die 3. menſis Decembris anno 1442. moleſte ferendo quòd Priuilegium præfatum præfato Epiſcopo & ſuis miniſtris conceſſum Officiales conabãtur infringere, eique contraire: prouidit, & mãdauit, præfato Epiſcopo, vnicuique domeſticorum, & Officialium ſuorum, & aliorum in dicto Priuilegio contentorum; Priuilegium ipſum ad vnguem obſeruari debere iuxta ſui ſeriẽ, & tenorem.

Poſteaque idem Sereniſſimus Rex per aliud Priuilegium datũ in Turri Octaui die 10. Decembris 15. indict. 1451. confirmauit omnes & ſingulas Prouiſiones, Literas, ac Priuilegia quomodocumq; & ſub quacumque verborum forma præfatæ Eccleſiæ Catanenſi, & eius Epiſcopis conceſſas, ſiue gratioſę, ſiue fauorabiles, aut iuſtæ eſſent, illaſque & illa GVILLELMO BELLOMO quondam Epiſcopo Catan. & cunctis alijs Epiſcopis ſucceſſoribus ſuis pure, ſimpliciter, & ſine vlla ſiniſtra interpetratione, & intellectu, ſed ſemper in fauorem ipſorum Epiſcoporum de nouo conceſſit.

Præterea Sereniſſimus, & Catholicus dominus Ferdinãdus pater & auus noſter, etiam clariſſimi nominis, per ſuũ opportunum Priuilegium datum Barchinone die 20. menſis Iulij 13. Indict. de quo quidem Viceregia opportuna executoria emanauit data in Vrbe Panormi die 8. mẽſis maij 14. Indiction. confirmauit, & de nouo conceſſit, & gratioſè donauit præfatæ Eccleſiæ Catan. Necnon BERNARDO quondam Epiſcopo ſuis Vicarijs, Iudicibus, Officialibus, domeſticis, & familiaribus, eorumque ſeruitoribus, & famulis omnes, & ſingulas Gratias, Prærogatiuas, Priuilegia, Immunitates, Libertates, & Exemptiones per

retro

retro Principes, & alios eidem Catan. Eccleſiæ, & Epiſcopis pro tempore exiſtentibus indultas, & conceſſas, ac quæuis Priuilegia, & Indulta ſub quauis verborum forma emanata, prout in dictis Priuilegijs, & Prouiſionibus, ad quæ, & quas habeatur relatio, latius dicitur contineri. Et quòd nonnulli ex vobis non obſeruatis, nec obſeruari faciti eadem Priuilegia, ſiue gratias, prærogatiuas, libertates, exemptiones, & indulta præfato Epiſcopo Catan. nec ſuis officialibus, familiaribus, & famulis, aliſq; in eiſdem Priuilegijs contentis, in maximum quidem eiuſdem Epiſcopi, & ſuorum officialium, familiarium, & aliorũ prædictorum damnũ, euidenſq; præiudicium, & grauamen.

Qua propter pro eiuſdem Epiſcopi parte Maieſtatibus noſtris fuit humiliter ſupplicatum, vt prædicta Regia Priuilegia, Prouiſiones, omniaq; & ſingula in eis contenta eidem Epiſcopo, & alijs prædictis de opportuno Iuris, & Iuſtitiæ remedio ipſis cõſulere, ex noſtra ſolita benignitate dignaremur.

Nos verò ſupplicatione prędicta tanquam iuſta, & rationi cõſona benignè exaudita, volentes ſuper his debitè prouidere, præſentes duximus concedendas, quarum tenore ex noſtra certa ſcientia, deliberatè, & conſulto, vobis & vnicuiq; veſtrum, ad quem ſpectet, dicimus, & diſtrictè præcipiendo mandamus ſub iræ, & indignationis noſtrę incurſu, pænaq; vnciarũ mille ab vnoquoque veſtrũ contrafacientibus quod non credimus, irremiſſibiliter exigendarum, & noſtris inferendarum ærarijs; quatenus præfato Epiſcopo Catan. eiuſq; Vicarijs, Iudicib', Officialibus, domeſticis, & famulis prædicta Regia Priuilegia, & Prouiſiones, ac omnia & ſingula in eis contẽta obſeruetis, & obſeruari faciatis inuiolabiliter, iuxta ſui ſeriẽ, continentiam, & tenorem pleniores; ac ſic prout illis meliùs, & pleniùs hactenus vſi ſunt, & fuit vobis commiſſum, & contrarium non faciatis ratione aliqua, ſiue cauſa, ſi gratiam noſtram charam habetis, & præappoſitam pœnam cupitis euitare, cum ſic Iuſtitia ſuadente ex mente noſtra procedat.

Datum in Ciuitate Cæſaraguſta die 22. menſis Decembris 7. Indict. anno à Natiuitate Domini 1518.

YO IL REY.

Regium hoc mandatum Vicere gia fuit executoria, vt dicimus, obſeruatum, ſcriptis literis *Panormi* 3. Iulij 14. Indict. 1525. & iterum 26. Octobris 15. Indict. 1526.

Sub idem anni ſpatium grauia inter Fratres Minores, quos *de Familia*, ſiue Obſeruantes vocant, eoſue, quos *Conuentuales* appellamus, orta ſunt de præcedentia in Proceſſionibus litigiorum certamina. Contendebant *Conuentuales* digniorem ſibi locum deberi, & quia vel ab ipſa adnaſcentis Religionis infantia *Catanæ* ſedem habuerunt, & Cœnobium; & quia Minorum Conuentualium nomen ab ipſius quaſi ſurgen

ſurgentis Religionis exordijs adi unctum fuit, *Innocentio IV.* id indulgente anno 1250. Reformatio verò fratrum de Familia ſiue de Obſeruantia nuncupata cœpit anno 1414. quam *Eugenius IV.* anno 1447. à Conuentualibus exemit, illæſa tamen & intacta Religionis vnitate ſub vna Conuentualium generali Præfectura. Expoſtulabant ex aduerſo *Obſeruantes* honoratiorem ſibi gradum iure deberi ex *Bulla Leonis X.* quam vocant Vnionis, & Concordiæ, nouiſſimè emanata de anno 1517. qua inter alia Miniſter Generalis Obſeruantium totius ordinis caput ac Miniſter expræficitur; & præterea quòd Conuentuales digniorem locum vbiq; locorum in Proceſſionibus cæteriſq, publicis Functionibus cedere teneantur Obſeruantibus, expreſsè ſancitur. Iuribus vtriuſq; perpenſis, cedentibus præſertim *Fr. Nicolao de Dominico* Meſſan. Cuſtodiæ Conuentualium Præfecto, & *Fr. Antonio de S. Martino* Regij huius Serafici Cõuentus Guardiano, fratribus obſeruantibus præcedentia data eſt quam Epiſcopalis probationis vallo firmauit *Gaſpar* Antiſtes noſter 27. Iulij 6. Indict. 1518. eoq; Iure fratres illi ad noſtram vſq, ætatẽ vſi ſunt. Nunc autem ad examen vocata coram ſacro Purpuratorum patrum (Regularium negotijs præpoſitorum) Senatu de præcedentia inter Patres iſtos Controuerſia (cuius deciſio in dies expectatur) *Conuentuales* ad publicas Proceſſiones, ne Iura ſua temerari alias contingat, accedere nõ compelluntur.

Nouo ſubeunte anno 1519. Apoſtolicus Delegatus, ſiue commiſſarius in Sicilia pro exigendis prouentibus *SS. Cruciatæ*, ac piorum legatorum incertis perſonis erogandorum conſtituitur noſter Antiſtes, ex Pontificio Diplomate *Leonis X.* ſub dat. Romę 16. Martij Pontificatus eius anno 7.

Proximo tandem anno 1520. è viuis ereptus eſt menſe octobris die eiuſdem 14. quo tempore Catanam Vrbem, vniuerſam præterea Siciliam ſæuus peſtilentiæ morbus afflictabat.



§. LVIII.

MATTHÆVS CARDINALIS SEDVNENSIS.

Anno à Dei filio in terris nato 1520.

SVum vt obijt diem *Gaſpar Pou* illicò ſufficitur Epiſcopus *MATTHÆVS SCHINER*, natione Heluetius, tit. S. Puden-

tianæ Presbyter *Cardinalis Sedunenſis* vulgo nuncupatus, eò quod *Seduno* vrbe natus, eiuſdem Sedunenſis Eccleſiæ perpetuus eſſet Commendatarius & Adminiſtrator, Marchio Vigli, Comes, & Præfectus Valleſij, *Carolo* V. efflagitante, annuente item *Leone X.* ſcriptis Romæ literis anno Pontificatus eius 8. ſalutis 1520. die X. Octobris.

Epiſcopus inauguratus *Petrũ Ghebruler* ad creditam ſibi Eccleſiam regẽdam *Procuratorem, Gubernatorem, ac Generalem Vicarium* tranſmiſit. Hic Matthei nomine Epiſcopatus poſſeſſionem indeptus eſt X. Decembris 1520.

Spolijs omnibus *Gaſparis Pou* prædeceſſoris Epiſcopi deceſſu ad Regis ærarium deuolutis, fructibus item omnibus Epiſcopali Interregno perceptis a *Carolo Rege* donatus eſt, ſcriptis literis Viennæ 6. Maij 1521.

Anno tandem vno ac altero ab aſſumptione ſua nõdum elapſo è viuis ereptus eſt *Romæ* 14. *Octobris* 1522. et in Templo Theutonicorum ſepultus, cum creditam ſibi Catan. Eccleſiã nequaquam vidiſſet.

De eo in Antiquo quodam Manu exarato Codice hæc lego. *Poſtea fuit electus in dicto Epiſcopatu Matthæus, genere Suizerorum, qui erat primus Cardinalis in Conciſtorio Romanorum, & pro eius induſtria fuit factus Papa Reuerẽdiſſimus dominus Adrianus Vltramõtanus, qui perduravit per annos duos in dicto ſtatu Papatus; & dictus Cardinalis mortuus fuit ante dictũ Papam per ſex menſes, die 14. octobris X. Indict. 1522. in Roma pro vulnere peſtis; & ſic bucuſq; nunquam fuit dictus Epiſcopus in dicto Epiſcopatu.*

Præclara *Matthæi* facinora ſcitè ex induſtria recenſet *Alphonſus Ciaconius in Epitome Roman. Pontificum in Iulio II.* cuius cenſionẽ præſtat hic innectere ingentia facta paucis perſtringentem.

Matthæus Schiner (cui Longo cognomen fuit) natione Heluetius, Seduno vrbe natus, genere quidem humilis, ſed animi virtute ſublimis. In Italiam puer miſſus Italicã Latinamq; Linguam Comi ſub Theodoro Lucino perdiſcens, robuſto auidoq; ingenio dignam non ſolum Germano, ſed etiam Italo hominẽ ſcientiam, & excultam rerum cognitionem comparauit. Vnde integris iam moribus ſpectatus à Sedunenſibus Epiſcopus per ſuffragia delectus, Mitra Sedunenſis Sacerdotij à Pontifice exornari poſtulatur: qua dignitate recepta, ſacras in Templo habere conciones, diſſidia inter ciues componere, ſobrijs & caſtis moribus, exemplo, omnibus eſſe ſatagebat: ſic magna apud Heluetios collecta auctoritate cum à Ludouico Galliæ Rege Iulius Pontifex infauſta Concilij auctoritate premeretur, Iulius ab Hiſpanis, Britannis, & præſertim Heluetijs, opera Matthæi, opem implorabat. Qua in re ita pie ac integrè ſe geſſit, vt à Iulio II. in honorem Heluetiæ gentis Presbyter Cardinalis tit. S. Pudentianæ tit. Paſtoris electus fuerit. Qui poſtea Epiſcopus Nouarienſis,

uarienſis, & ad vniuerſam Italiam Legatus fuit, & Pontificis iuſſu ad Heluetios miſſus, ita eos contra Gallos acriter, & fortiter concitauit, vt eorum virtute, & conſtantia Matthęus electos Ticino Gallos, Ciſalpineque Galliæ imperio exactos vltra Alpes reiecerit. Quibuſcum poſtea Inſubriam inuadentibus, Heluetiorũ copias hortatus, equo inſidens, rubro Galero, & Cruce erecta conſpicuus parum fæliciter conflixit. Sed à Leone X. rurſus in Italiam Heluetij exciti, Mathæo duce, Gallis iterum à tota Inſubria repulſis, Parmam, & Placentiam ſuis viribus Sedi Apoſtolicæ reſtituerunt. Obijt Matthęus Romę ſub Hadriano Papa VI. ãno 1522. die 2. Octobris, & in Eccleſia Theutonicorum ſepultus eſt. *Ita Ciaconius alibi in omnibus accuratus, ſi creditam Catanenſem Eccleſiam Matthæo non prætermiſiſſet.*

§. LXIV.

POMPEIVS CARDINALIS COLVMNA.

Anno Chriſtianæ ſalutis 1523.

IN Catanienſi Cathed. colloca tũ *POMPEIVM COLVMNA* S. R. E. Cardinalẽ anno 1523. auctor eſt teſtiſq; *Aloyſius Lellus Hiſtor Montis regalis parte 1. fol. 103.* quẽ ſecutus eſt *Rocchus Pirrus hic fol. 62.* hæc inquiens. *Pompeius Colũna Romanus Patritius Cardinalis fit. SS. Apoſtolorum anno 1517. 2. Iunij à Papa Leone X. electus, à Clemente VII. Pontifice in publico Cardinalium Conſiſtorio die 7. Februarij 1523. Epiſcopus Catanenſis declaratur. Mox eum Præſulatum in gratiam Marini Cardinalis reſignauit: & Pompeius ipſe Monteregalenſis Archiepiſcopus inauguratur.* Hæc tamen in noſtris tabularijs non inuenio: fides ideo ſit penes laudatos Auctores: fontem, è quo hæc hauſimus, indigitaſſe ſit ſatis.

§. LXV.

MARINVS CARDINALIS CARACCIOLVS.

Anno reparati Orbis 1524.

POmpeio itaq; ad Monteregalenſem Eccleſiam euecto, Catanenſis Epiſcopus à Carolo V. nominatur *MARINVS CARACCIOLVS* S. R. E. Cardinalis Diaconus tit. S. Mariæ in Aquiro, patria Neapolitanus, præclaro genere exortus, à Regis primùm conſilijs, mox ſub Rege *Ferdinando* in Neapolitano Regno Pro-

thonotarius, in *Concilio Lateranenſi* aduerſus Piſanum Conciliabulum anno 1511. coacto, anno tandem 1517. peracto, pro *Duce Mediolani* Orator interfuit. Apoſtolicæ etiam Sedis Legatus ad *Carolum V.* in Germania anno 1520. vt *Martini Lutheri*, eiuſque gregalium errores, qui iam tunc aduerſus ſupremam R. Pontificis poteſtatem, in contemptum clauium, fideiq; catholicæ deſpectum, ad inſaniam vſq; pullulabant, vel comprimeret, vel ad ſaniora reuocaret: ac tãdem poſt *Matthæi Cardinalis Sedunenſis* obitum, vt ego dicebã, vel *Pompeÿ Cardinalis Columnæ* reſignationẽ, vt ſcripſere *Lellus & Pirrus, à Carolo V.* Catanenſis Epiſcopus conſtituitur, ſcriptis literis *Burgos* 16. *Aprilis* 1524. Leone X. calculum terente.

Nec multo poſt, ijſdem Pontifice Regeq, conſentientibus, eo Præſulatu ſe abdicauit, & reſeruato, vt aiunt, acceſſu, & receſſu, primùm *Scipioni* fratri, quo decedente, iterum in gratiam *Aloyſij* nepotis, & tandem, hoc è uiuis ſublato, ad fauorem *Nicolai Mariæ* etiam nepotis eandem Eccleſiã reſignauit, vt mox dicã.

Clauſula porrò hęc *Cum acceſſu & receſſu* illud importabat: vt ſi is, ad cuius fauorem *Marinus* Eccleſiam reſignaſſet, Epiſcopatui cederet, aut decederet, vel alio quouis modo præeſſe deſineret, vel Eccleſia ipſa etiam apud Apoſtolicam Sedem quouis modo vacare contingeret, liceret eidem Marino liberũ ad prætactam Catan. Eccleſ. habere regreſſum, illiuſq; regiminis, adminiſtrationis, bonorum denique poſſeſſionem libere, propriaque auctoritate apprehendere, illiq; vt prius præeſſe, non ſecus ac ſi regimini & adminiſtrationi prædictæ nequaquam ceſſiſſet.

Huiuſmodi autẽ Reſignationes noſtro hoc ęuo vetitę ſunt Pontificijs ſanctionibus *Pÿ IV.* ac *Pÿ V.* quorum alteram in *Bullario Laertÿ Cherubini* in ordine 85. datã Romæ 16. Octobris 1564. alterã in eodem Bullario ordine etiam 85. editam XI. Iunij 1569. apud laudatum Auctorem & alios paſſim offendere cuiq, obuium erit & promptum.

Sub cuius anni ſpatium in contradictorio iudicio de viribus primi & ſecundi Iudicij, quo potitur Catanenſis Epiſcopus, agitata eſt queſtio, eique adiudicata. *Die 7. Iulÿ 12. Indict.* 1524. en illã.

De facto magnifici Clerici Io. Baptiſtę la Scaletta petentis cõtra aſſertum Clericum Marianũ Annettino, quòd dictus Marianus nõ Audiatur in Regia Monarchia, ſed cauſa remittatur ad Curiam ſecundi Iudicij Reuerẽdiſſimi Domini Epiſcopi Catanenſis, qui habuit & habet primum & Secundum Iudicium, attento quòd non venit cum Eulogio, & Actis terminatis ad petendum aſſertum diſgrauamen, Iuribus, & Cauſis in Effectu, & Scripturis contentis, & declaratis, Commiſſo Reuer. Dom. Thomæ de Belloraſo Canonico Panormitano, ac Iudici Eccleſiaſtico, cũ conſilio Regiæ Curię vigore ſupplicationis cum decretatione in

dorſo

dorſo, tenoris ſequẽtis. Videlicet.

Ieſus. Fuit prouiſum per dictũ Reuer. Dominum Thomam de Bellorafo Iudicem, qui ſupra, cum Conſilio Magnæ Regiæ Curiæ. REMITTATVR.

Hæc ideò dixi, vt vel ſic certius conſtet, num ſolidè ſubſiſtat Rotalis Deciſio, quam in examen vocabam §. 16. *Sect.* 13. *fol.* 120. Prærogatiuã hanc pro Catan. Epiſcopi à Iure Metropolitico Mõtiſregalis exemptione non fuiſſe cõcludenter probatã, aſſeuerans

§. LXVI.

SCIPIO CARACCIOLVS.

Anno Chriſti 1524.

REſignato, vt dicebam, per *Marinum* Catanenſi Epiſcopatu, *SCIPIO CARACCIOLVS* Marini præceſſoris sãguine & virtute germanus frater, Catanenſi Eccleſiæ præficitur Antiſtes à *Clemente VII.* non à *Paulo III.* vt malè ſcripſit *Pirrus hic fol.* 62. ex Apoſtolico Reſcripto *Romæ apud S. Petrũ 4. Kal. Auguſti* 1524. Põtificatus ſui anno primo; *Carolo V. Cæſare* vrgente, qui & Sedis vacantis prouentus eidem Scipioni conceſſit, ſcriptis ideo Literis Burgos 24. Maij 1525.

Ad creditam ſibi Eccleſiam adminiſtrandam regendamq; procuratorem Rectoremue tranſmiſit *Io. Baptiſtam Caracciolum* eius germanum; qui *Scipionis* nomine Epiſcopatũ init 19. Ianuarij 13. Ind. 1534. Ipſe verò vrbem aduentauit 17. Iunij. Vicea ſuas gerentem primò conſtituit *Bernardum Mancinum* V. I. D. Catan. Eccleſiæ Canonicum, Priorem S. Mariæ de Caua; tum *Marſilium de Puteo* Abbatem, & Reginenſis Eccleſiæ Canonicum.

Sacrorum Canonum inhærẽs ſanctionibus, Diœceſanam Synodum habuit 19. Februarij eodem anno 1524. Quia tamen humana ſic ferunt quandoq; conſilia, vt quæ vel prouida deliberatione ab initio conſtituuntur operæ pretium ſit ſpe melioris futuræ frugis poſtea immutare, quæ in in hoc Synodio ad Cleri diſciplinam, morumq; reformationem ſalubriter ſancita fuerant, ex aliis non minus iuſtis, quàm rationabilibus cauſis immutata ſunt, ac moderata per *Alphonſum Caracciolum* illius ſucceſſorem 20. Septembris 1533.

Pecunias ex redditibus Epiſcopatus ad Baſilicæ Cænob. quæ ædificia reparanda aliàs deſtinatas, ab Rectoribus muneri illo expręfectis, quos *Operis Magiſtros* appellamus, expendendas voluit, erogandaſque. Idquod mãdauerat etiam *Cæſar* ſcriptis literis 13. *Aprilis* 1524.

Feſtum *S. Anaſtaſiæ*, quod in oppido Mottæ ſolemni ritu quotannis agebatur die 12. Maij *Diuo Philippo Agyrenſi* ſacra, ne illius ſolemnijs eſſet impedimento, in primam poſt feſtum *Pentecoſtes* Dominicam per annua reuerticula tranſtulit celebrandũ, ſcriptis literis Catanę 13. Martij 1525.

Suos ipſius domeſticos, familiares, officiales, &c. ex Regis imperio

perio ſuæ ipſius iuriſdictioni ſubiectos iam, atq; à Regiorum adminiſtrorũ iuribus exemptatos, vt alibi dicebam, eadem cohone ſtandos immunitate, neue ſuo deturbarẽtur exemptionis gradu comendit, exoratis à Prorege literis *Panormi 26. Octobris 15. Ind.* 1526. quas placuit exſcribere.

CAROLVS ET IOANNA &c.

Præſidens, &c. Magnifico Capitaneo, eiuſq; Iudici, ceteriſq; vniuerſis & ſingulis Officialibus Clariſſimæ Ciuitatis Catanæ præſentibus, & futuris, cui, vel quibus præſentes præſentatæ fuerint, fidelibus regijs dilectis ſalutem.

Perchi da parti di lo Reuerendiſſimo Epiſcopo Catanenſi ni è ſtata eſhibita, e preſentata vna Vicereg a prouiſioni ſopra la apportatione di li Armi di li ſoi officiali, familiari, ſudditi, e gabbelloti, tenoris ſequentis.

CAROLVS ET IOANNA.

Vicerex in dicto Regno Sicilię Magnifico Capitaneo, eiuſq; Iudici, cæteriſq; vniuerſis & ſingulis Officialibus Clariſſimæ Ciuitatis Catanæ præſentibus, & futuris: cui, vel quibus præſentes præſentatæ fuerint fidelibus Regijs dilectis ſalutem. Dudũm fuit nobis porrecta ſupplicatio tenoris ſequentis, videlicet.

Exponiſi Reuerenter à V. S. Illus. da parti di lo Reuer. Sig. Epiſcopu di Cárania; cum ſit, como V. S. Illus. sà, tam ex forma Iuris, quam Capitulorum Regni, & Conſuetudinum ipſius, ipſo Reuer. Epiſcopo ſupplicãti, ſoi Officiali, Miniſtri, domeſtici, & commenſali foru, e ſu penitus exempti di la Iuriſdictioni tẽporali, ſubditi alla Iuriſdictioni Spirituali, la qual coſa non aduertendo lo magnifico Capitaneo di dicta Citta, & altri Officiali, più volti preſumino, e tentano canuſciri di ditti perſuni ciuiliter, & criminaliter, prohibendoli la apportationi di l'armi, nõ obſtanti la ditta exemptioni, e prouiſioni di li retro Principi, e Priuileg j concelſi à ditto Reuerend. Epiſcopo e ſoi Predeceſſuri, di modo chi la Iuriſdictioni Eccleſiaſtica è quaſi deiettata, e miſa per terra, e non ſolum non diui eſſiri derogata, imò ampliata, e fauorita, comu di Iuſtitia ſi riquedi, per non ſi incurriri in li pẽni e cenſuri Eccleſiaſtici. Per tanto iſſo Reuerendiſſ. Epiſcopo recurri à V. S. Illus. & quella ſupplica li faza gratia gratiuſi per ſoi patenti littiri, e comandari, che ditti Officiali tẽporali, e maſſi nè d. mag. Capitanio preſenti, & in futurum de cetero non diggiano, ne preſumano canuxiri di ditti perſuni, ne di ditta Iuriſdiction. Eccleſiaſtica, ne in quilla modo alcuno interpoſiriſiano ſuccedente caſu, ſingulis vicibus, remetturi à ditto Reuer. Epiſcopo loro Iudici competenti, ne ancora prohibiriſi la apportationi di li armi, attento, prout dictum eſt ſupra, loro non tenino Iuriſdictioni alcuna, imò foru, e ſu ſudditi à ditto Reuerendiſſimo, ac etiam li ſiano oſſeruati tutti li Priuilegij, Prouiſioni indulti a ditto Epiſcopatu, comu di iuſtitia ſi riquedi, vt Altiſſimus.

Panor-

Panormi die 3. Iulij 14. Indict. 1526.

Ex parte Illustrissimi Domini Proregis fuit prouisum, Fiant literæ iustificatæ sub visione M. R. C.

Visaq; exinde & diligenter recognita præinserta supplicatione per eamdem M. R. C. cum eius voto, deliberatione, & consilio Prouidimus, & harum serie vobis dicimus, committimus, & mandamus expresse, quatenus exequendo & obseruando Reuerendissimo exponenti li Priuilegij, e Prouisioni à ditto Episcopo, e soi Predecessuri concessi, secundo la loro continentia e tenuri, nullo modo de cetero vi intromittiriti, ne pacto aliquo canuxiriti di ditta Iur. sdict. Ecclesiastica, maximè di ditto Reuerendissimo exponenti, e tutti soi officiali ordinarij, siruituri, familiari, domestici, commensali, seu quilli che continuo mãgiano, e dormino in Palazo di isso Reuerendiss. e sua Ecclesia, quoniam, vt dictum est, soru, e sunu sudditi à ditto Reuerendissimo, e sua Iurisdittioni Ecclesiastica. Ne ancora prohibiriti, Imo permitteriti, como Noi per la prisenti permittemo, e damo licentia à ditti soi officiali ordinarij, commensali, e domestici preditti, possano portari l'armi preditti di notti e di lorno di loro difensioni tantum, e succedente casu che fussiro innanti vui ciuiliter e criminaliter conuenti, singulis vicibus li remittiriti, comu nui per la presenti li rimittemo à dittu Reuerendissimo Iudici competenti, quoniã de Iure nemo potest falcẽ suã in messẽ alienã interponere, cauti à contrario, nullo alio à nobis expectato mandato, deliberatione, siue consulta, nec prẽsentiũ reuocatoriam exequendo, nisi fuerit absoluta parte citata, & audita, iuxta Regni Capitula, sub pæna florenorum mille Fisco Regio applicanda.

Datum Panormi 5. mensis Iulij 14. Indict. 1526.

Il conte de Monte Leone.

Dominus Vicerex mandauit mihi Guillelmo Sosa, visa per Thomasium Donatum Thesaurarium, & Moncadum F. P.

E perche si cõtradici alla ditta apportationi di l'armi per li Gabelloti di ditto Episcopato, asserendo ipsi non essiri officiali, e perciò nõ diuiri essiri permissa la apportationi di l'armi, como li altri officiali, domestici, familiari, e subditi di ipso Reuerendissimo Episcopu, e da parti sua si allega ditti gabelloti, per causa che si exigino, & hanno li ragioni Episcopali, & multi che incurrino in li peni di li gabelli li constringino a pagari, e quilli su riputati, & hauuti, e su etiam officiali, e merito diuino portari l'armi per li coattioni, che fanno, como li altri, e nullo modo li diuino essiri vetati, maxime quòd per testes receptos super apportatione armorũ & subditorum dicti Episcopatus, constat gabelloros, & omnes alios officiales semper apportasse arma, & in hac possessione fuisse, & esse dictam Ecclesiam, & hoc modo fuisse interpetratum priuilegium ipsius, & tanto plus, quia de Iure isti gabelloti

belloti, qui publicani dicuntur, officiales intelliguntur. Per tanto a ſupplicationi di iſſo Reuer. à nui di ciò fatta, hauendo reſpetto nui ali coſi premiſſi, e che ipſi Gabelloti funguntur iure aliorum officialium dicti Epiſcopatus, pro faciliori exemptione; & maxime pro exactione pęnarum ad quas incurrunt, & tenentur ad ſolutionem gabellarum dicti Epiſcopatus, opus eſt pro eorum tuitione, quod deferant arma. Vi dicimo, e comandamo, che oſſeruando & exequendo li preinſerti prouiſioni, tanto per li perſuni contenti in quilli, quanto ancora per ditti gabelloti, nullo modo vietiriti, ne moleſtiriti, ne prohibiriti la apportationi di l'armi, como per ditti Prouiſioni ſi conteni, ad ipſi Gabelloti, imo permittiriti quelli portari iuxta la forma dili preinſerti littiri, comu li ponno portari li altri, à cui ſu prouiſti, e per lo paſſato è coſtumato, e permiſſo portari liberè, & impune. Et præmiſſa cum effectu exequamini ſub pena florenorum mille Fiſco Regio applicanda.

Dat. Panormi die 26. Octobris 15. Indict. 1526.

Henricus de Cardona Archiepiſcopus.

Paria ad idem ſunt exorata Viceregia præcepta anno 1528.

CAROLVS, & IOANNA &c.

Vicerex &c. Vniuerſis & ſingulis Officialibus Clariſſimæ Ciuitatis Catanæ, & Regni, tam præſentibus, quàm futuris, cui, vel quibus præſentes præſentatæ fuerint, fidelibus Regijs dilectis Salutem.

Siamo ſtati informati da parti di lo Reuerendiſſimo Sig. Epiſcopu di Catania, cum ſit quòd ex forma ſuorum Priuilegiorum & obſeruata conſuetudine in ditta maiori Eccleſia, & Epiſcopatu, tanto ipſo Reuerendiſſimo Epiſcopo, quanto ſoi Predeceſſori habbiano e ſtāno in poſſeſſioni vel quaſi, ch'in tēpo di la difiſa nixuno officiali del Regno maiuri e minuri nō può ne diui intrari in li boſchi di ditta maiuri Eccleſia di ditta Citati, tanto in li boſchi grandi di ditta Cità, quanto in lo Maſtratico, e terri burgenſatichi dilo territorio di Maſcali, teniri, ne canuxiri di la biſtiami, paſturi, picurari, & altri, che veninu di qualſiuoglia parti dilo Regno con loro beſtiami, che ſtanu in ditti lochi e Terri, eccetto ditto Reuerendiſſimo Epiſcopo, e ſoi officiali, tanto in ciuili quāto in criminali, & durante tempore difiſę, ditti beſtiami, paſtur, e porchari, & altri genti chi ſtāno in ditti boſchi e terri, poni o per vſu loro teniri ſali, e prindiri ſali di la ſalina ad eorum libitum voluntatis ſine aliqua prohibitione. Per queſto ditto Reuerēdiſſimo Epiſcopo exponenti hauihauuto ad Nui ricorſo, e ſupplicatoni, ni dignaſſimo prouidirlo de aliquo Iuris remedio: alla quali ſupplicationi comu iuſta inclinati hauemo prouiſto, e per la priſenti vi dicimo, e comandamo expreſſe, quatenus manutenendo d. Reuerendiſſimum Epiſcopum, & eius officiales in eius poſſeſſione vel quaſi; non permittiriti coſi come nui per la preſenti non permittimo, che nixuno offi-

no officiali di qualsiuoglia magistratu di ditta Cità, e del Regno, maiuri e minuri, durante ipsa difisa, pozza ne diggia intrari in dicti Boschi, e terri, e qua tenus alcuno duranti ditta difisa fussi molestato innanti vui ciuiliter & criminaliter, eo ipso lo debiati rimettiri à ditto Reuerendissimo Esponenti, e soi officiali, cosi como noi per la presẽti quilli remettimo: permettendo etiã che ditti Bistiamari, pasturi, picorari, & altri genti, che stanno in ditti boschi e terri in ditto tẽpo di la difisa, pozzano e vagliano teniri, e prindiri sali di la salina pro eorum vsu, prout consetum est, quoniam per testes receptos in M. R. C. die 5. Nouembris x. Indict. prẽter. nobis constitit de dicta possessione, nullo alio à nobis expectato mandato, deliberatione, siue consulta, nec præsentium reuocatoriam, seu contrariam exequendo, nisi fuerit absoluta parte citata & audita, iuxta Regni Capitulum, sub pẽna florenorum mille Fisco Regio applicãda: & si aliquis senserit se grauatum, comparcat coram nobis, & M. R. C. & prouidebitur de Iustitia.

Datum Panormi die 3. mensis 6. prim. Ind. 1528.

Il Duca di Monteleone.

Acria Scipionem inter & Catanensem Senatum exorta sunt dissidiorum certamina pro iurisdictione contendentes, quæ tãdem per transactionem composita sunt. Pactionũ leges exscriptas legere est apud tabulas *Antonini de Iordano Messin. . . Iunij 1529.*

A

Eius item industria factum est, vt quod iamdiu in Foro fuerat disceptatum, Episcopo ad iudicaretur 29. Iulij 2. Ind. 1529. quod scil. *Catan. Episcopus restituatur, & reintegretur in pristinam possessionem, vel quasi, & ad statum libertatis concedendi terras Ecclesiæ Catan. & maximè NEMORIS dictæ maioris Ecclesiæ liberè, & absque inhibitione Iuratorum ipsius Ciuitatis, ad effectum illas plantandi,* B *& vineandi, tã ad emphiteusim, quã aliis modis, & prout ipsi Episcopo benè visum fuerit.* Emanatis ad rẽ literis, quas obseruatoriales vocant, 7. Augusti, transcriptis in Tabulario Senatus ad diem 13. eiusdem mensis.

Prẽclara *Scipionis* facinora multò maiorem laudem, nominisq; gloriam peperissent, ni talẽ virũ fatalis naturę humanę necessitas medio curtu sublatum e viuis eripuisset *Messanæ 28. Octobris 1529.* C

§. LXVII.

ALOYSIVS CARACCIOLVS.

Anno à Virginis partu 1530.

D

POst *Scipionis* obitum *Marinus* præcessor, ex Regressus facultate, *Aloysio Caracciolo* ex fratre nepoti, *Carolo V. Cæs. & Clemẽte VII.* Pont. assentientibus, Episcopatum resignauit, scriptis literis *Bononiæ* (conuenerant tunc in vrbe illa Pontifex & Cæsar) 26. *Nouembris 1529.*

Interim Catan. Canonicorum Capitulum Ecclesiam, vtpotè pa-

ſtore viduatam, Epiſcopali Sede vacante, regebat. Vicarios ideò Generales electos legimus *Hieronymum Siſmundum*, & *Hieronymum Bonaiuto Canonicos*. Viſitatores verò per Diœceſim deſignatos *Antoninum Raimundettum Decanum, Guillelmum Monſecatũ, & Iacobum de Alexandro Canonicos.* Marſilius verò Abbas Marini Vicarius Epiſcopalem hanc Cathedram nequaquã vacare, ſed ſupereſſe adhuc Epiſcopum, *OB REGRESSVM*, contẽdebat, quod & obtinuit, cauſa ſibi adiudicata 23. Auguſti 1530.

ALOYSIVS igitur, quẽ nonnulli *Ludouicum* dixere, per *Marini* reſignationem ex *Clementis VII. Rescripto Romæ* 20. *Octobris* 1530. *Pontificatus anno* 7. Catanẽſis Epiſcopus inauguratus, procuratorem tranſmiſit *Domitium Caracciolum*, qui Aloyſij nomine Eccleſia potitus eſt 15. Martij 1530.

Vicarium expræfecit ſæpe dictum *Abbatem Marſilium de Puteo*: quo defuncto, *Antonium Gotho* Meſſanenſem, Prothonotarium Apoſtolicum, Regis Sacellanum, ac S. Crucis Priorem: eo tandem amoto, *Fr. Guillelmũ Bonaiuto* Canonicum ac Theſaurarium Catan. ſubrogauit. Aliũ addit *Pirrus hic fol.* 63. *ſcil. Antonium Raimundettũ* Decanum; In noſtris tamen tabularijs id minimè licuit offendere.

Iura & dirictus *Dohanæ* in maritima Iacis à *Catanenſibus Epiſcopis* alias exigi ſolita, prauorum hominum aſtubus, Regis nomine, per ſummam nequitiam inculca

A ta, ac penitus vſurpata, vt *Catan. Eccleſiæ* iterum reſtituerentur effecit, obtenta in contradictorio Iudicio aduerſus Regium Fiſcum ſententia 6. *Martij V. Indict.* 1531. En illam.

Prouiſum eſt, quòd dictus Reuer. Epiſcopus, & eius yconomus & procurator reſtituatur, & reintegretur in eius priſtina poſſeſſione vel quaſi dictæ Iuriſdictionis Iuris percipiendi dicta Iura, B & dirictus DOHANÆ MARIS, & lictorum maris dicti Caſtri, Terræ, & Territorij IACIS, omnium rerum, raubarum, & mercantiarum extrahendarum per mercatores, & emptores illarũ in dicta Terra per mare: dictuſq; procurator Fiſci condemnetur, prout eum nos condemnamus, C ad reſtituendum Actori prædicto dictam poſſeſſionẽ ſeu quaſi dictæ Iuriſdictionis Iurium DOHANÆ maris omnium rerum, raubarum, & mercantiarum extrahendarum per mare à dicta Terra, & Territorio ipſius per emptores, & mercatores, prout erat ante ſpolium, vna cum emolumẽtis perceptis iam per dictũ nobil. Procuratorem Fiſci auditum in defenſionibus ſuis iuxta formam Ritus. Ab alijs verò D dictus nob. procurator Fiſci abſoluatur, & liberetur, prout eum abſoluimus, & penitus liberamus. *Pronuntiata Panormi die* 6. *Martij* 5. *Indict.* 1531.

Graues æquè ac diuturnæ ſuper *Iure pajcendi in terris Nemoris Aloyſium* Epiſcopum inter, & *Catan. Senatum* obortæ ſunt contẽtiones

tiones (quas nec vacat, nec lubet exſcribere) quæ tandem pertranſactionem compoſitæ ſunt. Pactionum leges exhibent *Epiſcopij tabularia ad diem* 10. *Iulij.* 4. *Indict.* 1531.

Iuriſdictionis Eccleſiaſticę vindex literas à Siciliæ Prorege exorauit, quibus creditæ ſibi Eccleſiæ aliàs indulta Priuilegia indiminute ſeruarentur.

CAROLVS & IOANNA.

Præſidens in dicto Siciliæ Regno Spectabili Capitaneo, Patritio, & omnibus alijs officialibus Clariſſimæ Ciuitatis Catanæ, & Regni.

Comu non douiti ignorari, li Reuerendiſſimi Epiſcopi, qui pro tempore ſu ſtati, e ſu, ipſius Ciuitatis Catanæ, tenino ampliſſimi Priuilegij di mero e mixto Imperio cum largiſſima fori remiſſione di tutti ſoi officiali, e ſeruituri, etiam ruſtici, procuratori, gabelloti, & altri ſoi ſubditi, como più diffuſamenti appari per ditti Priuilegij, e Viceregij executorij, ac etiam multi prouiſioni, obſeruantii di quilli conceſſi & abſoluti per li Sereniſſimi Maieſtati di li Retro Principi, e Vicerè di quiſto Regno; per uiguri di li quali ſempri li ſu ſtati rimiſi e rimandati ditti loro ſubditi à ditta loro Iuriſdictioni, como etiam appari per li ditti Remiſſioni.

Per tanto nouit er, da parti di lo Reuerendiſſimo ALOISIO de Caracciolo ad preſens Epiſcopo di la ditta Citá, e di lo Reuerendo ſo Vicario, e procuratori ſimo ſtati ſupplicati, quatenus vo

A liſſimo ſimiliter prouidiri, che li ſiano executi & obſeruati li ditti Priuilegij, Prouiſioni Viceregie, & atti di Remiſſioni di foro.

Noi vero intiſa loro ſupplicationi eſſiri iuſta, viſis dictis Priuilegijs, & Viceregijs Prouiſionibus, & actis de Remiſſione fori, per quæ, & quos apparet de præmiſſis, hauimo prouiſto, e per la Preſenti vi dicimo, e comandamo expreſſe, digiati ad
B vnguem exequiri & obſeruari, e fari ab omnibus exequiri & obſeruari allo ditto Reuerendiſſimo Epiſcopo, & alli Reuerendi ſoi Vicarij e Procuratori li dicti Regij Priuilegij, Viceregij Prouiſioni, & Atti di Remiſſioni di foro, iuxta la loro continentia, e tenuri; e contro la forma di quilli non vi debiati patto aliquo impediri ciuiliter nec criminaliter
C contro li ſoi Officiali, perſuni domeſtici, procuraturi, e gabelloti. Imo ſuccedẽte caſu li digiati rimettiri, e rimandari a lo ditto Reuerendiſſimo Epiſcopo, e ſo Reuer. Vicario, & Officiali, como loro Iudici competenti.

E perche, vt informamur, hauendo hauuto li iorni paſſati lo Magnif. clerico Antonino Munſuni certa rixa cum lo magnifico Antoni Anſalone, licet nõ iia ſtato, attamen hauendoſi perſonaliter preſentato coram Reuer.
D Vicario dictę Ciuitatis, como ſuo Iudici competenti, e preſtato Plegiaria coram eo, hauiti proceduto vui prefato Magnifico Capitaneo preſenti, vel predeceſſuri, & lo faciſtiuo per voſtra Curti & bandiri, contro la forma

di li ditti Priuilegij, e prouiſioni, ac etiam volendo li Iorni paſſati Andrea di Rao officiali foraſteri di lo boſco dilo ditto Epiſcopatu exerciri l'offitio, & expignorari li debituri dila Eccleſia, fu accuſato de latrone publico, & alijs, e nõ hauiti curato rimetterlo allo ditto ſo foro, como altri in ſimilibus ſu ſtati rimiſi, como appari per li ditti atti di Remiſſioni di foro, in graui pregiuditio, e leſioni di li ditti Priuilegij, e Prouiſioni.

Per tanto vi dicimu, e comandamu expreſſe, attento chie ni coſta per teſtimonij riciputi innanti li Giudici Magnæ Regiæ Curiæ die vltimo menſis Iulij 8. Indict. inſtantis, como lo ditto Magnifico clerico Antonino Mũſuni fu & è Iacunu, e Clerico beneficiato, lo quali teni beneficij, & aliàs è ſtato rimiſo, debiati ad iſſo Magnifico clerico Antonino Munſuni rimettiri, e rimandari allo ditto Reuerendiſſimo Vicario per ditta cauſa, e cancellarili la ſentenza di lo bando contra iſſo lata per la voſtra Curti como incompetenti, & nulliter, & cõtra ipſum non vi impediri, ne intromettiri. E ſimiliter rimittiriti e rimandiriti alo ditto Andrea di Rao à lo ditto Reuer. Vicario, conſtandoui eſſiri officiali, e foriſteri di lo ditto boſco di ipſa Eccleſia, e contra ipſo Andrea non vi impediriti, ne intromittiriti in coſa alcuna, ma lo laſſiriti ricanuxiri dalo ditto Reuer. Vicario, ſeu Retturi, como ſo Iudici competenti, vt ſupra. Comandando etiam per preſentes ad tutti Spectabili e Magnifici Capitani, Iudici, & officiali futuri di la ditta Cità, che diggiano ad vnguem exequiri, & obſeruari la preſenti iuxta ſui tenorem, & præmiſſa cum effectu exequamini, cauti omnes à contrario, nullo alio à nobis expectato mãdato, nec conſulta, nec præſentium reuocatoriam exequendo, niſi fuerit abſoluta parte citata & audita iuxta Regni capitulum, pro quanto gratia Cæſ. vobis cara eſt, & ſi penam florenorum mille Regio Fiſco applicandam cupitis euitare.

Datum Panormi die xij. Auguſti 8. Indict. 1535.

El Marcheſe di Iraci

A Carolo V. Cæſare literas exorauit ad *Ferdinandũ Gũzaga* Mulfetæ Principem Siciliã tunc pro Rege moderãtẽ ſcriptas 18. Aprilis 1536. quibus vniuerſa quęque ac ſingula Catan. Eccleſiæ conceſſa Priuilegia rata voluit, & accepta. En illas.

Illuſtre Viſorey, y Preſidente.

El Reuerendo Obiſpo de Cathania nos ha embiado à ſupplicar, que les mandemos obſeruar, y guardar la Iuriſdiçion, que tiene, y le pertiene nel dicho ſu Obiſpado, conforme al tenor, y forma de ſus Priuilegios, y como ſe ha echo en la paſſado; y por que es razon, y à nos plaze, que a ſi ſe hagas, y las coſas del dicho Obiſpo ſean fauorezidas in todo lo que iuſtamente tienen lugar: enchargamos vos, y mandamos que proueias que de aqui adelante el dicho Obiſpo ſia manteneçido, y amparado enel libre exercitio de ſu Iuriſdiçion, y preeminentias, y ſus Priuilegios obſeruados conforme à iuſtitia, tiniendo las

oratas

otras ſus coſas, y negocios por ſpecialmente encommendados, que en ello nos ſeruireis.

Dat. en Roma à 18. dias de Abril del anno 1536.

YO EL REY

Literę autem prędictæ opportunis Viceregijs prouiſionib' ſiue executorijs vallatæ ſunt *Panormi die 17. Auguſti 9. Indict.* 1536.

Cum denique ſex circiter annos Eccleſiæ noſtræ præfuiſſet, ad exceſſum finitæ ſuæ mortalitatis acceſſit 1. Septembris 1536. De eo hæc in Regeſto anni eiuſdem 1536. fol. 1. legere eſt. *Die 1. Septembris 1536. & in hora 12. ex hac vita deceſſit bona & diuæ memoriæ quondam Reuerendiſſimi Domini D. Aloyſij Caraccioli Epiſcopi Catanienſis, requieſcat in pace, & nil dubium eſt quòd ad ſuperos euolauit, Angelus enim erat in terra, & etiam in Cœlo.*

Quare *Marinus* patruus ex Regreſſus facultate ad Epiſcopatum reſtitutus eſt, *Dunitio Caracciolo* ſuffecto Gubernatore: quod nec abnuit Prorex. Interim Vicarij Generales expręfecti ſunt *Hieronymus Siſmundus & Antonius Raymundectus* Decanus.

Memorandum cunctis planè ſeculis annum hunc reddidere terribilia ſemel & iterum ex *Ætna* monte eructata incendiorum profluuia *Catanenſiũ* agros, vineta, ſyluas depopulata, Vrbem deniq; ipſam vaſtatura, ni *D. Agathæ* patrocinium pręſtò fuiſſet. Singula quæque expanſis annis ſeriò repetemus in Annalibus, quos iam molimur, & affectos habemus.

A

B

C

D

§. LXVIII.

NICOLAVS MARIA CARACCIOLVS.

Anno à Chriſti humanitate 1537.

EX regreſſus facultate, *Marinus Cardinalis* ob Aloyſij deceſſum *NICOLAO MARIA CARACCIOLO* eius ex fratre nepoti, ac prædeceſſoris *Aloyſij* germano fratri Catanenſem Præſulatum reſignauit, annuente *Paulo III.* Pontifice, Dato Diplomate Romæ 8. Idus Ianuarij 1536. Regis item aſſenſu accedente *Vall. ſoleti 18. Februarij* eiuſdem anni, Ipſo Annunciatæ Virginis feſto die 1537. Eccleſiæ poſſeſſionem indeptus. Ipſe verò Pontificio ritu apparatiſſimè exceptus Catanã ingreſſus eſt 11. *Nouembris* 1540.

Fuerat *Nicolaus Maria* familiaris ac Cubicularius *Pauli PP. III.* tum Catan. Eccleſiæ Adminiſtrator, ætate quidem immaturus, (annum tunc agebat 24.) ſed muneri ſupra ætatem idoneus, vt ei perbellè illud conueniat, Iuuentus quidem computabatur in annis, ſed erat ſenectus mentis immenſa.

Eũ porrò *ADMINISTRATORIS* nomine, ob ætatis defectum, nuncupatum voluit Pontifex, vſquequò ſeptimum ſupra vigeſimum ætatis annum attingeret; maior dein factus, vt in Epiſcopum & Paſtorem ex eo tunc expręfectus, munus item conſecrationis ſuſcipere poſſet, indulſit.

Vicarios habuit *Hieronymum Siſmundum*, qui poſtmodum ad Pa ſten-

Pactenſem Eccleſiam euectus eſt anno 1544. tum *Guillelmũ Anſalonum* ſuæ Cathedralis Priorẽ, deinde *Iacobum Celarum*, quem & Epiſcopatus Prouiſorẽ conſtituit (erant per ea tempora haud vulgares iſtius muneris partes, nec niſi patritij ordinis viris prouincia hæc demandabatur) & denique *Fr. Guillelmum Monſecatum* Priorem Cathedralis Catan. S. M. Annunciatæ Maſcalarum, & S. M. de Caua.

Eccleſiaſticę iuriſdictionis pugnaciſſimus propugnator (quantumuis abſens) literas à Siculis Proregibus, ſemel, & iterum exorauit, quibus Eccleſiæ, familiæ, ac familiarium iura ſarta tectaq; ſeruarentur, *Datas Meſſanæ die vltimo Martij x. Indict.* 1537. Et iterum datas etiam *Meſſanæ* 16. Septembris 11. Indict. 1537. quas placuit ex ordine recitare.

CAROLVS ET IOANNA.

Vicerex in dicto Regno Siciliæ &c Spectabili Capitaneo, eiuſq; magnifico Iudici, & alijs Officialibus Clariſſimæ Ciuit. Catanæ, præſentibus, & futuris, cui, vel quibus præſentes fuerint præſentatæ, Conſiliario, & fidelibus Regijs dilectis ſalutem.

Quia aliàs fuit prouiſum & mandatum ſub forma ſequenti.

CAROLVS ET IOANNA &c.

Præſidens &c. Magnifico Capitaneo, eiuſq; Iudici, ceteriſq; vniuerſis & ſingulis Officialibus Clariſſimę Ciuit. Catanę preſentibus, & futuris, cui, vel quibus præſentes præſentatę fuerint, fidelibus regijs dilectis ſalutem.

Perche da parti dilo Reuerẽdiſſimo Epiſcopo di Catania ni A è ſtata exhibita e preſentata vna Viceregia Prouiſioni ſopra la apportationi di l'armi di li ſoi officiali, familiari, ſubditi, & gabelloti, tenoris ſequentis.

CAROLVS ET IOANNA &c.

Vicerex in dicto Regno Siciliæ Magnifico Capitaneo, eiuſq; Iudici, ceteriſq; vniuerſis & ſingulis Officialibus Clariſſ. Ciuit. Catanæ, præſentibus, & futuris, B cui, vel quibus præſentes fuerant præſentatæ, fidelibus regijs dilectis ſalutẽ. Dudũ fuit nobis porrecta ſupplicatio tenoris ſequentis.

Illuſtriſſimo Signore, exponiſi à V.S. Illuſtriſſima da parti di lo Reuerendiſſimo Signuri Epiſcopo di Catania, cum ſit, como V.S. Illuſtriſſ. sì, tam ex forma Iuris, quàm Capitulorum Regni, & conſuetudinis, ipſo Reuerend. C exponente, ſoi Officiali, Miniſtri, domeſtichi, e commenſali, foro e ſu penitus exempti di la iuriſdictioni temporali, e ſudditi a la ſua Iuriſdictioni ſpirituali, a laqual coſa nõ aduertẽdo lo mag. Capitanio di detta Citá, & altri officiali, piu volti proſumino e tentano canuſciri di ditti perſuni ciuiliter & criminaliter, prohibẽdoli la apportatione dell'armi, D non obſtanti la dicta exemptioni, e prouiſioni di li retro Principi, e Priuilegij conceſſi à ditto Reuerend. exponenti, e ſoi Predeceſſori: di modo che la Iuriſdictioni Eccleſiaſtica è quaſi deiettata, e miſa per terra, quali non ſolum non diu eſſere derogata, imò ampliata, & in ſtima, como di Iuſtitia ſi riquedi, per non incurriri ali peni e Cẽſuri Eccleſia-

cleſiaſtici. Pertantu ipſu R. exponẽti ricurri a V.S. Illuſtriſſ.e quilla ſupplica, li facci gratia prouidiri per ſoi patenti, con comandari che ditti officiali temporali, maſſime ditto Mag. Capitanio preſenti, e futuri, de cetero non digiano, ne preſumano conuxiri di ditti perſuni, ne di ditta Iuriſdittioni Eccleſiaſtica, ne in quilla modo aliquo interponiriſi. Imò ſuccedente caſu ſingulis vicibus remittantur à ditto Reuerend. Epiſcopo exponenti loro Iudici competenti, ne ancora prohibirici la apportatione dili Armi, attento, vt dictum eſt ſupra, loro non tenino Iuriſdictioni alcuna, imo ſoru e ſu ſudditi à ditto Reueren. Et etiam li ſiano obſeruati ditti Priuilegij e Prouiſioni indulti à ditto Epiſcopatu, como di Iuſtitia ſi requedi, Vt Altiſſimus.

Panormi die 3. Iulij 14. Indict. 1526. Ex parte Ill. Dom. Præſidentis. Fiant Literæ iuſtificatæ ſub viſione præſentis.

Viſaque exinde & diligenter recognita præinſerta Supplicatione per eamdem M. R. C. cum eius voto, deliberatione, & conſilio prouidimus, & harum ſerie commictimus, & expreſſe mandamus, quatenus exequendo & obſeruãdo à ditto Reueren. exponenti li Priuilegij, e Prouiſioni à ditto Epiſcopato e ſoi Predeceſſuri conceſſi, ſecundo la loro continentia, e tenuri, nullo modo de cetero vi intromettiriti, ne pacto aliquo canuxiriti di ditta Iuriſdictioni Eccleſiaſtica, maxime di detto Reueren. exponẽti, tutti ſoi officiali ordinarij, ſeruituri, familiari domeſtici, cioè commenſali, ſeu quilli che continuamente mangiano e dormino in Palazzo di ipſo Reueren. e ſua Eccleſia, quomã vt dictum eſt, ſoru e ſu ſuddits allo ditto Reueren. e ſua iuriſdictioni Eccleſtaſtica: ne ancora prohibiriti, Imò permittiriti, como noi per la preſẽti permittimo, e damo licenza à ditti ſoi Officiali ordinarij, Commenſali, e domeſtici preditti, poſſano portari li armi preditti di notti e di iornu à loro defenſioni tantum; e ſuccedente caſu che fuſſeru innanti vui ciuiliter & criminaliter accuſati, e conuenuti, ſingulis vicibus li rimittiriti, comu nui per la preſenti li rimittimo à ditto Reuerend. ſo Iudici competenti, quoniam de Iure nemo poteſt falcem ſuã in meſſem alienam interponere. Cauti igitur à contrario, nullo à nobis expectato mandato, deliberatione, ſiue conſulta, nec præſentium reuocatoriam exequendo, niſi fuerit abſoluta parte citata, & audita iuxta Regni capitulum, ſub pæna florenorum mille Regio Fiſco applicanda.

Datum Panormi die 5. menſis Iulij 14. Indict. 1526.

El Conde de Monte Leone.

Dominus Vicerex mandauit mihi Guillelmo Forti. Viſa per Thomaſium Donatum Theſaurarium, & Mundualdum F. P.

E perche ſi contradici alla ditta apportationi di li Armi per li Gabelloti di ditto Epiſcopatu, aſſerendo non eſſiri officiali, e per ciò non dicitur eſſirici permiſſa la apportationi di li ARMI, comu

como l'altri officiali, domestichi, familiari, e subditi di ipso Reuer. Episcopo: e di parti sua si alliga ditti gabbelloti, perche si exigino & hanno li raxiuni Episcopali, e multi che cõcurrino ali peni dili gabelli li constringino à pagari, e quilli su reputati & hauuti publicè per officiali, e merito diuino portari l'armi per li esattioni che fanno, como all'altri, e nullo modo li diuino essiri vetati, & maximè quòd per testes receptos super apportatione armorum subditorum dicti Episcopatus, apparet Gabellotos & alios officiales apportasse semper Arma; & in hac possessione fuisse, & esse dictam Ecclesiam, & hoc modo sẽper interpetratum Priuilegium ipsius, & tantò plus, quia de Iure isti Gabelloti, qui publicani dicuntur, Officiales intelliguntur.

Pertanto à supplicationi di isso Reuer. à nui per zò fatta, hauẽdo respetto nui ali cosi premissi, che ipsi Gabelloti funguntur Iuribus aliorum officialiũ dicti Episcopatus pro faciliori exactione, & maxime exactione pœnarum, ad quas incurrunt, & tenentur ad solutionem gabellarum dicti Episcopatus, opus est pro eorum tuitione quòd deferant arma. Vi dicimo, & expresse comandamo, che obseruando & exequendo li preinserti prouisioni, tanto per li persuni contenti in quilli, quãto ancora per li ditti Gabelloti, nullo modo vetiriti, ne prohibiriti la apportationi di li Armi, come per ipsi Prouisioni si cõteni. Imò ad ipsi Gabelloti permittiriti quil li portari iuxta la forma dili preinserti lettere, come su permissi, e per lo passato costumano & è permesso portari libere, & impunè: & præmissa cum effectu exequamini sub pœna florenorum mille Regio Fisco applicanda.

Datum Panormi die 26. Octobris xv. Indict. 1526. Henricus de Cardona Archiepiscopus Montis Regalis

Et ex parte Illust. & Reuer. Dñi Cardinalis Caraccioli Episcopi Catanensis, eiusq; Reuer. Vicarij fuit nobis supplicatum, vt dignaremur mandare prœinsertas literas per vos obseruari debere.

Ideo vobis dicimus, & expresse mandamus, quatenus præinsertas literas, omniaq; & singula in eis contenta exequi & obseruare vos debeatis, & exequi & obseruari faciatis iuxta earum seriem & tenorem, cauti à contrario sub pœna ducatorum mille Regio Fisco applicanda.

Datum in Nobili urbe Messanæ die vltimo martij X. Indict. 1537. Ferdinando Gonzaga.

CAROLVS ET IOANNA.

Vicerex in dicto Siciliæ Regno Spectabili Capitaneo & Iustitiario Clarissimæ Ciuitatis Catanæ, Magnifico Iudici dicti Spectabilis Capitanei, & alijs Officialibus eiusdem Ciuitatis, cui, vel quibus præsentes fuerint præsentatæ, Consiliarijs & fidelibus Regijs dilectis salutem.

Quia fuit nobis porrecta supplicatio, quam decretauimus in causis fiscalibus, vt infra, tenoris sequentis.

Illustriss. Domine. Si exponi reuerẽter à V.E. da parti di lo Reuerẽdissimo Sig. Episcopo, e dilo

suo

ſuo Reuerendo Vicario di lo Epiſcopatu di la Cittati di Catania, che' nuper è ſtato promulgato Bāno nella ditta Cità di Catania di comādamēto di lo Spect. Capitanio di dittà Chitati, in viguri di certi littiri ſecreti di V.E. prout aſſeritur, che ditto Sp. Capit. habia cognitioni di qualſiuoglia iuriſdittioni, tāto di lo Epiſcopu, quāto di lo Vice miraglia, e qualſiuoglia altra Iuriſdittioni, e di potiri quilli conueniri tanto per debito ciuili, como di qualſiueglia altra cauſa: lo quali Bāno Illuſ. Sig. fu & è de diretto cōtra la Iuriſdittioni Eccleſiaſtica, e cōtra li Priuilegij di ditto Epiſcopatu, lo quali teni cognitioni di ogni cauſa, tanto ciuili, como criminali in eius ſubditos, como per più Priuilegij appari, e per più Sententij & Interlocutorij ſupra zò lati, e Prouiſioni fatti tāto per V. E. quanto per l'Illuſtriſ. Signrio Vicerè, che ſu ſtati in queſto Regno, e nō è coſa giuſta, che detto banno haia da apprindiri a li officiali & altri ſubditi di lo dittu Epiſcopatu, ne che di quilli ditto Spet. Capitanio haia di canuxiri, ne manco ſi penſa che quiſto proceda di menti di V. E. lo quali, como iuſto Principi, non voli liuari, ne dirogari li Priuilegj, ne Iuriſdittioni di lo ditto Epiſcopatu. Per queſto ſi ſupplica che V. E. ſi degni prouiditi e comandari, che ditto Banno promulgato di comandamēto di lo ditto Spet. Sig. Capitanio non haia di apprindiri li perſuni ſubditi di lo ditto Epiſcopatu, e chi ſu ſtati ſoliti cō-

A

uenirisi per ditto Reuer. Sig. Epiſcopo, e ſo Reuer. Vicario, ſtanci la forma di li Liggi, e capitoli di quiſto Regno, e Priuilegj, & antiqua obſeruantia, vt Altiſſimus.

In Nob. Ciuitate Meſſanæ die 25. Auguſti X. Indict. 1537.

Ex parte Illuſ. Domini Viceregis M. R. C. videat ſupplicationem, & referat.

B

Ioachimus Cataldus Secretarius & Refer.

In eadem Nob. Ciuit. Meſſanę 25. Auguſti X. Indict. 1537. facta relatione eidem Illuſ. Domino Viceregi, ſua Illuſ. Dom. prouidet & mandat, quòd Magna Curia prouideat de Iuſtitia.

Idem Ioachimus Cataldus Secr. & Refer.

Viſaq; exinde & recognita ſupplicatione præinſerta per ipſam M. R. C. prouidimus, prout vobis dicimus, & expreſſe mandamus, quatenus vos nullo pacto vos impediatis, nec vos interponatis in cauſis ciuilibus, neq; criminalibus dicti Reuer. Dom. Epiſcopi, & eius Reuer. Vicarij, eorumq; ſubditorum iuxta formā Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, & Priuilegiorum ipſius Epiſcopatus, nec de eis vos cognoſcatis ciuiliter nec criminaliter, iuxta formam dictorum Priuilegiorū prout hactenus impune fuerunt, non obſtante dicto banno promulgato de mandato dicti Spet. Capitanei, nullo alio à nobis expectato mandato, nec conſulta, nec preſentium reuocatione, aut ſuperſeſſoriam exequendo, niſi fuerit abſoluta parte citata & cauſa cognita, pro quāto gratia

C

D

Cæſarea vobis chara eſt, & ſi pœnam florenorum mille Regio Fiſco applicandam cupitis euitare.

Datum Meſſanæ die 16. Septembris XI. Indict. 1537.

Ferrante Gonſaga.

Paria legimus exorata Viceregia præcepta ſub *Datum Meſſanæ 26. Auguſti 11. Indict. 1538.*

Et iterum alia ſub *Dat. Catanæ 20. Maij 14. Indict. 1541.* quę, ne nimius ſim, cõſultus omitto.

Cauſarum cognitio tum in primo, tum in ſecundo Iudicio ad Epiſcopum ſpectans, in contradictorio Iudicio ei adiudicata eſt anno 1539. vt vel ſic certo ſcias nũ vera audierit Rotę Rom. deciſio, de qua ſuperius fol. 120. id non bene probatum gratis aſſeuerans.

Nos D. Paulus Semelles Regius Capellanus, & Iudex Eccleſiaſticus, cum conſilio M. R. C. vigore ſupplicationis, Tenoris ſequentis.

Vniuerſis & ſingulis Officialibus Clar. Ciuit. Catanæ, nec non & Reuer. ac Magnifico Vicario & Prouiſori, & alijs officialibus Epiſcopatus Ciuit. Catanæ, cui, vel quibus præſentes fuerint præſentatæ, fidelibus Regijs gratiam, & bonam voluntatem.

Quia diebus proximis ad inſtãtiam Magnificorum Iuratorum, & Procuratoris ipſius Ciuitatis fuerunt obtentæ literæ à Regia Monarchia contra Ven. Yconomum & procuratorem dicti Epiſcopatus, datæ Meſſanæ die 9. Iulij Xj. Indict. proximæ præteritæ, per quas fuerat mandatũ, quòd ex quo dicti Spect. Iurati & Syndicus prætendebant fore grauatos per magnificum RECTOREM dicti Epiſcopatus, venirent dicta acta via prætenſi grauaminis ad Regiam Monarchiam, & fuerunt dictæ literæ miſſæ ad effectum quòd reuocentur, ex quo non potuerunt, nec poſſunt acta venire ad ipſam Regiã Monarchiam omiſſo medio, cũ habeat Reuer. Dom. Epiſcopus primum & ſecundum Iudicium in dicto ſuo Epiſcopatu, & demũ per ipſam Regiam Monarchiam ſeruatis ſeruãdis fuit interloquutum ſub forma ſequenti, videlicet. *Die 4. Iunij xij. Indict. 1539.*

De facto venerab. yconomi & procuratoris Reuer. Dom. Epiſcopi Catan. & conſ. petentium contra Mag. Dominos Iuratos & Syndicum dictæ Ciuitatis, quod literæ obtentæ per Regiã Monarchiam per dictos Dom. Iuratos & conſ. datæ Meſſanæ die 9. Iulij xj. Indict. proximæ decurſæ, reuocentur cum omnibus inde ſequutis, ſtãte quod dictus Reuer. Dom. Epiſcopus habet primum & ſecundum iudicium in dicto ſuo Epiſcopatu, & non poteſt cauſa venire ad Regiam Monarchiam, omiſſo medio, & alijs rationibus, & Iuribus in Effectu & ſcripturis contentis, & in voce allegatis; commiſſo nobis D. Paulo Semelles Regio Cappellano & Iudici Eccleſiaſtico in cauſa delegato per S. E. tanquã Monarcham in Regno, vigore ſupplicationis cum eiuſdem reuocatione in dorſo, tenoris ſequentis videlicèt.

REVOCENTVR.

Ex Actis Regiæ Monarchiæ extracta

tracta eſt Meſſanæ die 4. Iunÿ 12. Ind. 1539. Collatione ſalua.

Ideo vobis dicimus auctoritate, qua fungimur in hac parte, & expreſſe mandamus, quatenus habitis pro reuocatis dictis Literis ex aduerſo obtentis, obſeruando & exequendo preinſertam Interlocutoriam iuxta ſui ſeriem, continentiam, & tenorē, nullo pacto permittatis, nec permittere debeatis, quod dicta Acta veniant via grauaminis ad ipſam Regiam Monarchiam, omiſſo dicto medio, ſed ſi prædicti Sp. Iurati, ſyndicus, & procurator in aliquo fuiſſent grauati per dictum mag. RECTOREM dicti Epiſcopatus, quòd compareant in dicto Epiſcopatu, & in Iudicio Appellationis ipſius, & miniſtrabitur eis Iuſtitiæ cōplementū ſolui faciendo dicto yconomo & procuratori de omnibus & ſingulis expenſis factis & faciendis, etiam de vncijs duabus & tar. 24. pro expenſis taxatis, & verificatis, factis in preſenti cauſa, vnà cum tarenis nouem ab extra ſolutis pro Iure expeditionis preſentium, & Sigilli, cauti à contrario pro quāto gratia Regis vobis chara eſt, ſub pœna florenorum mille Regio Fiſco applicanda.

Datum Meſſanæ 17. Iunÿ xÿ. Indict. 1539.

D. Paulus Semelles.

Monaſterium Monialium, quod *S. Mariæ à Succurſu* dicebatur, paupertate preſſum in illud *S. Mariæ Portus Salutis* nomine prænotatum, aſportauit 8. Iulij x. Indict. 1537. eidemq; beneficiū quod *Paulus Aidonus* in Eccleſia S. Placidi fundauerat apud tabulas *Ioannis Bonauiri* 3. *Iulÿ* 1544 annexum voluit 31. Ianuarij 7. Indict. 1548.

Aliud quoq; Sanctimonialium Cœnobium D. Benedicto mancipatarum, quod *S. Mariæ la Ricomandata*, ſiue *Vallis Viridis* nūcupabatur, ſub eiuſdem anni ſpatium ſuppreſſit 8. Nouembris 1537. Alterum denique, quod *S. Vrſulæ* ſacrum erat in ea Vrbis regione, quam la Ciuita vulgus appellat (in ea hodie laicorum eſt Sodalitas ad piiſſima miſericordiæ opera exercenda, pauperum ſcil. defunctorum cadauera Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradēda, gratiſq; portanda, tum Fidelium animas a Purgatorij igne ſacrificijs expiandas inſtituta) in illud, quod S. Luciæ dicitur, tranſtulit anno 1558.

Spectatæ virtutis merito tum *Iulio III. Pontifici Maximo*, tum *Carolo V. Cæſari* gratiſſimus, plurimis honeſtatur honorum fauoribus. A *Carolo* igitur a Regijs conſilijs primum adlegitur: tum in omnibus *Siciliæ* Tribunalibus, quin & in Imperiali Collegio ſedendi, iudicandiq; facultate donatur, ſcriptis literis *Gantes* 12. *Martÿ* 1540. mero & mixto, vt dicunt, Imperio in criminalibus cauſis in ſuæ iuriſdictionis oppidis condonatur. *Comitis Maſcalarum* titulo præterea inſignitur, ſcriptis literis *Maguntiæ xi. Auguſti prim. Indict.* 1543. quo paſſim nomine Catanenſis Antiſtes inſcribitur, *COMES MASCALARVM*: munia item ac munera omnia

in oppido *illo* peragit, adminiſtros cōſtituit in illos animaduertit, id quod in dies experimur. Priuilegij ſeriem habes trāſcriptam in *Regeſto āni* 13. *Indict.* 1554. *ad diem* 17. *Nouembris.*

Eccleſiaſticam diſciplinam in ſuis ſuorumq; moribus inſerere ſummopere ſtuduit, ſeipſum prębens virtutum omnium exemplar, bonorumq. operum ſectatorem, vt eius Palatium religioſæ vitæ Seminarium, familiam verò religioſorū Tyrocinium iure dixeris.

Plures edidit conſtitutiones, quibus cleri, populi, monachorum deniq; mores ad meliorem frugem reduceret, ſed mauis ſua ipſius virtute ſolidaret, quas Pōtificię confirmationis munimine roboratas voluit, exoratis *Romæ Literis apud S. Petrum* 3. *Kal. Auguſti* 1544.

Sanctimonialium monaſteriū *Diuo Benedicto* ſacrum optimis opimiſq, donauit Sacerdotijs, ſcriptis literis *Catan.* 6. *Februarij* 1534. Donationem hanc ratam habētibus *Pio V. & Clemente VIII.* Romanis Pōtificibus, illo per Diploma datū Romę 10. Maij 1468. alto per aliud datū 3. Kal. Maij 1603.

1568

Hieronymi Valentini Regij Viſitatoris præceptum, quo certa pecuniarum ſumma pro *Baſilicæ* ædificijs reparādis fuerat præſcripta, ne vlla vnquā poſſet tergiuerſatione cunctari, Pontificis decreto obſignādum inſtitit, quod & obtinuit anno 1553. Mandati ſumma illa erat, vt in ædificiorū reparationibus ſcutata 150. annua erogarentur; id quod antea pręceperat *Carolus V. Cæſar ſcriptis literis Burgos* 15. *Aprilis* 1534. tranſcriptis in Prothonot. 6. Martij 1535. In hac porrò ſumma includebantur vnciæ 30. (ſiue ſcutata 75. quæ per annua reuerticula *Caſtri Iacis* nomine Regia Curia Catanenſi perſoluit Eccleſiæ) publico tranſactionis inſtrumento id exigente, de quo apud tabulas *Antonij Māgiāti Meſſan.* 20. *Nouembris* 2. *Indict.* 1528. & iterum apud tabulas *Antonij Merlini Catan.* 15. *Aprilis* 6. *Indict.* 1531. quibus & ipſe vncias decē annuas ære proprio ad opus prędictum erogandas adiunxit.

Eccleſiam pluribus nobilitauit donarijs. Inſigne præ cęteris eſt *THENSVM* illud argenteum toto orbe celeberrimū, *BARAM* vulgus appellat, quo ſacrum *D. AGATHÆ* Depoſitum aurea obſignatum Statua, ſolemni pompa in eius peruigilio (quando dies feſtus quotannis recurrens Catanenſem populum ingenti parto tanta celebritate gaudio perfundit) circa Patriæ ſuæ męnia circumfertur, ære proprio excitum.

Anno 1556 28. Februarij coactis Catanę Siculis Comicijs ſub Prorege *Garzia de Toledo* præficitur, ac primus, vt vocant, Deputatus pro rebus Siciliæ peragendis eligitur, id quod aduertit *Pirrhus hic fol.* 65.

Anno verò 1558. Menſe Iunio die eiuſdem x. ob *Ioannis Lacerdæ* Proregis è Sicilia diſceſſum Regni Præſes deſignatur.

Anno dein 1560. ingentis Turcharū maritimæ Claſſis *Solimani* ſtu-

ſtudio inſtructę timore ſenes, pueri, inutiles, moniales deniq; ex vrbe in longinqua montana amandantur (id quod anno 1565. quo tempore *Melita Inſula* Turcharum obſidione premebatur, factum legimus 5. Iunij 7. Ind 1565.) precibus tamen ipſe ad Deum factis, orationibus, ac liturgijs populo ſolemniter indictis 13. Martij 3. Indict. 1560. imminentis periculi metum, de gregis ſui ſalute ſollicitus paſtor auertere ſatagebat.

Tridentino Concilio inter lectiſſimos quoſque Patres, quos illuc mittēdos præceperat Catholicus Rex, & ipſe interfuit, ac ſubſcripſit. Inde in *Siciliam* ſeptem Siculis triremibus vectus cum *Ludouico Oſorio* Ep. ſcopo Maiorcenſi rediens, fere in *Meſſanæ* conſpectu die 14 Iunij 1561. à *Dragute* nobili Pyrata captus eſt, quicquid dixerit *Pirrus hic*, Nicolai captiuitatē ad *diem* 24. *Iulij* 1559 non bene conſignans.

Eo apud Turcas detento, *Guillelmus Anſalonus* Eccleſiæ Prior, & *Hieronymus Monſecatus* Theſaurarius in Generales Vicarios à Canonicorū Capitulo electi ſunt, ea præſcripta lege, quòd munus illud per hebdomadam tantum obirent, mox duo ex ijſdē Canonicis antiquiores ordine ſuo ſucceſſiuè ſuccedentes ſubrogarentur. Electionis inſtrumentum habes in *Epiſcopij tabulario ſub die* 7. *Iulij* 4 *Ind.* 1561.

Diſplicuit hoc *Pio IV.* Pontifici, Adminiſtratores ideò tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus exp. æfecit laudatum *Guillelmum Anſalonum*, & *Vincentium Senenſem* V. I. D. meæ Collegialis Eccleſiæ Canonicum, ac Præpoſitum, ſcriptis *Romæ literis* 23. *Iulij* 1561. cum executorialibus Panormi 26. Auguſti 4 ind. 1561.

Hæc dum inter Canonicos agerentur, *Nicolaus* magno exburſato pretio, ac maiorem iuramento pollicitus pecuniarum ſummam, ſi ad ſupremum Pontificatus apicem peruenisſet, è ſeruitute eximitur menſe Aprili 1562. ac liber ad Eccleſiam ſuam rediens, *Meſſinam* appellit 26. eiuſdem, mox *Catanam* conſalutantibus Vrbis proceribus, omniſq; ordinis viris, populis, cæteris tandem obuiam procedentibus, Pontificali pompa exceptus reuertitur quarto Iunij 1562.

Eccleſiæ reſtitutus ſuę vetera ac nupera illius iura omnia quà potentiorum iniurijs vſurpata, quà ſua ipſius abſentia notabiliter temerata priſtino decori reſtituenda ſummopere ſtuduit. Subditorum mores in meliorem frugem verbo, ſed magis exemplo redigere ſatagens, quæcumque in ſacra Tridentina Synodo ſanctiſſime fuerant ſancita, vt adamuſſim ſeruarentur, vrgebat.

Cathedralem Eccleſiam ſub regulari *D. Benedicti* diſciplina ab ſuæ reſtitutionis exordijs inſtitutam, in ſeculare m redigendam mirū quantum contendit, vtq; in ea non amplius Monachi, ſed ſeculares ſederent Canonici quammaxime adlaborauit; id quod, Catholici Regis ope opera q; potitus, ad votum obtinuit, *Pio IV.* ita indulgente, *dato Diplo-*

mate

mate Romæ 15. Kal. Maij 1565. morte tamen præuentus, quæ ſedulò egregieq, inchoarat, abſoluere perficereque non potuit: illius tamen in Epiſcopatu ſucceſſor *Antonius Pharaonius* quæcumque illi defuerunt adimpleuit, vt inferius opportuniori loco dicemus.

Baſilicã eamdem, ſi feminis, aut ſanguinis effuſione pollui illam contingeret, abſente Epiſcopo, auteo è viuis ſublato, vel nullo alio exiſtente, qui munus illud ſolemni ritu peragat, vt à perſona in Eccleſiaſtica Dignitate conſtituta ſanctificari poſſit, ac reconciliari facultatem exorauit hoc Reſcripto, quod *in Catan. Decach. fol.* 107. alias exſcripſerã.

ANTONIVS

Miſeratione Diuina tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis. Venerabili in Chriſto fratri Domino Nicolao Mariæ Caracciolo, Dei gratia Electo Catanienſi, & dilectis in Chriſto Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Catanienſis ſalutem, & ſinceram in Domino voluntatẽ.

Ex parte veſtra fuit propoſitũ coram Nobis, quòd cum dicta veſtra Eccleſia propter rixã, ſeu contentionem in ea diebus elapſis habitam, ſanguinis effuſione polluta exiſtat, & vos domine Nicolae, eò quòd munus conſecrationis nondum ſuſcepiſtis, eã reconciliare nequitis, & Epiſcopum pro huiuſmodi reconciliatione commode habere nõ ſperetis: cupiens propterea eadem Eccleſia nunc, & in futurum, vt quoties eam pollui contigerit; ac vos Epiſcopum pro eius reconciliatione commodè habere non potueritis, per aliam honeſtam perſonam in dignitate conſtitutã Eccleſiaſtica, ſacris Ordinibus inſignitam per vos eligendam, cum Aqua ab alio Epiſcopo benedicta reconciliari facere, ſuper quibus ſupplicari feciſtis humiliter Sedem Apoſtolicã de opportuno vobis remedio prouidere.

Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate domini Papæ, cuius Pænitentiariæ curam gerimus, & de eius ſpeciali mandato ſuper hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, vt quæcumq; in dicta, ſeu alia quacumq, Eccleſia perſona in Dignitate Eccleſiaſtica, & in omnibus ſacris ordinibus conſtituta, per vos, ſeu maiorem partem veſtrum eligendam, dictam Eccleſiam nunc, & dum, pro vt ad præſens, eam quouis modo pollui contigerit, illiuſq, Epiſcopus abſens, vel non conſecratus fuerit, aut illa Paſtoris ſolatio deſtituta exiſteret, ac alium Epiſcopum pro huiuſmodi reconciliatione commodè habere non potueritis; cum aqua ab aliquo Catholico Antiſtite benedicta, ritu, & more ſolitis debite obſeruatis, reconciliare liberè, & licitè valeat, veris exiſtentibus premiſſis, vobis omnibus, & ſucceſſoribus veſtris in dicta Eccleſia pro tempore exiſtentibus, tenore præſentium perpetuò indulgemus: dictæq, perſonæ per vos, vt præfertur, pro tunc tempore eligendæ plenã & liberam ad id concedimus facultatem. Non obſtantibus Priuilegijs, ac

Con-

Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictæq; Eccleſiæ ſtatutis, ac Conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel firmitate alia roboratis, cæteriſq; in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo officij Pœnitentiariæ 2. Kal. Martij Pontificatus domini Pauli Papæ III. anno ſexto.

Iſte porrò *Antonius* Cardinalis ille idem eſt, qui cognomine *Puccius*, patria Florentinus, Epiſcopus Piſtorienſis, tum Presbyter *Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum* à Clemente VII. in 6. Cardinalium creatione 22. Septembris 1531. vnicè creatus, poſt S. R.E. maior Pœnitentiarius, & ex Epiſcopo Cardinali Albanenſi Sabinenſis euaſit anno 1543. & tandem Balneoregij in Tuſcia anno 1544. è viuis ereptus, cuius cadauer *Romam* delatũ in Choro Eccleſiæ S. Mariæ de Minerua tumulatum eſt.

Valetudinarium ad pauperes ægrotos, quorum ſalus a medicis deſperata eſt, *Inſanabiles* vulgus appellat, charitatiue excipiendos, refocillandoſque, piorum eleemoſynis inſtituendum curauit, illudq; ei, quod S. *Marci* nomine prænotatur, adiunxit, eiuſdemque Rectorum gubernio demandatum voluit anno 1565. menſe Aprilis die eiuſdem vigeſimo ſeptimo.

Archidiaconatus Dignitatem ordinaria per vrbem eiuſq; Diœceſim auctoritate præſtantem, prœuio ad id Sacrę Congregationis decreto, perſcriptis Romæ literis V. Idus Auguſt 1566. quas *Catan. Decach. tom. 1. Chord. 2. Mod. 2. Excurſu 2. fol. 66.* integras exſcribebam, extinxit, ſuppreſſitque.

Cum deniq; ad annos triginta creditam ſibi Eccleſiam ſanctiſſimè adminiſtraſſet, omnibus lacrymatus diem clauſit extremum 9. Ianuarij 1567. cum per ſupremas eius teſtamentarias tabulas apud acta *Ioſeph de Amico die 8. Ianuarij xi. Indict. 1567.* ſub quibus deceſſit, bona ſua pauperibus erogãda quàmmaximè præceperit. Fundacum quoque nuncupatum delli Giarri, quod ære proprio comparauerat, Cathedrali Eccleſiæ dimiſit per eadem Acta. Quem deniq; Clerus, Senatus, Populus item vniuerſus adhuc ſuperſtitem velut parentem coluerant, morientem inconſolabiliter planxerunt, Inferias celeberrimas ei ſoluentes.

Non omiſerim tamẽ (id quod ad eius laudem conducere non parum videtur) eius ſpolia aureis 30. tantum fuiſſe æſtimata: tum illius obitum ingens Solis deliquium ſubſecutum, vt die in noctem verſo, ruſtici, & operarij, deſertis operis, fuga in domos ſibi conſuluerint.



§. 71.

§. LXIX.

ANTONIVS PHARAONIVS.

Anno fœlicitatis humanæ 1569.

OB *Nicolai Mariæ* deceſſum Catanenſi cathedra vacãte, datur Antiſtes *ANTONIVS PHARAONIVS* S. T. Doctor eximius, patritia gẽte inter Meſſanenſes exortus, vir genere & virtute præclarus.

Fuit *Antonius* Aulæ Regiæ *Caroli V.* primum Sacellanus, tum ab eodẽ Cæſare *S. Mariæ de Bordonario* Abbas adſcitus, dein ad Cephalædenſem Eccleſiam euectus anno 1561. Abbas item *SS. Petri & Pauli de Itàla* (Abbatiam hanc reſeruata pro ſe ſcutatorũ 300. annua penſione de Regis aſſenſu dimiſit anno 1563.) & tãdem *Catanenſis Præſul* cõſtitutus ex Regia præſentatione *Philippi II.* datis literis Matriti 4. Ianuarij 1568. ac Pontificia *Pij V.* confirmatione 5. Idus februarij Pontificatus eius anno 6. Illius tandem poſſeſſionẽ adeptus 3. Maij 1569.

Digna porrò ſunt, quę hìc exſcribãtur laudati Pij V. verba, quibus *Antonij* facinora quàm honorifice cõmendantur. *Conſideratis*, inquit Pontifex, *grandium virtutum meritis, quibus illarum largitor Altiſſimus perſonam tuam multipliciter inſignuit, ac etiam quòd tu, qui Eccleſiæ Cephaledenſi hactenus laudabiliter præfuiſti, & quem prædictus Philippus Rex nobis adhuc per literas ſuas præſentauit, præfatam Eccleſiam Catanenſem volet, ſcies, & poteris, auctore Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare &c.*

Fidelitatis iuramẽtum ex Pontificis præcepto in Cathedrali Syracuſana coram illius Epiſcopo *Ioanne de Horoſco* pro Apoſtolica Sede præſtitit 25. Maij eiuſdem anni 1569. ſic n. illi præſcripſerat *Pius V. Volumus autem quòd antequam regimini & adminiſtrationi prædictæ Eccleſiæ Catanenſis te in aliquo immiſceas, in manibus venerab. fratrum noſtrorũ Mazarienſis, & Syracuſani Epiſcoporum, vel alterius eorũ, profeſſionem Fidei Catholicæ iuxta vſum expreſſe facias, ac fidelitatis debitæ ſolitum præſtes iuramentum, iuxta aliam formam, quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam.*

Hinc velim intelligas nũ verus audierit quicumq; ille ſit, qui *Pium V.* Monteregalenſi Archiepiſcopo vti Metropolitano præſcripſerit, vt ab *Antonio* veluti ſuffraganeo fidelitatis exigeret iuramentum.

Generalem conſtituit *Vicarium Vincentium Senenſem*, ſiue Seneſium meę Collegialis Eccleſiæ Canonicum, ac Præpoſitum, virum eruditione, doctrina, rerum vſu, munijs tandem ac muneribus præcipuum.

Inchoatũ à *Nicolao Maria Caracciolo* prędeceſſore opus de Canonicis Monachis ad ſeculare ſtatũ redigendis ipſe perfecit, nouũ ideo à laudato *Pio V. Pont.* obtinuit Reſcriptum datũ *Romæ 5. Idus Februar.* 1568. Integrum illud habes exſcriptum *Catan. Decach. tom. 1. Chord. 2. Mod. 3. excurſ. 2.* quod

quod modò nimietatis non attingimus tædio. Tum Canonicos delegit *Nicolaum Mariam Sambasili*, *Bartholomæum de Piscibus*, *Ioſephum Trauersi*, *Antonium Scãmaccha*, *Baltaſſarem Prouinzali*, *& Eraſmum Syracuſis*: electionis inſtrumenta ad diem 12. & 14. Maij 1572. in Epiſcopij tabulario paſſim legere eſt.

Bono ſuæ Eccleſiæ, ſubditorumq; ſaluti proſpiciens, plurima ſanciuit decreta Eccleſię, Capituli, Canonicorum, Cleri deniq; ſtatũ ſpectantia 19. *Auguſti* 1569. varias ideo à Canonicis inſectationes ſuſtinuit, quas in eorumdem Canonicorum Tabularijs, vulgo *Caxa del Capitulo*, paſſim inuenies. Sacrum Pallium ex Pontificis imperio dedit *Ioanni Retana* Meſſanenſium Archiepiſcopo 14. Nouembris 1569.

Seminarium Clericorum (inter quos *Camillũ Burghesium*, qui poſtea Romanus Pontifex renunciatus *Paulus V.* dictus eſt, excepit, eumq; annua penſione ex fructibus Epiſcopatus vltrò ſibi impoſita donauit) iuxta *Concilij Tridentini* sãctiones erexit anno 1572 quod intra Canonicales Ædes, vulgò *la Canonica*, Epiſcopali Palatio adhæreſcentes, inſtituit, annuis item redditibus ex beneficiorum prouentibus aſſignatis adauxit.

In Paſtorali deniq; munere ita laudabiliter verſatus eſt, vt animi pietatem, pari in pauperes liberalitate, vitæq; candore coniũgens, *SANCTI PASTORIS* nomen emeritus ſit, id quod aduertũt *Octauius Caietanus in Idæa fol.* 38. *& Pirrus in noſtra Eccleſiæ Notitia fol.* 66. *ad finem*. Cum igitur multa, eaq; præclara Paſtoralis ſollicitudinis, pietatis, ac charitatis erga ſubditos dimiſiſſet teſtimonia, magna apud omnes ſanctitatis opinione deceſſit 29. Iulij 1572. relictis ex ſpolio, vt ſubdit *Pirrus*, vncijs 43. cuius corpus in arca lignea collocatum intra Sacrariũ ab alijs ſeorſum tumulatur.

Fuit ſanè *Antonius* omnium ſenio venerandus, Patrem habuit *Ioannem Pharaonĩ* probatæ virtutis virum, germanum verò fratrẽ *Thomam Pharaonium* S. Gregorij de Gypſo Abbatem; Sororem deniq; *Mariam* in Meſſan. Cœnobio S. Eliæ Ordin. S. Franciſci de Paula ſanctimonialem, ſanctitate miraculiſq; conſpicuã, vt iure dixeris, *Omnes iſti gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus, poſteriſq; reliquerũt nomen narrandi laudes eorum*.



§. LXX.

IOANNES HOROZCVS.

Anno Verbi 1574.

A

Biennio ab *Antonij* deceſſu iã exacto, ſufficitur Epiſcopus *IOANNES HOROZCVS & ARZE* Hiſpanus, S.T.D. è Villa Scalonæ in Diœceſi Toleti genus deducens ſuum, ſed priuilegio ciuis Panormitanus, ſi credimus *Rocchi Pirri tum hic fol.* 67. tum *in Notit. Panorm. fol.* 181. & *in Syracus. fol.* 193. Franciſci de Horozco Panormitani Archipræſulis ex fratre nepos, ac Vicarius. In Cathedrali illa Canonicus primum ſedit, inde poſt patrui deceſſum de rebus ad Fidem ſpectantibus in Sicilia *Generalis Quæſitor* exprę fectus eſt anno 1561. cum proximo ante hunc anno Doctoratus laurea in hoc Catan. Collegio à *Nicolao Maria Caracciolo* fuiſſet decoratus 26. Octobris 4. Indict. 1560. Mox ad Syracuſanam Eccleſiam euehitur anno 1562. *Generalis Commiſſarij SS. Cruciatæ* munus in Sicilia, eiq; adiacentibus Inſulis cum Syracuſano Præſulatu gerebat anno 1572. ac tãdem ad Catanenſem Eccleſiam tranſlatus anno 1574. ex Diplomate *Gregorij XIII. Romæ* 3. *Idus Auguſti Pontificatus anno* 3.

B

Creditę ſibi Eccleſię poſſeſſionem per *Franciſcum Romanum*, *& Vincentium Senenſem* Collegiatæ Eccleſiæ Præpoſitum, & Canonicum, quos ad id procuratores cum libera facultate deſtinauerat, adeptus eſt primo Septembris; ipſe verò octaua poſtea die Naſcenti Virgini ſacra, Pontificio apparatu exceptus, Vrbem ingreſſus eſt.

Vicarios habuit laudatũ *Vincentium Senenſem*, ſiue *Seneſium*, tum *Antonium Soſa V. I.D.* & tandem *Nicolaum Stizzia*, qui poſt Meſſanenſis Archimandrita, & tandem Cephalædenſis euaſit Epiſcopus anno 1595.

C

Breuis admodum fuit Præſulis huius præfectura, vix etenim anno cum dimidio in Catanenſi Specula ſederat, quando fatalis humanæ naturæ neceſſitas (dum ſumma omnia ab eo expectarentur) è viuis illum abire coegit 28. Martij 1576. ætatis ſuæ 47. & in Cathedrali Templo marmoreo compoſitus tumulo, hac honeſtatur Inſcriptione.

D. O. M.
Horozci ac Arzę domus hæc Inſignia pandit,
Quæ gentilitijs clarus vtriſque trahit.
Toleto Natale ſolum vicina Scalonæ,
Cui Ius Cæſareum, Pontificumq; fuit.
Germanam rabiem Triquetris dum frænat in Oris,
Mittitur Ortigias paſcere Paſtor oues.

D

Per hęc tẽpora ſæuiſſimę peſtilẽtię lues vrbẽ graſſabatur ab an. 1572. Catanẽſes oĩs voracis flãmæ inſtar abſumens; meritis tãdem conciuis AGATHÆ repreſſa eſt, & extincta anno 1576. ſolemnis ideo ad veterem Diuæ eiuſdem Virginis Baſilicam indicta eſt Proceſſio, actæ rei monumen-

mentū perēne ad diem 17. Iunij in memoriam liberatæ Vrbis a peſtilētia. Rem, vt ex veteri M.S. excepimus, placuit recentare.

Catanæa Ciuitas Diuina bonitate & miſericordia, ac meritis & precibus Beatiſſimæ Virginis & Martyris AGATHÆ à diuerſis malis, imminentibuſq; periculis ſæpenumero liberata meritò gloriatur, & exultat. Magna enim ſub tantæ Virginis protectione experta eſt patrocinia in neceſſitatibus, cum mirabilis ſit Deus in Sanctis ſuis. Et vt nonnulla præter cætera innumerabilia beneficia, quæ Vrbs noſtra, eadem Virgine protegente, eſt conſecuta, ad futuram rei memoriam in ſcriptis exarentur, viſum eſt non prætermittendum, quare ſingulis annis decimoſeptimo die mēſis Iunij ſolemnis illa & celebris Proceſſio nouiter inſtituta ſit, qua ſacrum Virginis Membrum (*Brachium*) à Maiori ad Veterem Agathæ Ædem, toto ferè Catanenſi populo comitante, defertur, & per totam Vrbem in ſero præcedētis diei tā per ſacrarum Ædium, quam per Arcis, aliarumq; domorum faſtigia faces & luminaria colluceāt.

Notiſſimum enim eſt, eadem die, quarta Indictione, currente anno ab Incarnatione Dñi 1576. cū Ciuitas ipſa ſæuiſſimo Epidimię contag o laboraret, ſacratiſſimo Virg. Agathę Corpore ad Locum infirmorū extra Vrbem per Maioris Eccleſię Capitulum, Patribus conſcriptis, nonnulliſq; Vrbis equitibus comitātibus, delato ad noſtis horā ſecundam, miſericordia & liberatio mirabiliter impetrata eſt. Ex eadem enim hora morbus ipſe, qui antea maximè ſæuiebat, vires cæpit amittere, & breuiſſimo temporis interſtitio penitus atq; penitus extinctus eſt.

Qua propter operę pretium viſum fuit, vt quotannis huiuſmodi liberationis memoria celebraretur, ac Deo Optimo Maximo, & Sacratiſſimæ Virgini Agathæ gratiæ immortales agerentur.

Hactenus M. S. Inter Catan. Canonic. Capituli Aduerſaria aſſeruatus, ac cuſtoditus.

§. LXXI.

VINCENTIVS DE CVLTELLIS.

Anno Chriſti 1578.

IOannis obitu Paſtore iam viduatæ Patriæ Catan. Eccleſiæ Præſul datur *VINCENTIVS DE CVLTELLIS*, patritia gente inter Catanenſes exortus, annuente Gregorio XIII. *Dato Romæ diplomate 3. Idus Septembris* 1577.

Hic poſt humaniores literas

Theologicis, ac Philosophicis studijs impensam nauauit operā: mox Pontificij, Cæsareiq; Iuris auditor, eam ingenij ac virtutis excitauit opinionem, vt Doctoris lauream in vnaquaq; facultate assequutus 21. *Ianuarij* 1567. maximo apud omnes haberetur pretio.

Religiosæ vitæ non parum addictus, ac solitudini, cellulam vt Deo (longiùs ab hominum consortio) liberiùs vacaret, in *Eremo la Mecca* ad 500. passus ab vrbe procul, incoluit. A propinquis, quibus acre *Vincentij* ingenium innotuerat, illam viuendi ratione ægrè ferentibus, è solitudine deturbatur, atq; ad *Catholici Regis* aulam sistendus, vel inuitus, *Hispanias* amandatur 10. *Septembris* 1569. De eo in commendatitijs literis ab *Antonio Pharzonio*, qui tunc Catanensis Ecclesiæ clauo præsidebat, scriptis, hæc illius virtuti deferentia legere est.

Significamus itaq; vobis & vestrum cuilibet, qualiter Magnificus & Reuerendus dominus Vincentius de Cutellis V. I. Artium & S. T. D. Ciuis Catan. ad sacros ordines Diaconatus promotus, fuit & est vir natu nobilis, & multis virtutibus, morum integritate, doctrina, & nominis claritate præditus &c. Dat. Catanæ die x. Septēb. 13. Ind. 1569.

Apud Regis aulam cum esset, spectatæ probitatis eruditionisq; specimen præbens, conceptam de se opinionem longiùs superauit. Hinc Regiæ aulæ Sacellanus primùm assumitur, quo in munere sex annos versatus est: mox à Regina, vt ei à sacris esset confessionibus, deligitur; tum in vniuersa *Tortonēsis Ecclesiæ Prouincia* Visitatoris Apostolici munus obiuit, ac tandem *Patrimonij Romanæ Sedis* generalis moderator expræficitur. Singula hæc *Vincentij* munia ac munera grauiter euincit per eū porrectus libellus Catholico Regi Philippo II. *in Æde S. Laurentij* 20. *Augusti* 1579. exscriptus Panormi in Prothonot. 5. Decembris 8. Indict. 1579.

Virtutis igitur merito à laudato Philippo II. Hispaniarum ac Siciliæ Rege, *Gregorio XIII.* annuente, patriæ Catanensi Ecclesiæ datur Antistes anno 1577. vt dicebam initiò, & *à Iulio Antonio Sanctorio* Cardinali Sanctæ Seuerinæ nuncupato, in Basilica *D. Bartholomæi in Insula* consecrationis insignia Romæ suscepit 29. Septembris 1577. Ecclesiæ possessionem nactus nono die Iulij 1578.

Commissam sibi Ecclesiam à Metropolitica *Monteregalensi Archiepiscopi* Iurisdictione immunē fore pugnacissimè contendit; & si longiorem vitam, ac quietiorem fata concessissent, actum vtiq; fuisset, & quæ erat maior minori nequaquā fuisset ancillata.

Ecclesiasticæ iurisdictionis acerrimus vindex, ne illius iura depompari contingeret, à Prorege literas exorauit 7. *Nouembris* 1581. quibus Vrbis Capitaneus, Regijq; administri, ne in Episcopi familiam aut familiares animaduertant, neq; aliud illis præiudiciale quomodolibet attentent, pœnis etiam adiectis, inhibentur.

PHI-

PHILIPPVS &c.

Vicerex, & Generalis Capitaneus in hoc Siciliæ Regno Vniuerſis, & Singulis Officialibus totius eiuſdem Regni, & ſignanter Ciuitatis Catanæ, & Terræ Iacis, præſentibus & futuris, maioribus, & minoribus, ac quibuſuis Spectabilibus Armorum Capitaneis, Delegatis, Algozirijs, Commiſſarijs, cui, vel quibus preſentes præſentate fuerint, fidelibus Regijs dilectis ſalutem.

Il Reuerando Iconomo e Procuratore della Eccleſia & Epiſcopato di Catania n'ha fatto informato, che per il paſſato, di che non vi è memoria di huomo in contrario, li Officiali, Familiari, e Miniſtri di detta Chieſa, e ſua Dieceſi ſempre hanno portato tutti Arimi offenſiui, e difenſiui. ſenza impedimento alcuno, perche non ſi baſtiriano facilmente exigere l'entrate di eſſa Chieſa, ne ſi portia altrimente exercire la Iuriſdictione Eccleſiaſtica; e perche al preſente alcuni Officiali e Miniſtri di detto Epiſcopato, e Dieceſi, ſi ritrouano per il Capitanio di detta Terra di Iaci eſſiri ſtati priſi, moleſtati, & inquietati per la apportatione dell'Armi, ni fece perciò inſtanza eſſo Reuer. comparenti, ni degnaſſimo ordinare, che neſſuno Officiale temporale ſi voglia ne debbia impedire con li officiali, familiari, e miniſtri di detta Chieſa, e ſua Dieceſi; ne à quilli conoſcere, etiam per la apportatione dell' Armi.

Il che inteſo, factane di tutto relatione per lo infraſcritto Regio Conſiliario Fiſci patrono, ordinamo che ſi faceſſero le preſenti, per le quali vi dicimo, e comandamo, che di quà innanti nullo pacto debbiati moleſtare ne inquietare alli Officiali, Familiari, e Miniſtri di detta Chieſa, e ſua Dieceſe, per l'apportatione dell' Armi, li quali vogliamo che detti officiali, Miniſtri, e familiari poſſano liberamẽte portare Armi così offenſiue, come defenſiue, etiam Scopette con le Toppe, di notte, e di giorno, eccettuati però l'Armi prohibiti per le Regie pragmatiche, non obſtante qualſiuoglia prohibitione e Banno in contrario promulgato, e da promulgarſi, così d'ordine noſtro, come di qualſiuoglia Capitan d'Arme, & officiali del Regno: & eſecute che hauerete le preſenti, le reſtituirete al preſentante per loro cautela, e cosi ſeguirete ſenza ſpettar da noi altro comandamẽto, ne conſulta: ſub pæna florenorũ mille Fiſco Regio applicanda.

Datum Meſſanæ die ſeptimo Nouembris X. Indict. 1581.

Prioratum *S. Mariæ Annunciatæ Maſcalarum*, quem Meſſanenſis Archiepiſcopus, vt potè intra ſuæ Diœceſis fines conſtitutum, ſui ipſius iuris eſſe contendebat, ideoq; *Hieronymo Domingo* contulerat, Eccleſiæ ſuæ, cuius iuris eſt, reſtituendum ſummopere adlaborauit, obtenta, vt aiunt, definitiua ſententia 19. Decembris 1580. & iterum 7. Aprilis 1581.

Vicarium habuit *Diſiderium Placha* S. Theol. Magiſtrum ex Ordine Carmelitarum, etiam

Catan.

Catan. virum à prudentia, doctrina, eruditione, muneribus rãdem ſpectatiſſimus, cuius preclara facinora vix è limine ſalutabam *Catan. Decach. tom.* 1. *Ch.* 2. *Mod.* 10. *fol.* 160.

Eccleſię ſuę bona ab vrbis primorib' vſurpata recuperare pro munere ſtuduit, literas ideo à *Philippo II.* exorauit *in Lagruſano ſcriptas* 24. *April.* 1580. *Panormi trãſcriptas* 18. *Iunij eiuſdem anni*, quibus pijſſimus, idemq; verè Catholicus Rex pium Præſulis ſtudium opportune confouens, id ſummopere præcipit *D. Petro Manriquez de Buytron Abbati S. Mariæ de Roccadia, & Prælatiarũ in Valle Neti Regio Viſitatori*: conciuium indignationem propterea ſubijt (odium p·perit veritas) Hinc confictis & propoſitis aduerſus eum accuſationibus ad Sedem Apoſtolicã delatus eſt anno 1583. Erat tum Pontifex *Sixtus* V. querelas filiorum aduerſus patrem, ciuiũ aduerſus cõciuem querimonias, eius pro ſe ipſo allegãtis prudẽtiam modeſtiamque animaduertit, liberum deniq; à ſe dimiſit anno 1585. cum biennio apud ſe detinuiſſet.

Romæ dum ageret *Vincentius*, ne otio torpeſceret aut deſidia, *Vaticanam Bibliothecam* euolutandam ſuſcepit, vt vel ſic nuperos antiquioreſq; Catanenſium Præſules in album redigeret, quod & diligentiſſimè perfecit. Quo autem tempore detinebatur *Vincentius*, à laudato *Sixto Pont.* Vicarius Apoſtolicus Eccleſię Catanẽſis datus eſt *Matthæus Saminiati V. I. D.* Prothonotarius Apoſtolicus: eum tamen Regius Siciliæ Senatus admittere recuſauit, ex quo à *Vincentio Epiſcopo* nõ fuerat conſtitutus. Eo tandem annuente, *Matthæum*, inquam, generalem Vicarium conſtituente; vt inde omnimodam præſtarent *Matthæo* obedientiam perſcripſit Prorex *Marcus Antonius Colũna* 27. Iunij 1583.

Roma vt reuerſus eſt, vt dicebam, Vincentius, acres cũ prætacto *Matthæo Saminiati* Apoſtolico Vicario habuit pro iuriſdictione contentiones; habes illas in Epiſcopij tabulis ad annũ 1584. initio. Res eò proceſſit, vt Epiſcopus *Matthæum* ſacris interdixerit 21. Ianuarij 1585. Romam ideò apud eumdem Sixtum iterum interpellatur *Vincentius*, eorum, quæ geſſerat, rationes redditurus, grandiuſq; intonuit rediuiua tẽpeſtas. Tum *Matthæus* à Sacra Cardinalium Congregatione à munere illo reuocatur: quo exauctorato ſufficitur Apoſtolicus Vicari' Michael Xiquot hiſpanus, datis Romæ literis 3. Septembris 1585. quibus & *Vincentius* ipſe ſubſcripſit. Michaeli deinde ſubrogatur *Fr. Franciſcus Liparulus* Epiſcopus Caprenſis anno 1587. Huic tandem ſufficitur *Fabritius Mãdoſius* Prothonotarius Apoſtolicus anno 1588.

Proximo huic anno 1589. *Vincentius*, cauſa in examen vocata, Epiſcopali Dignitate priuatur, annuis vncijs ſexcentis ex Menſę Epiſcopalis prouentibus ad congruam ſuſtẽtationẽ ei aſſignatis.

Anno tandem 1597. ab illius depoſitione octauo, non abſque ſan-

ſanctitatis opinione Romę deceſſit 28. Iunij (emẽdandus ideò *Pirrus hic fol.* 92. Vincentij obitũ ad annum 1589. non benè conſignans) cuius corpus cilicio ſuper nudo contectum ab ijs, qui aſſidebant, repertum, in Eccleſia Minimitana *S. Andreæ delle fratte* tumulatur, hac adiecta Sepulchrali Inſcriptione.

D. O. M.
D. Vincentio Cultelli Siculo, Catanæ Patritio, & Epiſcopo, S. T. ac V. I. D. D. Maria Cultelli & Platamone ſoror poſuit: vixit annos 55. Obijt die 28. Junij 1597.

Dignum tamẽ reor quod hic ſiſtatur acrioribus internæ mentis obtutibus obſeruandum Diuinę (vt piè credere eſt) aduerſus *Vincentij* delatores vltionis indicium; quotquot etenim manus aduerſus Antiſtitem noſtrũ dedere, ſingulos in ſp ritu furoris Domini percuſſos meritas ſcelerum pœnas dediſſe, maiores noſtri teſtantur: Eorum nemo diu ſuperſtes, nemo non miſerrimus ad tumulũ venit: alij ſubitanea improuiſaq; morte præoccupati animam emiſere: plures mucrone tranſuerberati vitam miſerè finierunt; nonnulli glande traiecti occubuerunt; non pauci in ſummã rerum omnium egeſtatem redacti poſteris exemplum dimiſere, vix, aut nunquam inſectatores Epiſcoporum (eos nãq; in medio Deorum, vt ait *Pſalmiſta*, Deus dijudicat,) exitiales temeritatis ſuæ pœnas effugere potuiſſe.

A

B

S. LXXII.

IOANNES CORRIONERVS.

Anno Domini 1589.

EXauctorato, vt dicebam, *Vincẽtio* ſubrogatur *IOANNES CORRIONERVS* Hiſpanus, è Villa de Babilafonte Salmantinæ Diœceſis; annua grauatus penſione ſcutatorũ 1500. ex Mẽſę Epiſcopalis fructibus *Vincentio*, quoad viueret, Rege ita volente, perſoluenda, *Sixto V.* idem probãte, dato Diplomate *Romæ apud S. Petrũ pridie nonas Martij* 1586.

C

Ad ineundam Catanenſis Eccleſię poſſeſſionem vices ſuas demandauit *Chriſtophoro Hernandes Flores*, quem & Generalem expræfecit Vicarium: hic *Iohannis* nomine poſſeſſionem eſt aſſecutus 25. Aprilis 1589.

D

Fuerat *Corrionerus* de rebus ad Fidem ſpectantibus ad annos decem in Sicilia generalis Quæſitor: inde ad Catanenſem Eccleſiam euectus, vt à tribus Epiſcopis Siculis Conſecrationis munia ſuſcipere poſſet, à *Sixto V. Pontifice* facultatẽ obtinuit, ſcripto Romæ *Reſcripto 4. nonas Maij* 1588.

Panor-

Panormi igitur in illius Cathedrali ab *Ludouico de Torres* Archiepiſcopo Montis regalis, *Didaco de Haedo* Epiſcopo Agrigentino, & *Franciſco Gonzaga* Cephalædēſi Antiſtite ſolemni ritu conſecratur 8. Maij 1589. Catanam venit 5. Iunij Pontificio exceptus apparatu.

Muneri proſpiciens ſuo, Cathedram Theologiæ Moralis, Queſtiones ſcil. de Officijs, quas *Caſus conſcientiæ* appellant, publicè explicandas inſtituit 14. *Octobris* 3. *Indict.* 1589.

In maximo Cathedralis Odeo (Tribunam vulgus appellat) ſedilia pro Canonicis ad Diuinam Pſalmodiam concinendam affabre extructa ære proprio aptauit. In ijs D. Agathæ Martyriū, eiuſdemq; è Bizantio Catanam tenerſio, eminētibus imaginibus ac ſimulachris, vndiq; exprimitur: opus cælaturæ artificio, ac rerum varietate ſanè admirandum, de quo plura dicebam *Catan. Decaco. Chor.* 2. *Mod.* 3. *fol.* 44. Multa, eaq; præclara paſtoralis ſollicitudinis, pietatis, ac charitatis erga ſubditos, ſed pauperes in primis dimiſit teſtimonia, *Pater pauperum* vulgò nuncupatus.

Anno 1592. atrociſſimis quàm antea morbis Catanēſes afflictabantur, Ciuitas ipſa funeribus repleta, Ciues ad vnum omnes deſperata valetudine decumbentes morbi vim in dies experiebantur; vbiq; luctus, vbiq; mortis imago. In tāto rerum diſcrimine AGATHÆ patrocinium præſto fuit; vbi ſiquidem Sacratiſſimum eius CORPVS aurea obſignatum

A Statua per vrbem proceſſionaliter delatum eſt, illicò morbi vis repreſſa eſt, Vrbis facies immutata, ciues tandē incolumes redditi. Præſtat actæ rei ſeriem ex veteri M. S. tranſcriptam poſteris exhibere.

Nouiſſimè diebus iſtis Ciuitas ipſa febribus ac morbis incurabilibus laborans, itaut quamplurimi quotidie ad vitę exitum per B ducerentur, ad ipſius Virginis & Martyris protectionem, vt moris eſt, confugiendum eſſe putauit: & habito Concilio per Patres Conſcriptos, ac plures Ciuitatis proceres, cum voto & interuentu *Illuſtriſſimi* ac Reuerēdiſſimi Dom. Ioannis *Corrioneri* Præſulis tunc eamdem Eccleſiā ſanctiſſimè gubernantis, eiuſq; Reuer. Capituli, ſtatutum eſt, vt ſacrum Virginis AGATHÆ Corpus è Cellula, vbi ſeruari ſolet, C extraheretur, & ad veterem ipſius Ædem proceſſionaliter & deuotè conduceretur: quod ita factum eſt. Die enim nono mēſis Maij V. Indict. currente anno Domini 1592. qui fuit dies Sabbathi, hora eiuſdem diei vigeſima, cum præceſſiſſent in Veſperi, prima noctis præcedentis hora, magna per ſacras Ædes, & vniuerſæ Ciuitatis domus luminaria, Beatæ Virginis Agathæ corpus à maiori Templo proceſſionaliter, & magna veneratione ad prædictam ipſius veterem Ædem per quatuor Canonicos, Præſule, Magiſtratu, & vniuerſo Ciuitatis populo reuerenter concomitante, humeris delatū eſt, vbi veſpertinis horis ſolemni

can-

ni cantu celebratis, & Pontificali accepta benedictione, hymnis, & Canticis ſpiritualibus, ac eadem veneratione ad Maiorem denuo magna pompa, & apparatu per vicos & plateas Ciuitatis exiſtente delatum eſt, & reconditum fuit. Viſum eſt demum ex eadem die, eiuſdem Virginis meritis & interceſſione, quamplurimos ægrotantes conualeſcere, ac etiam perpaucos ex Medicorum relatione per Vrbem infirmos reperiri.

Propterea per ipſum Reuer. Capitulum, videl. Spectab. D. Blaſium Murabito S. T. D. Cantorem, Petrum Baſile Iuriſconſultum Decanum, Chriſtophorum Hernandez Flores in Iure Pontificio Doctorem, Theſaurarium, & Illuſt. & Reuer. Dom. Epiſcopi in ſpiritualibus & temporalibus Vicarium Generalem, Michaelem Ricciuli, Bartholomæum de Piſcibus, Antonium Scammacca, Balthaſſarem Prouinzale, Bernardinum Caruſo, Philippum Taranto, Mauritiũ de Piſcibus, Dominicum Cardillum, Alonſum Manſum, Cæſarem Rini, & Carolum de Leo Canonicos capitulariter, cum auctoritate ipſius Illuſtr. & Reuer. Præſulis ſtatutum eſt, vt in futurum appareat, quòd in Codice penes ſupradictum de Ricciuli vnum de Capitulo, tanquam Secretarium exiſtente, præſens memoria deſcribatur. Deo itaq; Deiparæ ſemper Virgini, eiuſq, Beatiſſimæ Martyri Agathæ ſit ſempiterna Laus, honor, virtus, & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

A Noſter deniq; Præſul cum cõmiſſæ ſibi Eccleſię ad annos tres laudatus iuſtitiæ cultor præfuiſſet, mortalitatis exuuias depoſuit 9. Iulij 1592. ac marmoreo compoſitus tumulo ſepulchrali hac decoratur Inſcriptione, munia eius ac munera omnia proloquente.

D. O. M.

B *D. Ioannes Corrionerus Hiſpanus è Babilafonte Diœceſis Salmant. eiuſque ex Collegio maiori Conchenſi non minimus, in Sicilia ad decem annos digniſſimus Inquiſitor, Catinenſis Epiſcopus vigilantiſſimus, annis tribus, mẽſibus duobus, diebus ſexdecim, Pater pauperum, ſpectatæ vitæ vir integerrimus.*

Obÿt die 9. Iulij M. D. XCII. ætatis ſuæ XXXVII.

C Paſtore viduata iam Eccleſia, Vicarius electus eſt laudat' *Chriſtophorus Flores* Cathedralis noſtre Theſaurarius, ac Canonicus: is demãdato ſibi munere abuſus è munere illo per ſummam ignominiam abire coactus eſt, perpetuo item exilio ab vrbe ac Diœceſi mulctatus anno 1595. Mox *Balthaſſar Prouinzalis* V. I. D. Canonicus, ac patritius Catan. adlegitur, eo tamen aduerſa valetudine ſenioq; afflictato, ſufficitur *Cæſar de Rini* etiam Canonicus, ac Decretorum doctor 5. Iunij 1595. quo tandem exauctorato *Blaſius Morabitus* S. T. D. tũc eiuſdem Eccleſiæ Cantor, tum Prior, vſq; ad noui Præſulis aduentum Vicarius conſtitutus eſt.

D



§. LXXIII.

IO. DOMINICVS REBIBA,

Anno Chriſti 1596.

PAuca quidem de Præſule iſto ſcribenda ſuccedunt: eius ſiquidem ſiue animi demiſſione, ſiue conſilij hebetudine, ſiue mẽtis humilitate factum eſt, vt Catanenſis Eccleſiæ iura peſſũ iuerint, depompata iuxta ac irrecuperabiliter deperdita, quæ referre piget, ac recentare.

IOANNES DOMINICVS igitur REBIBA Siculus ex oppido S. Marci Meſſanẽſis Dieceſis, honeſtis ortus parentibus, *Scipionis Rebiba* Presbyteri Cardinalis tit. S. Angeli, vulgò *de Piſa* nuncupati, ex fratre nepos, ad Catanenſẽ Præſulatum non propria ſed aliena virtute conſcendit. Poſt obitum namq; *Ioannis Corrioneri* oblatus eſt *Clementi VIII.* ſummo ſacrorum Antiſtiti ab *Philippo II.* Catholico Rege *Proſper Rebiba* Patriarcha Cõſtantinopolitanus: ſed is antequam noſtræ Eccleſiæ Epiſcopatum iniret, fato ceſſit. Rex alicui è Rebibarum familia ob *Scipionis* merita ſe eum Præſulatum collaturum euulgauit.

Regebat interim *Io. Dominicus* Proſperi germanus frater *Ortonenſem Eccleſiam* pauperrimam; ac fortè, dum cum aliquot clericis excolendæ vineę operam daret, palmiteſq; luxuriantes ferro coęrceret, illum conuenit, qui Regiam animi propenſionem in eius familiam declarauit. Sed *Ioannes* paupertati Ortonenſis Eccleſiæ ſe poſthabere *Catanenſis* diuitias reſpondit. Regem ergo rogat, vt alium ad id muneris aptiorem deligat; ſed perſtitit *Philippus Rex* in ſuo conſilio, eamq; ob cauſã placuit magis *Ioannes Dominicus*. Eum ergo delegit, ac tria millia aureorum ad literas Apoſtolicas obtinendas, atq; ad res ſibi neceſſarias comparandas dedit, ſcriptis literis *Matriti 9. Iunij* 1596. Acceſſit dein *Clementis VIII.* confirmatio, dato Diplomate *Romæ 3. Idus Decẽbris* 1596. Qui per *Octauium Cuffarum Rebiba* eius ex ſorore nepotem Eccleſiæ poſſeſſionem adeptus eſt 24. Ianuarij 1596.

Generalem habuit Vicarium *Scipionem Indellum* Abbatem S. Blaſij; tum *Andream Perbenedictum* V. I. D. Camerinenſis Eccleſiæ Canonicum, & tandem *Io. Baptiſtam Paternò* Patritium ac Canonicum Catanenſem.

Anno 1601. ipſe ad conſtituendum nouum in vrbe Portum primarium lapidem ſolemni ritu iniecit.

Tum Monialium Monaſterium quod *S. Mariæ Succurſus* dicebatur, habita ad id à ſacra Cardinal.

nal. Congregatione ſuper ſtatu Regularium facultate, ſcriptis *Romæ literis* 20. *Nouembris* 1601. ſuppreſſit.

Anno 1604. die 6. Februarij relictis in ſpolio vncijs 319. vt aſſerit *Pirrus*, ingraueſcente ſemo, ac morbo, *Catanæ* animam efflauit: corpus verò non in ſublimi, ſed in imo, ſub pauimento, Marmoreo contectum lapide tumulatum eſt, hac adiecta Inſcriptione

D. O. M.

Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini D. Ioannis Dominici Rebiba Ortonenſis, moxq; huius Clariſſimæ Vrbis Catanæ Præſulis dignißimi, nec non Romani Pontificis Aſſiſtentis, hoc marmore corpus exanime tegitur, anno 1604. 2. *Indict. die vero* 6. *Februarij*.



§. LXXIV.

IOANNES RVIZ.

Anno à Gabrielis Aue 1606.

DIuino Conſilio factum piiſſimè credere debemus, vt Catanenſibus daretur *Epiſcopus* A *IOANNES RVIZ Villos lada* difficillimis illis temporibus, quando miſerrima annonæ caritas Siciliam omnem, ſed *Catanam* inprimis angebat, vt tritici ſalma ſcutatis quadraginta venum ierit, vt conſtans eſt noſtratum traditio, fidei firmitate connixa, ſuaq; paterna commiſeratione afflictam vrbem reficeret, ac recrearet.

B *Ioannes* igitur natione Hiſpanus, patriam habuit *Torreciliam* Calagurritanæ Diœceſis oppidum, genere nobilis, ex *Aguirre* familia deducens exordia, in eadem Calagurritana Metropoli *Decanus*, & tandem virtutis merito à *Philippo III.* Catanenſi Eccleſiæ datus Epiſcopus, *Paulo V.* Catholici Regis oblationē probante dato *Romæ Diplomate* 6. *Decembris* 1605. In Prothonot. exſcripto 8. Auguſti 1606.

C Piiſſimus ergo Præſul generis nobilitatem ſanctis operibus, ſed ardentiſſima in primis erga pauperes charitate, mirū quantum illuſtrauit, de quo vbi plurima dixerimus, pauca à nobis dicta fuiſſe fateri compellimur: egenis quicquid ab eo peteretur, nihil vnquam negauit, quorum neceſſitatibus vt præſens occurreret, poſt exhauſtos pecuniæ loculos, ſupellectilem, & argentea vaſa omnia vendi iuſſit: pateram denique ex argento, quæ ſola ſupererat, quaue inter veſcendum vtebatur, à menſa auulſam, ob rei nummarię defectum, pauperi eleemoſynā ab eo petenti donauit.

D Elucebant etiam in eo ſingularis humilitas (quę tamē deſpi-

cabilem illum non redderet) acre pietatis ſtudium, in moribus innocentia, in rebus publicis gerendis perfecta ſolertia, vt fulgẽtiſſimum cũctarum virtutum exemplar ſeipſũ sẽper exhibuerit.

Orarium pario lapide eleganter extruxit Diuæ Agathæ ſacrũ, in eius vertice hoc olim legebatur Tetraſticon.

Nata ego ſum Catanæ, ferrum ſecat vbera,
Flamma torret, ſeminecem lictor ab igne rapit.
Carcere ſtans morior. Bizantũ rapta reuertor.
Hic vbi picta color, condita vera tegor.
Ioannes Ruiz Villos Iada Epiſcopus Catanenſis poſuit Anno M.DC.VII.

Hodie, alibi collocatum Delubrum hoc gentilitia dumtaxat Epiſcopi ſeruat inſignia, his expreſſis characteribus.

Diuæ Agathæ Sacrum.

Ioannem deniq; dum maiora in dies de ſeipſo redderet virtutis teſtimonia, fatalis humanæ naturæ neceſſitas è rebus humanis exemit 6. Octobris 1607. Quem non vt præeſſet, ſed vt prodeſſet, in maxima illa rei frumentariæ difficultate à Deo ſibi datum Catanenſes populi, Clerus, Monachi, ceteriue, qui aderant plãctu magno, quaſi patrem iuſtitiæ, nolentes conſolari, deflebant. Et licèt vitæ integritate diù ſibi vixerit, & ſatis, nobis tamen immaturus obijt, eiuſq; memoriam poſterior Ætas ita ſuſpexit, vt numquam de tanti Præſulis Zelo, religione, pietate tandem conticeſcet. Cadauer eius in Baſilica marmoreo conditũ ſepulchro, quod anno 1631. ab Innocentio Maximo Epiſcopo decentiùs collocatum eſt, integrum incorruptumue repertũ, hac honeſtatur Inſcriptione.

D. O. M.

Illuſtriſſimo Catanenſi Epiſcopo Don Ioanni Ruiz Villos Lada in Torrecilia oppido nato, Camararum in Calagurra Diœceſi, ex Aguirre Familia, Decano in Calagurra, & Caleada Metropoli cõſtituto; poſt hoc ob ſingularem eius virtutem, doctrinam, eximioſq; mores ad Catanenſem Epiſcopatũ à Catholica Maieſtate aſſumpto Sepulchrum. Benemerentiſſimam ſedem tenuit annum vnũ, menſes nouem, dies ſexdecim, anno ætatis ſuæ LII. Obijtq; anno Domini 1607.



§. LXXV.

BONAVENTVRA SECVSIVS

Anno à Chriſto nato 1609.

PRæclara ſunt, eximia, omnibuſq; numeris abſoluta, quæ de Præſule noſtro ſcripſere

Pe-

Petrus Matthæus Gallus, & *Henricus Vuillot* Belga notiſſimi nominis Scriptores, paucula nos, ſpicarum quaſi manipulos poſt nobiliſſimam meſſem, in vnum quaſi faſciculum componemus.

Igitur *BONAVENTVRA SECVSIVS* Siculus Calatahieronẽſis ex Ordine Minorum, quos *Obſeruantiales* appellant, Theologus eximius, & Diuini Verbi præco nedum doctiſſimus, verum etiam & eloquentiſſimus, ingenio præpotens, ad ardua quæque pertractanda dexterrimus, id quod munia quæque ac munera per omnes illi gradus demandata, ac per eum inſigni prudentiæ laude peracta teſtantur.

Sub *Cæſare Marullo* Panorm. Archipræſule totius Panormitanæ Diœceſis Generalem egit Viſitatorem anno 1580. Tum in generalibus ſuę Religionis Comitijs Valliſoleti anno 1593. die 5. Iunij coactis, virtutis ergò *Generalis Miniſter* adlegitur; quo in munere ſpectatus iuſtitiæ cultor, inſigniq; pietate clarus, ad annos ſeptem verſatus eſt: cuius viri zelum, pietatem, ſolertiam deniq; perbellè teſtãtur Statuta, Cõſtitutiones, & Decreta pro ſalubri regimine totius Seraphicæ religionis edita apud *Michaelem Angelum à Neap. Chronol. Minor. tom. 1. fol. 362. & ſeq*;

Magiſtratum hũc gerens iam, ac Generalem agens Miniſtrum, à Cardinali Aldobrãdino Apoſtolicę Sedis legato ad fœderis pactiones inter Hiſpanum, Gallumue Reges ineundas, & ipſe muneris ſocius adhibetur; qua in re eam nauauit operam, quam actę rei exitus demonſtrauit.

Itaque virtutis ergo à *Clemẽte VIII.* ſummo ſacrorum Antiſtite *Baſilicæ S. Petri* primum fit *Canonicus*, mox *Patriarcha Coſtantinopolitanus* (quo paſſim nomine apud illius ęui, nuperoſq; Scriptores appellatum notius eſt, quàm vt multis oſtendere ſit neceſſe) Tum inter Purpuratos patres adſcriptus iam, ac Cardinalis deſignatus, maleuolorũ aſtubus, ne dignitate illa cohoneſtaretur, interturbatus eſt, vt ad rem dicere liceat, quod de *Iul. Cæſare* dictum legimus. *Induſtria virtutẽ, Virtus gloriam, Gloria illi æmulos peperit*. Atquì honores conſequi ſæpe fortunæ opus, mereri ſemper virtutis.

A *Philippo* III. Catholico Rege *Pactenſi Eccleſiæ* datur Epiſcopus anno 1600. elargitis eidem tribus mille ſcutatis, inauguraturq; à *Clemente VIII.* Romæ pridie Kal. Maij anno 1601. Pontif. eius anno 10. Inde ad Meſſanenſem Archiepiſcopalem Cathedram euectus eſt anno 1605. ſcriptis Romæ literis 20. Auguſti, Eccleſiæ verò poſſeſſionem nactus 22. Septembris.

Eo Archiepiſcopum agente, *Seminarium Clericorum* Meſſanę honeſtiſſimè excitatum eſt, id quod gentilitia illius Stemmata in hodiernũ vſq; diem teſtantur, quantumuis hodie demolitum, & in priuatorum ædes redactum, à *Blaſio Proto* Archipræſule aliò tranſlatum nobiliùs fuerit reſtitutum.

Sub *Marchione Villena* Regis

iii

in Sicilia perſonam agente primùm, tum ſub *Oſſanenſium Duce* vtrem mittere fingente omnibus Siculis Comitijs præfuit. *Cum autem Mamertinorum ingenium*, ita ſcribit Rocchus Pirrus in Eccleſ. Meſſan. Notit. fol. 378. *Bonauentura ſe pati non poſſe diceret, ac plurimas ſibi ab ſua Eccleſia illatas moleſtias pateretur*, è Meſſanenſi Archiepiſcopatu ad Catanenſem Epiſcopalem Sedem migrauit anno 1609. Eccleſia potitus V. Iulij. Nec ideo leuitate notandus veniet *Bonauentura*, ſedē, non mentem mutat, qui neceſſitatis aut vtilitatis cauſa de Ciuitate ad Ciuitatem migrat, vt rē fere ſi nilem ſpectans edixit *Pelagius* 11. *ad Benignum Archiepiſcopum*, *tom.* 2. *Conciliorum*.

Catanam vt venit, illicò operam dedit, vt illicita quæque corrigeret, ac deprauatos plebis ſuę mores componeret: laxioremq; clericorum viuendi incedendiq; licentiam ſaluberrimis Edictis, ac Synodicis Conſtitutionibus reformare viſus eſt: habes eas in Epiſcopij tabulis *ad diem* 8. *& ix. Iulij* 1609. & alibi paſſim;

Cathedrale Templum nobiliſſimis ornauit Aulæis, argenteis Candelabris; Trullis, ſacris Veſtibus, ceteriſq; eiuſce generis Ornamentis, quibus ſacra res ſplendidius conficeretur, & opportunius. *Mitrā* præcipuè dimiſit pretioſis lapillis, vnionibus, gēmiſq; immenſi ferè pretij contextam, ac variegatam, quam ſacrilega furis manu impiè ſpoliatā dolemus; reliquis, quę ſuperant, ex induſtria auulſis, ac diſtractis, vt vel ſic ex earum pretio Argentea Thenſa, vulgò *Bara*, qua ſacrum *D. Agathæ* Depoſitum ſolemni ritu quotannis circa Patriæ ſuæ mœnia circumfertum, nobiliùs reſtitueretur.

Tabernaculum ad Sāctiſſimū Euchariſtiæ Sacramentum, vt par eſſet, decentius aſſeruandum e porphiretico lapide variantiū Lapillorum diſtinctione elaboratum concinnauit. Seminarium Clericorum è canonicalibus ædibus in nobiliorem trāſtulit locū, ædificijs ampliauit anno 1614. id quod eidem appicta docet Inſcriptio.

Seminarium Clericorum erectū ab Archiepiſcopo Fratre Bonauentura Secuſio, Patriarcha Conſtantinopolitano, Epiſcopo Catanenſi Anno MDC. XIV.

Diuini Cultus in Eccleſia ſibi commiſſa adaugendi flagrans deſiderio, duos inſtituit Perſonatus, alterum Magiſtri Capellani nomine prænotatum, alterum Magiſtri Ceræmoniarij titulo arceſſitum, attributis item Beneficiatorum inſignijs anno 1616. die 22. Maij.

Pro Fratribus ſuis Obſeruantibus in veteri *Diuæ Agathæ* Baſilica Cœnobium, prout loci angustiæ patiebantur, a fundamentis erexit.

Vrbis noſtrę, quàm vt exprimi queat ſtudioſiſſimus, eximium pietatis ſtudium, & in rebus publicis curandis accuratiſſimam omninò ſolertiam exhibuit, quā do *Oſſanenſium Ducem* Regis perſonam apud Siciliam agentem Catanenſibus indignatum, eloquen

quẽtiæ vi, ſed magis opinione virtutis adeò flexit, vt pacatum reddiderit, eumque vt *Catanam* maturaret allexerit anno 1615. quẽ in Epiſcopali Palatio magnificẽtiſſimè exceptũ triduò detinuit, ſicq; eius induſtria factum eſt, vt quem Senatus, Populus item vniuerſus ſubiratũ pertimeſcebat, amicũ amicè ſuſpexerit Proregẽ.

Hæc dum ſtrenue ageret *Bonauentura*, ſuæq; virtutis veſtigia non pauca impreſſiſſet, calido aquę potu, quo ex Medicinæ legibus, neſcio quo fato deceptus, vtebatur, hepate incenſus inter ſuos ſpiritum reddidit Creatori 29. *Martij* 1618. & in Cathedrale Templum, ſolemni totius Cleri ac Religioſorum conuentu, Canonicorum humeris delatus marmoreo tumulatur Sepulchro, hac honeſtatus Inſcriptione.

D. O. M.

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino Fratri Bonauenturæ Secuſio Calatageronenſi, viro nõ minus generis, quàm virtutum ſplẽdore percelebri, Franciſcanæ Familiæ Generali Miniſtro, Sanctiſſimi Domini noſtri Clemẽtis VIII. Pontificis Nuncio: pacis inter Philippum II. Hiſpaniæ, & Henricum IV. Galliæ Regem, alioſq; Duces mediatori, Patriarchæ Conſtantinopolitano, Pactarum Epiſcopo, Archiepiſcopo Meſſanenſi, ac demũ Catanenſis Eccleſiæ Præſuli digniſſimo hoc Immortalitatis Trophæum in mortalibus ſtatuerunt, ne victæ obliuioni victor vnquã ſine laude ſuccũberet

Obijt Catanæ die 29. Martij M.DC.XVIII. ætatis ſuæ LX.

Sub hæc deinde tempora *Catanenſis Senatus* pietate decretũ eſt, vt ad auertendam Numinis iram quotidie *SS. Euchariſtiæ Sacramentum* alio aliàs Templo publicè expoſitum, adorandum ex ordine proponeretur, vt ſi forte peccatum in dies non ſecus ac ſi multiplex hydræ caput exurgeret, in dies etiam ſacroſanctum *Chriſti Domini* corpus ſub ſpecierum clypeo latitantis *Deo* Iudici vindicique; obijceretur. Sumptus ſuppeditaturũ idem *Senatus* promiſit. Iam tum ergo ſtatæ 40. horarum preces in *Catanenſi Vrbe* exordium ſumpſere, cęptum à Cathedrali 19. *Iunij* 1619. mox ad alia Templa ordine itum eſt, ac ſingulis primũ quatuor, poſt ſex dierum ſpatium attributum; poſt annum verò abſoluto circuito ad Cathedralem reditur primo Septembris.

Pientiſſimũ hoc atq; ſaluberrimũ orationis opus verbi Dei concionatores pijs ſermonibus proſequi ſolent, Templorum apparatu, cerearum facum copia ſplẽdidè quà fieri poteſt excipiunt Eccleſiarũ Rectores ſuſcipiuntq;

§. LXXVI.

IOANNES DE TORRES.

Anno à Virgine Matre 1619.

BOnaueturę in Catan. cathedra ſucceſſit *IOANNES DE TORRES OSSORIO* Hiſpanus oppidi Collaris, è Syracuſana Eccleſia ad Catanẽſem trãſlatus anno 1619. mẽſe Nouẽbri.

Fuerat olim *Ioãnes* Regię Monarchiæ in Sicicilia quartus *Iudex* ordinarius. Abbas item *S. Mariæ de Terrana* anno 1596. Trien nio poſt *Regni Deputati* munere ↄ functus eſt anno 1600. Plurima apud Catholicum Regem valuit opinione, Siculis item pergratus; *Syracuſanis* primum datur Antiſtes anno 1613. ac 4000. ſcutatis ex ſpolijs Sedis vacantis in ſubſidiũ pro literis Apoſtolicis exorandis donatur. Tum ad *Monteregalenſem Archiepiſcopalem* Sedẽ euectus eſt anno 1619. eam tamen reſpuit, quòd tunc aurei ſex mille tantũ darentur in ſingulos annos Archiepiſcopo.

Anno tãdem 1619. ad *Catanẽſem Eccleſiam* tranſlatus eſt: illius poſſeſſionem nactus 17. nouembris per *Antonium Venetianum* ↄ Canonicum Syracuſanum, quẽ quoad vixit Generalẽ habuit Vicarium.

Integerrimę vitæ, infrangibilis conſtantiæ & grauitatis vir ab omnibus eſt habitus. Paſtoraleↄ munus vt Sanctiùs obiret, in Librum retulerat ſuorum nomina, tum proborum, vt eis vteretur adminiſtris, tum improborum ↄ vt de ijs ad meliorem frugem reuocandis faciliùs deliberare poſſet, quid facto opus eſſet. Epiſcopales ædes ædificijs auxit, Cathedrale Templum ſacra ornamentorum ſupellectili quàm qui maximè nobilitauit. Illicitis quibuſque reuocandis reformandiſq; ſedulam nauauit operam, quod vt eò felicius, quò facilius aſſequeretur Diœceſenam indixit Synodum coegitq; *Anno* 1622. *Menſe Aprilis diebus* 26. 27. & 28. qua, ſaluberrimis monitis ac decretis editis, Eccleſiæ Cat. ſtatum inſtituere viſus eſt.

Sub Comite Caſtrenſi Regis in Sicilia vices agente generalibus Regni præfuit Comitijs; eodem quoque munere functus eſt ſub Principe *Filiberto Sabaudo*, apud quem maxima præſtitit opinione virtutis, à quo Eccleſiæ, ſubditorum, ac familiarium ſuorum lura omnia, ac Priuilegia, in ijs preſertim, quæ à Regis adminiſtrorum iuriſdictione immunitatem ſpectant, vt impolluta ſeruarentur, exorauit, emanatis literis, quas obſeruatoriales appellant, *Meſſinæ* 31. *Octobris* 1623.

PHILIPPVS &c.

Princeps Emanuel Philibertus Vicerex, & generalis Capitaneus in hoc Siciliæ Regno. Siamo ſtati ſupplicati del tenor ſequente. Sereniſſ. Sig. D. Giouanne Torres Oſſorio Veſcouo di Catania dice à V. A. S. che in virtù di Priuilegio conceſſo à ſuoi Predeceſſori per lo Sereniſſimo Rè Alfonſo nell'anno 1432. cõfirmato dall'iſteſſo nell' anno 1442. e dopo dal Sereniſſimo Re Ferdinando executoriato

per

per il Vicerè in quel tẽpo in que ſto Regno, e finalmente confirmati & approbati detti Priuilegij nell'anno 1518. dalla Ser. Regina Giouanna, e dalla Maeſtà di Re Carlo ſuo figlio, dopò Imperatore, è ſtato, ſi come al preſente ſi ritroua nella poſſeſſione che tutti ſoi Familiari, Subditi, Aduocati, Procuratori, Factori, negotiorum geſtores, Iudici, Officiali, Domeſtici, e ſeruitori di eſſi, ſiano eſenti dalla giuriſdictione ſeculare, e che il loro Giudice competente ſia ſolamente il Supplicante, tanto nelle cauſe ciuili, come criminali. E perche Seren. Sig. alcuni Miniſtri di ſua Maeſta rendendoſi poco conformi al douere, ſolino leuare la poſſeſſione dello Supplicante, ricuſando di rimetterli le prenominate perſone, allegando che douеſſe hauer recorſo à V. A. S. & altri miniſtri ſuperiori di quelli, per farſi remettere le ſudette perſone; e nõ eſſendo l'intentione di V. A. S. che il ſupplicante habbia di hauere queſto trauaglio, la ſupplica ſia ſeruita ordinare, che habiano da oſſeruare inuiolabilmente detti Priuilegij, e che ſi facciano lettere penali à tutti e ſingoli officiali maggiori e minori di di queſto Regno in forma, che li habbiano à remettere alla dritta ſenza obſtaculo, e contradittione le prenominate perſone, Vt Altiſſimus.

In dorſo del quale Memoriale prouiſtimo à relatione del Regio Conſiliario noſtro Conſultore Matute; *Meſſanæ die 27. Octobris 1623. Fiant litere obſeruatoriales in forma, & incartamentum ſtet penes Acta.*

Per ciò vi dicimo, cõmettimo & ordinamo expreſſe, che ad inſtãza di detto Reuer. Veſcouo di Catania ſupplicãte debiate attorno la petitione cõtenta & expreſſata nello preinſerto Memoriale, ad vnguẽ exeguire, & obſeruare lo preinſerto Priuilegio conceſſo alli ſoi Predeceſſori, confirmato, & executoriato come ſopra, de verbo ad verbum, & à prima linea vſq; ad vltimam, ſi come fuſſe da principio à ſua inſtanza obtento, & à voi principaliter diretto, e conforme in quello in tutto e per tutto & alle executorie di quello vi rendireti conformi, e non altrimente exequirete ad inſtanza di qualſiuoglia preſentante, e comparente per lo detto ſuplicante, e non obſtãti le lettere dello Conte di Oliuares, e Duca di Feria olim Vicerè di queſto Regno, & altro qualſiuoglia ordine in contrario, e ſenza procura: E delle preſenti nõ exequireti contraria, ne reuocatoria alcuna, niſi fuerit abſoluta parte citata & audita, iuxta Regni Capitulum, & execute le preſenti le reſtituireti al preſentante per ſua cautela, guardandoui di fare il contrario per quãto teneti cara la Gratia di ſua Maeſta, e ſotto pena di mille docati applicandi al Regio Fiſco, quibus pæna imponi poteſt.

Datum Meſſanæ die 31. Octobris 1623.

Filibertus.

Dominus Princeps Emanuel Filibertus

bertus Vicerex & Generalis Capitaneus mandauit mihi Laurentio Marzolo. Viſa per Agliata, Caſtillo, & Scaglione F. P.

Creditam ſibi Eccleſiam dum impiger adminiſtrat, eamq; ſalutaribus monitis imbuere ſatagit, anno 1624. ad regendam *Ouetenſem Eccleſiam* in Hiſpania à *Philippo IIII.* Catholico Rege euocatur. Inde *Valliſoletanus Antiſtes* & Præſes deſignatur anno 1627. ac tãdem *Malacitenſis* Præſul in *Bathica* fit anno 1632. ibiq; ſub idem anni ſpatium ferè ſeptuagenarius è viuis eripitur die 18. Auguſti.



§. LXXVII.

INNOCENTIVS MAXIMVS.

Anno à Gabrielis Aue 1624.

AD Ouetenſem Eccleſiam tranſlato, vt dicebam, Ioanne de Torres, Catanenſis Antiſtes præficitur *INNOCENTIVS MAXIMVS* Romanus, ex præclara Maximorum ſtirpe exortus, anno 1624. menſe Octobris, die eiuſdem quinto.

A Fuit *Innocentius* ad ardua quęquę audẽda dexterrimus, infrangibilis animi vir; plurimis Legationib' clarus, munijs ac muneribus illuſtris. Florenti ad huc ætate Leonis XI. cubicularius: à *Paulo V.* Bertinorenſis Eccleſię creatus eſt Epiſcopus anno 1613. Tũ Ferrariæ Vicelegatum egit, Florẽtiæ item apud *Ferdinandum II.* magnum Hetruriæ Ducem, ſub *Gregorio XV.* eodem Vicelegati munere functus eſt.

B Ad *Philippum IV.* Catholicum Regem ab eodem Pont. Nuncius deſtinatus, Regis gratiam egregiè promeritus, eidemq; ob exageratas animi dotes vnicè charus, ad illius primogenitam lauacro ſalutis expiandam adlectus eſt. Die ſiquidem ſabbato 14. Auguſti 1622. *Margaritham* infantulam ex laudato *Philippo*, & *Eliſabettha* Borbonia *Ludouici XIII.* Galliarum Regis ſorore primogenitam ſacro baptiſmatis lauacro regenerauit; hinc aureo pelui, ceteriſue, quibus ad ſacram illam functionem vſus fuerat, argenteis pateris ex regia liberalitate donatus, ac tandem *Catanenſis* Antiſtes ob *Ioannis de Torres* receſſum, deſignatur vltimo Iulij 1624. Vices ipſe ſuas, ad ineundã Catan. Eccleſiæ poſſeſſionem, dedit *Iacobo de Michaele*, qui *Innocentij* nomine eam aſſecutus eſt 5. octobris eodem anno 1624. Ipſe verò 13. Iunij 1625. Siculis vectus Triremibus Catanam priuatus intrauit.

Vrbẽ vt venit, illicò Moralis Theologię Cathedrã de Queſtionib', quas Conſcientię caſus appellãt, publi

publico totius Cleri commodo proſpiciens, in hoc *Catan. Ieſuitarum Collegio* inſtituendam curauit, quod & perfecit 21. Nouembris 1626.

Epiſcopale Palatium vetuſtate fatiſcens, ac penè ſqualidum nobiliſſimis adauxit ædificijs, amplioribus ſpatijs dilatauit. Cathedrale Templum albario opere perpoliuit; id quod ad Baſilicę Ianuam introrſus ſuper extructa docet Inſcriptio.

Eccleſiam meliorem in vſum, Diuæ Agathæ Sacrarium, Innocentius Maximus Epiſcopus ornauit, Extruxit.
Anno Domini
M. D. C. XXVIII.

Odeum, quod & *Tribunã* vulgus appellat, fictitia anaglyptice elaboratum, *Agatham* à Chriſto ſponſo, eiuſque Genitrice gloriæ corona redimitam, *Sanctos* item *Catanenſes Epiſcopos*, qui pro vario temporũ ſtatu in Catan. Cathedra conſederunt, Inclytos tandẽ Martyres, qui patrium Catanenſe ſolum proprio madefecerunt cruore, palmis exultantes affabrè exprimens, eorũdemq; Imaginibus elegantiſſimè depictis, nobiliſſimum reddidit, perfecitque: Hac prægrandibus auratiſq; characteribus interlineata Inſcriptione.

Virgini, Martyri, Chriſti Sponſæ, Deo Dilectæ, Triũphanti AGATHÆ, Innocentius Maximus Epiſcopus Catanenſis Anno Domini.
M. D. C. XXVIII.

D. Agathæ Sacellum ſumptuoſiùs ædificandum decreuerat, variis, iiſq; pretioſis ornatum lapi-

A lis, ac porphireticis Columnis, lapidibuſq; compaginatum, illi, quod in Vaticana Baſilica à *Paulo V.* erectum, Sanctorum Apoſtolorum *Petri & Pauli* corpora decentiſſimè tegit, per omnia compar, ac ſimillimũ: Sed obortæ inter ipſum & Senatum contentiones, bonis conatibus inuidentes, rem omnẽ interceperunt.

B Regale SOLIVM, quod infabrè ligneum antea erat, affabrè ex Marmore reſtituit, hac ei Letania adiecta.

Innocentius Maximus Epiſcopus. Anno M. D. C. XXVIII.

Epiſcopalem quoq; Thronũ, ſiue Speculam, quę & ipſa lignea erat, vt & Regiam, ex marmore cõcinnauit, his in ea inciſis characteribus.

C *Innocentius Maximus Epiſcopus, Anno M. D. C. XXVIII.*

Hęc dum ingẽti ſumptu ſplẽdidiùs reſtitueret, pleraque alia magnificentiſſimè moliretur, Arbores ex nemore *Catan. Eccleſiæ* præſcindi iubet, ac diuendi; pecuniarũ ideò auidus audijt: ſed Catanenſis Senatus apud *Regem* Regiſq, adminiſtros ea de re grauiter conqueſtus eſt, quaſi Eccleſiæ bona dilapidaſſet: præcepit ideò *Rex ſcriptis literis Matriti* 5. *Auguſti* 1628. vt Innocentium ab incæptis auocarent, eumq; quas pecuniarum ſummas exegiſſet, reſtituere ſatagerent.

D Cum Dięceſim luſtraret ann. 1627. in Ciuitate *Ennenſi* ſeditio in illum excitata eſt die prima Auguſti, furentibus populis, certumue ſubijſſet vitę diſcrimen, ni clandeſtinus in *Ieſuitarũ Collegiũ*

sese recepisset, inde discedens certiorem de omnibus facit *Pontificem*, quo assentiente, generali Interdicto Ciuitatē illam subiecit 27. Augusti. Literas ideo *Roma* perscriptas placet hic implantare vulgari quantumuis exaratas charactere. *Molto Ill. & Reuer. Monsig. come Fratello. Essendosi fatta relatione alla Santità di Nostro Sig. dell'accidenti, eb'ella auuisa con la sua delli 3. corrente, sua Beatitudine doppo hauer considerato la grauezza de'delitti commessi, e commendato il zelo di V. S. ha ordinato se le scriua, eb'ella con farli prima il Processo, e con procedere anco nel resto giuridicamente, e prudentemēte, apponghi l'Interdetto alla Città di Castrogioanni, giache la qualità dell'eccessi merita ogni rigore &c. Roma 14. Agosto 1647.*
Di V. S. come fratello.
Il Cardinal Bandini.

A

Interdicti porrò sentētiam ab *Innocentio* aduersus Ennēses prolatam in Episcopij tabulis ita legere est.

Innocentius &c.

Iniuria, quæ Episcopis fit, cum Christo, cuius legatione funguntur, inferatur, Dominumq; crucifigāt, qui suos sacerdotes persecuntur, incidantq; ipso facto in Canones ac cēsuras, maledictionem, & anathema Bullæ in Cœna Domini incurrant: cumq; in has inciderit maior pars populi Ciuitatis Castri Ioannis, per ea, quæ in Nos, ac nostram Episcopalem Dignitatem notoriè deliquerunt sub die primo Augusti huius præsentis anni 1627. Ideò in tustā totius dictæ Ciuitatis afflictionem, quam & nos paternis visceribus sē

B

timus, alijsq; iustis de causis debita matura ac præuia consulta cum SS. Domino nostro Vrbano VIII. ac S. Sede Apostolica, seruatis seruandis, omni meliori modo, totā prædictam Ciuitatem Castri Ioannis eiusq; territorium, ac omnes & singulos habitatores generaliter interdicimus, atq; à Diuinis prohibemus; districtè præcipientes sub pœnis Iuris, atque alijs nostro arbitrio inferendis, omnibus, & singulis Ecclesiarum Rectoribus, & Ministris, Prioribus, Capellanis, ac Parochis, ac personis tam secularibus, quàm regularibus cuiuscumq; ordinis, ac sexus, ne Diuina celebrare audeant, aut permittant, neq; vllos ad Sacramenta recipiant, præterquam in casibus à Iure exceptis; quare nec Missas facere neq; diuina Officia celebrare præsumant, neq; nuptias benedicere, aut corpora defunctorum sepulturæ Ecclesiasticæ tradere audeant, aut publicè processiones instituant, nihilq; prorsus eorum agant, quæ à iure fieri prohibentur tempore generalis Interdicti.

C

Datum in Vrbe Catanæ, & in nostro Episcopali Palatio die 26. Augusti 1627.

Hoc deinde Interdictum Pōtificio Decreto sublatum est.

D

His subortis dissidijs, apud Sedem Apostolicam, Regiumque Tribunal delatus est, ac variis aduersus eum propositis accusationibus Romam accersitur ab Vrbano VIII. qui tunc vniuersalis Ecclesiæ clauo præsidebat; mox instante Catholici Regis oratore, *Marturanensem Episcopum* ad capiendas, ut aiunt, Informationes, atque testibus comproban-

probandas criminum accuſationes, quæ *Innocentio* obijciebantur, Apoſtolicum deſtinauit Delegatum, datis Romæ literis 6. *Iulij* 1630. qui & Catanam aduentauit 7. Octobris eodem an.

Romæ interim de re ſua præſens agebat *Maximus*, qui innocentiam ſuam plene planeque commonſtrans, literas ab Apolica Sede exorauit, quibus Maturanenſi Epiſcopo ad cauſam vt dicebā Delegato ī præceptis datū eſt, vt ab inceptis deſiſtat, *Catana* ſtatim abſcedat, & ad ſuam reuertatur Eccleſiam. Ipſe verò liber eodem anno dimittitur, ac Catanā reuertitur 18. *Auguſti* 1632. bonis omnibus plaudentibus, ac collætantibus. Pace tandem cū primoribus inita, reuoluto anni curriculo, quando ſumma omnia ab eo expectabantur, apoplexia correptus, intempeſta morte præuentus, animam reddidit Creatori die Dominico 21. *Auguſti* 1633. & opera *D. Franciſci de Amico* Eccleſiæ Prioris, quē viuens Generalem conſtituerat Vicarium, moriens ſine is honore cohoneſtatur, ac marmoreo conditus tumulo ſepulchrali decoratur Inſcriptione.

D. O. M.

Innocentio Maximo Romano Patritio ex vetuſta Fabiorum proſapia, Leonis XI. Cubiculario, Paulo V. Pontifice Ferrariae vicelegato, Bertinori Epiſcopo, Sabaudiae, Mantuae, Mediolani, ſub Gregorio XV. Pont. Florentiae & Hiſpaniae Nuncio. Philippi IV. primogenita lauacro ſalutis expiata, Catanenſem Epiſcopatū adepto, rebus vbiq; proſpere geſtis, ad ſummum faſtigium, virtute, & auſpicijs gradienti, praecipiti fato abſumpto.

MAXIMVS INNOCVVS cognomine, nomine, fama, virtute, & meritis, gloria, honore pari.

ÆRE REGIO.

D. Franciſco Amico eius Vicario Generali, & huius Eccleſiae Priore curante.

Obijt XXI. Auguſti ānoDomini 1633 Sedit annos IX. vixit annos LII.

Lapſus quidē pleriſq; viſus eſt, *Innocentius*, ac pecuniarum, vltra quàm par fuiſſet, auidus audijt, cupiduſque. Sed innoxio lapſu; fuit qui in lubrica via fraudulenter illi præiuerit, aſpera in vias planas verſatus, praua in directa mentitus; eius tandem munificentiam, vel ſi Scriptorū calami deſint, per ſecula prædicabunt in ædificijs erecti muri, & in ſubditorum exterorumue ædificationem recti mores.

§. LXXVIII.

OCTAVIVS BRANCIFORTIVS.

Anno post Christum natũ 1638.

REuolutis ab *Innocentij* obitu annis quatuor, mensibus item octo, Catanẽsi Ecclesiæ præficitur *OCTAVIVS BRANCIFORTIVS* Panormitanus, Herculis Branciforti Ducis S. Ioannis, ac Camaratæ Comitis filius, genere non minus (quod valde spectandum nemo ibit inficias) quàm moribus Illustrissimus, ingenij felicitate, rei familiaris solertia, virtutis opinione, ceterisq; animi dotibus *Rocchо Pirro Cat. Eccles. Not. fol.* 73. commendatus.

Octauius igitur vtroq; orbatus parente Catholici Regis aulam adijt, à quo benignissimè exceptus, vt ei à Cortina (Siculorum omnium primus) administraret, adlegitur: mox Ecclesiæ Cephalæditanæ datur Antistes anno 1632. & cum Romam, vt se examini subjceret, accessisset, ab *Vrbano VIII.* Pontifice assistentiũ Sanctitati suæ Collegio adscribitur. Quantum porrò apud Ecclesiasticos valeat huius generis honoramentum, quantum cæteris præstent Patres in Capella summi Pontificis assistentes, consule si lubet Motum Proprium *Gregorij XV.* incipit *Circumspecta*, sub dat. *Romæ apud S. Mariam Maiorẽ die* 17. *Augusti* 1622. Et tandem ad Catanensem Ecclesiam euehitur anno 1638. creditę sibi Ecclesiæ possessionem nactus per *Antonium Branciforti*ũ Scordię Principem eius germanum fratrem 23. Aprilis 1638. ipse verò Catanam inexpectatus venit 6. Maij eiusdem anni.

Episcopale Palatium amplioribus adauxit ædificijs: id quod Ianuę, per quam ad illa paratur aditus, appicta tabella testatur.

A. M. D. G.

Partem hanc Ædium cœlo, regione, & auris salubriorem, cæteris aut ignotam, aut despectã, OCTAVIVS BRANCIFORTIVS Episcopus suę & successorum commoditati, hilariori, & quietiori vsui amplificauit, *nobilitauit*.

M. D. C. XXXX.

Pomarium in Regione illa, cui deprauato vocabulo CIFALI nomen est, ad mille circiter passus ab Vrbe distans, fontibus, & aquario præcipuum, arboribus consitum, aspectuq; delectabile excitauit. Ecclesiam D. Michaeli sacram ibidem construxit, ac Patres Carmelitas discalceatos, quos Teresianos vulgus appellat, vt ibi sisterent, accersiuit: inito propterea Instrumento apud tabulas Ioseph Riera die 14. Februarij 11. Indict. 1643. Verùm Episcopo promissis non stante, Patres inde recesserunt, intra Cœnobium D. Mariæ à Noua Luce ad 1000. passus ab Vrbe distans (quod Benedictini sponte prius dimiserant) Cardinali della Cueua Abbate Commendatario instante, se se recipientes: quibus inde abeuntibus, & in Ædes Spiritus Sancti sese continentib' suffecti sunt Augustiniani strictioris obser-

obſeruantiæ, ad D. Nicolai Tolentinatis præſcriptum Auguſtini regulam profitentes.

Anno 1643. feria ſecunda Reſurgenti Domino ſacra ob proſciſsũ a ſuis ipſius adminiſtris Senatorium Stragulum, maximam ſubijt Vrbis ſummatum, popularium, omnis denique ordinis virorum indignationem, in eumq; acres adeo exarſerunt odiorum flammæ, vt nec temporum viciſſitudines, nec annorum epochę, nec Proregum auctoritas extinguere eas vnquam potuerint; quas tandem vt euitaret, apud Scordiam primùm, tum Panormi diutius ſe continuit, Acim denique ſibi Patriam elegit, ac Sedem.

Ibi cum degeret, Proregis auctoritate fultus Catanam venit D. Agathæ ſolemnia de more celebraturus 17. Auguſti eiuſdẽ anni 1643. Atqui Senatus Diuæ ſuæ conciui Sacra ea die perſoluere recuſauit, ne Præſuli obſecundare, aut cum eo conuenire videretur: Acim ideò illico remeauit: inde Romam adijt, vbi ad duos circiter annos commoratus, Acim denuò reuertitur, ibi ſeptimo reuerſionis die apoplexia correptus ſpiritum reddidit Creatori die 14. Iunij 1646.

A

B

C

D

& in Matrici Iacis Aquilię Eccleſia propè SS. Euchariſtiæ Sacellum abſq; tumulo aut ſepulchrali Inſcriptione ſepelitur.

Prouiſoris *Eccleſiæ ſiue Epiſcopatus Catanenſis officium qual: fuerit?* §. 68. *f.* 254.

RADVLPHVS *Caprarius ſiue à Capreolo Cardin. Epiſcopus Albanenſis Apoſtolicæ Sedis in Italia Legatus cognitionem cauſarum criminalium in vrbe Catanæ, Terris & Caſtro Iacis, Calatabiani, Maſcalarum, in ijſdemq; Iuris dicendi Facultatem, bona deniq; omnia ac ſingula Iura, quibus à Friderico Cæſare Catanenſis Eccleſia fuerat ſpoliata, à Carolo Andegauenſi Siciliæ Rege eidem Eccleſiæ reſtituta, Apoſtolicæ Sedis nomine probat, confirmatq;* §. 29. *f.* 137. *Diplomata exſcribuntur, ibid.*

Rectoris *Catan. Eccleſiæ ſiue Epiſcopatus Iuriſdictio qualis, & quãta ſit, exquiritur*, §. 47. *f.* 201. §. 49. *f.* 212. *&* §. 55. *f.* 229. *&* §. 67. *f.* 251.

Reſcriptum *in aliquo vitioſum in totum redarguitur falſum*, §. 20. *f.* *Eius verba ſemper debent aliquid operari*, §. 26. *ſect.* 12. *f.* 119. *l. C.*

Reſignationes *beneficiorum cũ*

Accessu & Recessu hodie sunt prohibita 19, 65. *f.* 244. *l. B.*

Rocchus Pirrus *Humbertum Siciliae Archiepiscopum Panormitanum Praesulem conijciens pluribus refellitur*, §. 19. *Excurs.* 2. *f.* 44. *& seq. Notatur* §. 3. *f.* 16. Domnini *Catanensis Episcopi Praesulatum in annum* 411. *consignans redarguitur*, §. 4 *f.* 17. Vrbani II. *Diploma dubietate notans refellitur* §. 20. *f.* 55. *Clementis VI. rescriptum pro Catanensis Ecclesiae exemptione gratis adscribit* Clementi *IV.* §. 26. *sect.* 2. *f.* 101. *l. D. Caelitus indictum* Friderico *II. Caesari Oraculum Catanam exterminare anhelanti in dubium revocans exploditur* §. 28. *f.* 135. Ariam de Aualos *carpēs redarguitur* §. 49. *f.* 210. *& 211. Prioratum S. Mariae de Nova Cantoriae Cat. Dignitati annexum gratis affirmat* §. 55. *f.* 228. Didacum *Catanensem Episcopum cum Iacobo de Raimirez non rectè confundit* §. 60. *f.* 234. *l. B. Ioannem Falcum Catanensem gratis Netinum evulgat, ibid. f.* 235. *Notatur alibi passim.*

ROGERIVS COMES *Sarracenos Siciliam tenentes expugnat, Regno potitur* §. 30. *f.* 144. *& seq. Catanam vltro sese dedentem recipit anno* 1075. *Hugonem Gozzetta eius generum vrbi praficit Capitaneum Episcopalem Sedem in ea restituit anno* 1088. *Templum tota Sicilia maximum D. Agathae sacrat.* Ansgerium *praficit Episcopum, ei Catanam vrbem, Aetnam montem, Acis Castrū perpetuò donat, f.* 49. *ante* §. 20. *& f.* 55. *largitionis Diploma exscribitur ibid. f.* 50. *Iudicia item quae ad Regiam spectant Iurisdictionem eidem indulget, f.* 56. *Cum* Vrbano II *apud Troynam convenit ibid. f.* 51. *Siciliae & Calabriae* COMES *quare appellatus? ibid. Pluribus Catan. Ecclesiam donarijs auget, ibid. f.* 52. *Templum D. Mariae de Iosaphat apud Paternionem excitat f.* 57. *& 64. Obijt apud Miletum in Calabria anno* 1101. *& in Ecclesia, quam ipse fundauerat, honorificè tumulatur* §. 30. *f.* 145.

Rogerius *Catanensis Ciuis & Episcopus, ac Regis Familiaris* §. 27. *f.* 128. *S. Leonis Templum, aliud item S M. de Licodia in Monasteria erexit ibid. f.* 129. *Illorum Abbati Pontificalia indulget Insignia, f.* 130. *A seditiosis impetitur, ibid. Ab Henrico Caesare cum alijs vrbis primoribus captus in Germaniā abducitur, ibid. Moritur tandem anno* 1207. *ibid. l. B.*

Rogerius *Siciliae Rex Catanensem Ecclesiam Masalarum Oppido donat, latifundijs adauget* §. 21. *f.* 79. *Diploma largitionis exscribitur ibid. rectè factis commendatur* §. 30 *f.* 145. *Obijt anno* 1163. *ibid.*

Robertus *Archiepiscopus Messanensis Catanensem Ecclesiam Templo S. Ioannis de flumine frigido donauit* §. 20. *f.* 63.

Robertus *Catan. Episcopus an.* 1170. *Guillelmum Siciliae Regem Adriano Pontifici conciliat* §. 25. *f.* 94. *Ecclesiam S. Philippi Agyrensis honorarijs auget, ibid. ab Alexandro III. sacro Pallio decoratur, ibid. f.* 95. *Diploma recitatur, ibid. Ecclesiam S. Nicolai trium flumen Paternionis (hodie de Lombardis dicitur) Sabbae Abbati concedit f.* 97. *Matrimonialibus Guillelmi II. Siciliae Regis & Ioannae Anglorum Regis filiae*

filiae tabulis subscripsit, f. 98. Saracenorum Synagogam S. Thomae Martyri sacram reddit, ibid. l. D. obijt anno 1179. f. 99.

Robertus *II. Catan. Episcopus anno 1400. §. 43. f. 182.*

Rotæ Romanæ *decisio apud* Peniam 486. *qua Catanensis Ecclesia Monteregalensi suffraganea declarata est, refertur, & expenditur §. 26. f. 99. & seq. Alia apud laudatum Peniam 574. exscribitur §. 26. sect. 2. f. 102. sibi ipsi quandoq; parũ cõstans redarguitur, ibid. sect. 9. f. 115*

S. SABINVS *Catan. Episcopus anno 761. sacrarum Imaginum, earumdemq; cultus propugnator egregius, Prophetiæ dono conspicuus, §. 12. f. 26. Ad superos euocatur anno 778. ibid.*

Sacrilegium *est de Romani Pontificis potestate disputare §. 26. sect. 1. f. 109.*

Samaræi *mancipia pagana emere atq; circuncidere prohibentur. §. 7. f. 19. l. D.*

Sarraceni *Catanenses populos, situlos item vniuersos misera afficiunt strage anno 669. §. 9. f. 24. Iterum anno 827. §. 15. f. 37.*

Scriptura *posterior semper attenditur, & derogat priori, §. 26. sect. 11. f. 117. Amplia ibid.*

Sedem *non mentem mutat, qui necessitatis causa de Ciuitate ad Ciuitatem migrat, §. 75. f. 278. l. B.*

Sermones *illi veri sunt, qui rebus sensatis conueniunt, §. 20. f. ...*

S. SEVERINVS *III. Catanensis Episcopus praefuit sub Constantino Magno §. 3. f. 15. Basilicam in honorem S. Agrippinae V. & M. apud Maenas sacrat; ibid. Hodie Collegialibus titulis insignitur, ibid. f. 16.*

S. SEVERVS *Episcopus Catan. anno 802. §. 15. f. 37.*

Sicilia *Constantinopolitano parebat imperio ann. 812. §. 15. f. 37. à Sarracenis occupatur anno 827. ibid. l. B. Inter Barbarorum pressuras à Religione nunquam desciuit, ibid. l. C. & d. Episcopalem Dignitatem quoq; seruauit, ibid. f. 38. Redarguitur Albertus Piccolus contrarium sentiens, ibid. l. d. Terrae motu corruens magnam sustinet iacturam anno 1169. §. 24. f. 93.*

Sicula Ecclesia *Bizãtinae olim Ecclesiae parebat §. 16. f. 39. l. B.*

Simon de Puteo *Messanensis ex Ordine Praedicatorum Catanen sis Episcopus anno 1379. §. 41. f. 169. Friderici Regis Ecclesiastes, ac Consiliarius, de rebus Fidei in Sicilia Quaestor, Nuntius item Apostolicus, ibid. Romanae Ecclesiae iurium Collector f. 170. Religionis suae in Sicilia generalis Commissarius f. 173. l. B. Vrbano VI. Pontifici commendatus: Calaxibettam oppidum, nunc Ciuitatem ad Catan. Ecclesiae iurisdictionem, à qua fuerat subducta, reuocauit, f. 172. Castrum Iacis Arctali de Alagona concedit, ibid. Monasterium S. M. Nouae lucis ab Episcopali eximit iurisdictione, ibid. l. B. Prioratum S. Nicolai de Lombardis Ecclesiae suae restituit, ibid. l. C. Turrim Campanariam Basilicae adhaerescentem ædificat, ibid. Magistrum opere pro Basilicae reparatione constituit f. 173.*

Ædem D. Paulo ſacram dicat, ibid. Plura ad Eccleſiæ ſuæ reformationẽ edixit Statuta. ibid. l. C. Eccleſiam S. Andreæ de Milo in Prioratum inſtituit. f. 174. Perduellionis crimine reus apud Martinum Siciliæ Regem delatus ab Epiſcopali Sede deturbatur f. 175. Actæ rei ſeries ex ordine exſcribitur, ibid. & ſeq. ab aliquorũ impoſturis vindicatur f. 180.

Simon Piſcis Sardiniæ Prorex à Iuſtitia commendatus. §. 47 f. 196.

Scipio Caracciolus Neapolit. Epiſcopus Catan. anno 1524. §. 66 f. 245. Diœceſanam indixit ſynodum, Feſtum S. Anaſtaſiæ in primam poſt Pentecoſten Dominicam tranſtulit, Literas à Siciliæ Prorege pro ſuæ iuriſdictionis exercitio, ſuorumq; itſius familiarium exemptione exorauit, ibid. f. 246. & ſeq. Acres inter ipſũ & Catan. Senatum pro iuriſdictione ſuborta contentiones per tranſactionem compoſitæ ſunt, ibid. f. 249. Reſtituitur in poſſeſſione concedendi terras Nemorum. Deceſſit anno 1529. ibid.

Soles tres, totidem quoq; Lunæ in Occidente viſuntur anno 1169. §. 24. f. 93. Sol per ſpatium horarum trium obſcuratus eſt anno 1084. §. 30. f. 145.

Sponte factum dici non poteſt quod precibus extorquetur §. 26. ſect 14. f. 123.

Strangotus ſiue Georgius Meſſanam adoritur an. 1033. §. 30. f. 144.

Subdiaconi uxores olim ducebant in Sicilia §. 7. f. 19. id à D. Gregorio Pont. poſtea vetitum, ibid.

Supplicationes ad D. Agatham in memoriam liberatæ Ciuitatis à peſtilentia Catanæ quãdo inſtitutæ? §. 36. f. 161. & §. 70. f. 266. & ſeq. Redarguitur Rocchus Pirrus aliud ſentiens, ibidem.

Synodus Epheſina anno 430. primùm indicta ſequenti poſtmodũ anno abſoluitur, §. 4. f. 17.

Syracuſana Eccleſia inter Metropoles aliquando numerata. §. 19. f. 44. Honoramenti huius cauſæ percurruntur, ibid. A Tancredo Comite latifundijs donatur, §. 20. f. 62. & 63.

Syracuſana vrbs ſarracenis Siciliã potientibus vnum dumtaxat habuit Epiſcopum Sophronium §. 19. exc. 1. f. 43. Vaſtatur à Gayto Maymono ſarraceno anno 1027. §. 30. f. 143. Infortunijs agitatur anno 1169. Arethuſæ fons ſanguineum laticem effudit §. 24. f. 92.

TANCREDVS Rogerij Regis nothus poſt Guillelmi II. deceſſum Siciliæ Rex coronatur anno 1189. §. 30. f. 145.

TANCREDVS Syracuſius Comes Catanenſium Eccleſiam pluribus ditat bonis §. 20. f. 58. & 91. Syracuſanam Eccleſiam latifundijs adauget ibid. f. 62. & 63.

Textus in cap. ad ſupplicationem §. final. de Renunciat. expenditur, §. 26. ſect. 5. f. 105.

Tex. in cap. ſi Papa de Priuilegijs lib. 6. declaratur §. 26. ſect. 12. f. 118.

Theobaldus de S. Seuerino Regios Theſauros inuadit apud Capacium, perduellis ideo habitus à Friderico Imp. Siciliæ Rege morte plectitur §. 30. f. 146.

Theobaldus Theutonicus *Fridericum Malecta interficit, ipse vero à Friderico Ianua trucidatur, §. 30. f. 146.*

S. THECLA *Templum in honorem ss. Dei Genitricis apud Leontinos aedificat, §. 2. f. 13. illum ritè consecrat S. Euerius Catan. Episcopus, ibid. 430. Viros una die sacris aquis à S. Euerio ablutos è fonte suscipit, cibarijs reficillat, ibid. f. 14.*

Theodorus *Catan. Episcopus anno 786. ad Adrianum Rom. Pont. Imperatorius Constantini Porphyrogeniti Orator, §. 14. f. 35. Eo auctore Synodus Nicæna coacta est: Siciliae Episcopus, ac Metropolita propterea nuncupatus: quare inter ficulos Episcopos in Synodo illa primus subscripserit? ibid. f. 36. l. C. Refellitur Rocchus Pirrus contraria sentiens, ibid. Tharasio Constantinopolitano Patriarchae addictissimus, ibid. l. D.*

Theodorus Balsamon *Graecus scriptor Latinis semper infensus, §. 16. f. 39.*

Thensum *argenteum, vulgo Bara, quo sacrum D. Agathae corpus solemni ritu circa Patriae suae moenia quotannis defertur, à Nicolao Maria Caracciolo Episcopo excitum est. §. 68. f. 260.*

Thomas de Asinari *electus Episcopus Catanensis an. 1411. §. 45. f. 185. eius facinora percurruntur ibid. Ferdinando Regi quàmmaximè commendatus ibid. f. 186. Ab Episcopali Dignitate abire professus est anno 1415. f. 187. Abbas S. Mariae de Fossa novae designatus, ibid. obijt anno 1423. f. 188.*

Thomas de Tuschano *Collegiatae Catanensis Ecclesiae Canonicus & Praepositus sub Iacobo Conchites Episcopo Generalis praesedit Vicariae, §. 61. f. 247.*

Tripolis *Ciuitas terraemotu agitata magna ex parte corruit, §. 24. f. 93.*

VELLE *non creditur esse, qui alterius obsequitur imperio §. 26. sect. 14. f. 123.*

Verba enunciatiua *an & quando inducant dispositionem §. 26. sect. 12. f. 118. & seq.*

Verba narratiua *dispositionem non inducunt, nec ex eis licitum est arguere, §. 26. sect. 10. f. 116.*

Verba geminata *plenè probant, §. 26. sect. 12. f. 120. idem operantur quod Clausula Ex certa scientia, ibid.*

Verba Eo modo, *quid importent? §. 26. sect. 8. f. 115.*

Vgo Gozzetta *urbis capitaneus Rogerij Siciliae Comitis gener à Sarracenis interficitur anno 1076. §. 30. f. 144.*

Veritas *seipsam ex seipsa defendit, §. 26. sect. 6. f. 111. Odium parit, §. 71. f. 170. l. c.*

Veronensis Ecclesia *traditio de sacris D. Agathae Reliquijs in Cathedrali illa adinuentis refellitur, §. 37. f. 162. & 163.*

Vltima *derogant primis, §. 26. sect. 10. f. 117. Maximè si posteriora prioribus contradicant; Vel si ex interuallo facta sit, ibid. Amplia etiam alijs modis. ibid.*

Vincentius de Coltellis *Catanēsis Ciuis & Epiſcopus anno* 1577. §. 31. *f.* 267. *Munÿs ac muneribus præcipuus, ibid. f.* 268. *Eccleſiæ ſuæ iurium ac bonorum vindex acerrimus, literas à Prorege opportunas exorauit, quæ referuntur, ibid. f.* 269. *Alias à Philippo II. Rege obtinuit, ibid. f.* 270. *Graues à conciuibus ſuſtinuit inſectationes, ac crimi nibus inſimulatur, Romam propterea accerſitus, Epiſcopali tandem honore priuatur f.* 270. *Ibi non abſq; ſuſpitionis opinione deceſſit. Anno* 1697. *ſepulchrali honore & inſcriptione decoratur, ibid. f.* 271. *Quæ quo et eum inſectabantur, diuinæ vltionis effectum experti ſunt, ibid.*

Vincentius Senenſis *ſiue Seneſius Collegiatæ Catanenſis Eccleſiæ Præpoſitus & Canonicus ob Nicolai Mariæ Caracciolli Epiſcopi captiuitatem Catan. Eccleſiæ Apoſtolicus adminiſtrator* §. 68. *f.* 261. *ſub Antonio Faraonio eodem Generali Vicarÿ munere ſunctus,* §. 69. *f.* 264.

Virgilius Scordia *Patriæ proditor Catanam Gallis tradit* §. 32. *f.* 148.

Voluntarium *dicitur quod ex libero mentis arbitrio procedit,* §. 26. *ſect.* 14. *f.* 123.

Vrbanus II. *Pontifex cum Rogerio Siciliæ Comite apud Traynum cõuenit anno* 1090. §. 29. *f.* 51. *Anſgerium Catanæ præficit Epiſcopum conſecratq; ibid. f.* 53. *Eius Diploma Agathæ Catanæ natam edicens refertur, ibid.*

Vrbanus VI. *Helicon è Catanenſi ſpecula deÿcit,* §. 40. *f.* 169. *Iniſſu Martini Monarchæ alii Ducis filÿ cum Maria Siciliæ Regina nuptias deturbat, ibid. lib. &* §. 41. *f.* 175. *& ſeq. Siciliæ Regnum ad Romanã Eccleſiam deuolutum contendit, f.* 177.

LECTORI MEO.

CVdendi artem errorum matrem qui dixit, non abiit à vero. Nulla tam accurata correctio ſurripere ab hac labe libros valet, quin inter cudendum multa irrepant, quæ accuratiorem ſpongiam requirerent. Id in hoc quoque volumine euenisse, næuoſq; aliquot illud maculaſſe perſpecta res eſt. Æqui Lectoris erit aliquid arti condonare, humanæ item imbecillitati, quæ plerumq; arti ſe aptat, & vt maxime oculata ſit, multa tamen eam fugiunt, quæ operoſius diluere ſit neceſſe. Hoc volui te ſcire, vt menda caueres, & abraderes, nec me inquinatæ latinitatis reum, aut grammaticalium legum violatorem inſimulares. Illud humana imbecillitas a te obtinebit, iſtud humanitas tua à tua peritia facile impetrabit.

FINIS.

398988 I

Digitized by Google

SACRA ILICETANA SYLVA

SIVE

ORIGO ET CHRONICON BREVE
COENOBII ET CONGREGAT.IS
DE ILICETO
Ord. Erem. S.P. AVGVSTINI in Tuscia,
INSCRIPTVM ET DICATVM

SERENISSIMO COSMO
MAGNO HETRVRIAE PRINCIPI,

AB AMBROSIO LANDVCCIO SENENSI
Eiusdem Congregationis Eremitâ

Additis Elogijs, cum Notis pro his, qui sanctè, & insigniter ibidem germinarunt.

SENIS, Apud Bonettos, Typis publicis M D C LIII.
Superiorum permissu.

Digitized by Google

SERENISS. PRINCEPS.

MAiorum Tuorum, & præcipuè Magni Patris, ac Matris in Religionem Pietas, cum cæteris Virtutibus in Te eminenter refulget. Hinc toto Orbi spes magna Tui est. Sperat præsertim Tuscia sub Tuis auspicijs, & imperio ea capere incrementa, quæ Auis Tuis, Parentibusque sint paria. Pars aliqua Tusciæ est Sacra Congregatio Ilicetana Ordinis Diui Augustini non indecora, imo in tota Religione, tum antiquitate, tum propria Nobilitate non secunda. Hæc sicut sub Tuæ Sereniſſimæ Domus ditione persistit, ab eademque semper protecta, & aucta, ita sub potentissimo Tuo Patrocinio foueri impensè rogat. Ea quę de Ilicetano Cœnobio, & de eadem Congregatione decerpsi, & exaraui Prælo tradenda, sub Sereniſs. Tui Nominis splendore debent prodire, vt qualis sit, quę Tua dici, & haberi expostulat, cognoscas. Interim dum ego exiguum hoc munus, seu verius tributum Tuæ Celsitudini Sereniſſimæ in signum obsequij dico, obseruantiam animi mei excipere ne dedigneris. Te Deus incolumem seruet. E' Cœnobio Sancti Martini Senarum, die 31. Octobris An. Sal. 1653.

Sereniſs. Tuæ Celsitudinis

Seruus, & Subditus humillimus

Ambrosius Landuccius Senen:
ab Ilicето Eremita Augustin.

PIO LECTORI
ET SODALIBVS SVIS.

ADagium eſt, *Fide obligat boni viri promiſſio*. Iam inter res geſtas B. Nicolai de Mariſcottis, qui per antonomaſiam Senenſis Prophetæ dicitur, per me conſcriptas, ad clariorem antiquitatum noſtrarum notitiam, dixi me vobis alia allaturum. Vt igitur promiſſioni meæ ſatisfaciam, en affero, & offero vobis hanc Enumerationem, ſiue Chronologiam breuem vetuſtiſſimi, ſanctiſſimique Ilicetani Cœnobij, & noſtræ Sacræ Reipublicæ, quæ ab eodē Cœnobio nomen aſſumens, ab eodemque emanans, ILICETANA nuncupatur.

Cuncta quæ exhibiturus ſum, è quinque Voluminibus M. S. viginti annorum ſtudio, ac labore per me congeſtis decerpſi, typiſque tradere non incongruum putaui, immo neceſſarium, vt ſponſioni meæ, multorumque votis facerem ſatis.

Ex his non ſolùm prædicti Cœnobij, & Congregationis Ilicetanæ initium apparebit, verùm etiam quos Patres, quos Gubernatores hæc noſtra Sodalitas habuerit, clarè videbitis: O vos felices, quibus in ſortem datum eſt frui terra, de qua illud dici poteſt, vt fluat lacte, & melle, terra quidem veſtra frugifera omnium ſpiritualium bonorum, delicijs affluente, in qua Deus Omnipotens mirabilia operatus eſt.

O vos inquam terque, quaterque Beati dum talia vobis conceduntur! O quanta eſt veſtra dignitas, ac nobilitas, dum vobis tantorum Patrum filios vocari liceat! At vera felicitas, & nobilitas non aliunde prouenit, ſed vnuſquiſque virtutibus ſibi comparat. Quid enim (inquit D. Chriſoſtomus) prodeſt ei quem ſordidant mores, generatio clara? ipſe ſe vacuum ab omnibus bonis oſtendit, qui gloriatur in Patribus. Et Boetius Inane, & futile eſſe dicebat nobilitatis nomen, ſi ad claritudinem referatur alienam. Tandem neminem locus aliquis, aut maiorum dignitas, ſed propria virtus beat: ij propterea vere felices, & nobiles dicuntur, quibus maiorum virtus ineſt.

In 5. Matt. c. 3. Hom. 3.

Conſ. lib. 3.

Hinc, Patres, ac Fratres dilectiſſimi, poſtquam, nobis notum erit, quo in loco voluerit Deus, vt pedes noſtri veſtigia figant, & quales habere maiores, nos ipſos ad loci Sanctitatem, ad Maiorum exempla commonere, & poſt eorum veſtigia tanquam Gigantes currere debemus, nobis, quibus contigit inhabitare in Domo Domini, ea, quæ Domini ſunt, quærenda ſunt.

Interim dum hæc vobis exigua exhibeo, maximam animi mei obſeruantiā, quam ſemper profitebor erga hanc noſtram Domum, & Congregationem, in quibus pijs Religionis alimentis à prima ætate nutritus ſum accipite, & viuite felices tantæ Domus, taliſque Congregationis ex peculiari Dei dono electi Alumni, alterius terræ promiſſionis Beati Incolæ. Et pro me vt preces offeratis, humiliter deprecor, & oro.

PROTESTATIO

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVM Sanctiſs. D. N. Vrbanus Papa Octauus die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunque beneficia, tuamquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iulij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; Benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, eum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes Auctorem. Huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo profiteor me haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem Diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedet Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

Cenſuræ

Cenſuræ Patrum, quibus hoc Opus reuidendum commiſſum fuit.

VRgente iuſſu Reuerendiſſimi P. N. Generalis Magiſtri Philippi Vicecomitis Mediolanenſis vidi ego Frater Aloyſius Torellus Bononienſis Sac. Theologiæ Magiſter, & ſumma animi mei voluptate perlegi Opus, cui titulus eſt, *Sacra Ilicetana Sylua, ſeu Origo, & Chronicon breue &c.* ab Admodum R. P. Magiſtro Ambroſio Landuccio Senenſi Ilicetanæ Congregationis eximio Alumno ſummo ſtudio, & ingenti labore collectum, & concinnatum; & cũ in eo nihil prorſus offenderim, quòd vel Sacræ Fidei noſtræ non congruat, vel bonis moribus aduerſetur; Quin penitus omnia ſummam pietatem, eruditionem eximiã, & maximam Ordinis antiquitatem, ac eiuſdem Congregationis Ilicetanæ ſanctitatem redolentia reperierim; Dignum illud id circo cenſeo, quòd quamprimum, ſaluo maiorum iure, in magnam Ordinis, & Eccleſiæ vtilitatem, prodeat in lucem. Senis die 9. Aprilis 1652.

Mag. Fr. Aloyſius Torellus Bononienſis
Ord. Erem. S. P. N. Auguſtini.

PEregregium opus hoc, Sacra Ilicetana Sylua, ſiue Origo, & Chronicon Breue Cœnobij, & Congregationis de Ilicèto Ordinis Erem. S. P. Auguſtini in Tuſcia, *nuncupatum, ab Admodum Reu. Patre Sac. Theologiæ Magiſtro Fr. Ambroſio Landuccio Senenſi, eiuſdem Congregationis vigilantiſſimo Vicario Generali, magno labore compoſitum; iuſſu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Philippi Vicecomitis Mediolanenſis, totius Eremitani Ordinis S. Auguſtini Generalis, non ſine magna animi voluptate volui, legi, & perlegi. Tanta ingenij dexteritate elaboratum inueni, tam ſingulare in ſingulis intellectu proſpexi, vt in quo melius exiſtat, prorsus me latet. Comparabit enim ibi lector exiguo labore multam ſanctitatem, & inter huius ſacræ Syluæ vmbram peruagans, à diuino lucis ſplendore proculdubio illuminabitur. Quare, cum id prater doctrinam, quam habet (meiudice) catholicæ fidei, & Eccleſiæ Romanæ conſentaneam, & erroris nullius ſuſpectam, miro ſanctitatis Beatorum, Sanctorumquè tantorum ſyluæ Florum hares fidelium animas odore afficiat, & fructuum dulcedine guſtum earundem ſatiet; imprimi, & publice ferri ſentio. Datum Senis Kalendis Septembris 1653.*

Magiſter Fr. Seraphynus Aligianus Peruſinus in Conuentu Sancti Auguſtini Senarum Prior.

Nos

Nos Magiſter Frater Philippus Vicecomes Mediolanenſis totius Ord. Eremitarum S. P. Auguſtini Prior Generalis.

OPus inſcriptum, *Sacra Ilicetana Sylua, ſiue Origo, & Chronicon breue Cœnobij, & Congregationis de Iliceto Ord. Erem. S. Auguſt.* à Reu. P. Magiſtro Fr. Ambrosio Landuccio Senenſi Vicario Generali eiuſdem Congregationis compoſitum, cum iuxta præfixam atteſtationem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum fuerit, vt Typis mandetur, quò ad nos ſpectat facultatem concedimus.

Romæ. 6. Septembris 1653.

Fr. Phil. Vicecomes Gen. Ind.

Reg. lib. 5.

Facultas

Facultas Sacri Collegij Excellentiſſimorum P.P. Theologorum Senarum.

EGO *Fr. Jo: Baptiſta de Lunarijs Ord. Prædicatorum Sac. Theologiæ Magiſter, ac Prior S. Dominici Senarum, & tanquam Almi Collegij Sacrorum Theologorum Decanus, iuxta præſcriptum eiusdem Collegij Conſtitutionum, vidi, ac diligenter legi Opus, inſcriptum* Sacra Hiſpalenſis Sylua &c. *ab Excellentiſſimo, & Admodum R. P. Magiſtro F. Ambroſio Landuccio Senenſi Erem. Ord. S. Auguſtini, & in eo nihil contra fidem, nihil contra bonos mores inueni; imò illud legentibus vtilitatis maximæ, & ædificationis erit. Id circo Typis dignum puto. In quorum fidem manu propria ſubſcripſi.*

Datum Senis in Conuentu S. Dominici die 20. Decembris 1652.

Ita eſt Fr. Io: Baptiſta qui ſupra.

EXPLA-

EXPLANATIO TITVLI

SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS.

INclytæ Senarum Vrbis, cuius Originis primordia ob vetuſtatē, omni memoria vetuſtiorem, adhuc ſub Iudice pendent, Numiſmata cum Aurea, tum Argentea, hoc inſigni Elogio circundata circumferebantur. SENA VETVS, CIVITAS VIRGINIS. Quod Elogium cum ſatis ventoſum, aut nimis audax videatur, ac ſi cæteræ Italicæ præſertim Vrbes ſam ſeduló vt Sena ab ipſamet Virgine non protegantur, & eidem non ſint, vt Sena addictiſſimæ, paucioribus, quibus poterimus verbis, explicabimus, omnemquè audaciæ inuidiam amoliemur.

Quare ſciendum, cum Orlando Malauolta,& Iugurtha Tommaſio,cæteriſquè alijs Scriptoribus, Vrbem hanc Senarum tenue humilequè (vt mos eſt naturæ) habuiſſe principium, quòd ferè vniuerſis etiam maximis contigit Vrbibus, nam ipſius regionis Incolæ in vnum coacti, vt tutiùs vrbaniuſquè viuerent, Oppidum conſtruxerunt, Mœnibuſquè cinxerunt, quod etiam nunc CASTRI VETERIS, nomen retinet.

Poſt multum verò temporis ſpacium, Romani eiuſdem loci amœnitate, incolarumquè humanitate delectati, ſuorum affluentem numerum, quem Coloniã dictitabant, ad cohabitandum misère, qui intra Caſtrum Vetus non admiſſi, aliud ei coniunctiſſimum excitarunt, quod & CASTRVM NOVVM, appellarum eſt.

Pluribus ab hinc ſæculis eodem modo, tum Longobardi, tum Galli, aliæquè extraneæ nationes Italiam occupantes, hunc præcipuè coluerunt Locum, qui à ſingulis adeo auctus eſt, vt hanc præclaram coagmentarint Vrbem.

Vt autem primi Caſtri Veteris conterranei à Romanorum Colonia, & ceteris diſcriminarentur, VETVS OPPIDVM, SENAM VETEREM, nouum vero SENAM NOVAM, nominarunt; nam (vt inquit Philoſophus) *denominatio debet fieri à nobiliori*, ideo Numiſmata Veteris, non autem Noui Oppidi nomine inſcribebantur, & ideo dicta eſt SENA VETVS.

Poſtea per Cladem, qua Senenſes apud Montem Apertum Florentinos hoſtes infeſtos affecerant, CIVITAS VIRGINIS, additum fuit; Senenſes enim à Florentinis ſæpius bellis, vaſtationibuſquè exagitati, ne omnino ab hoſtibus propulſari viderentur, copijs, quas poterant maioribus collectis, in eos proſiliere, MARIA Deipara, cui ſe plurimum ex animo Senenſium Ciuitates, Populuſquè commendarant, palam Pallio tegente Caſtra: inde illa Florentinis perpetuò lacrymabilis Clades, & immortalis Senenſibus profecta eſt Victoria, cuius rei cauſa Numiſmatum inſcriptioni additum fuit, CIVITAS VIRGINIS; indequè in poſterum, Res Publica Senarum hoc glorioſum nomen ſibi comparauit, ſcilicet.

SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS.

EXPLANATIO
TITVLI
ILICETVM SANCTITATIS ILLICIVM.

NOn planè ab re Ilicetanũ Cœnobium, **SANCTITATIS ILLICIVM** dicendum eſſe cenſuimus. Infinita verò (vt ita dicemus) nobis argumenta ſe ſe ad id aſſerendum offerunt, eorum autem pręcipuum dicamus loci opportunitatem, quam maximè capiunt hi, qui ſe diuino mancipare cultui volunt.

Moyſes enim ille Iudaici Populi Dux, & Vates diuinos fauores recepturus ſolitudinem exquiſiuit: *Et reſpexerunt ad ſolitudinem*(ait Sacer Textus) Exod. cap. 6. *et ecce gloria Domini apparuit in nube*. Et Deut. cap. 1. *Hac ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſdrael trans Iordanem in ſolitudine Campeſtri*: inſuper, *Propter hoc egò lactabo eam, et ducam in ſolitudinem, et loquar ad Cor eius*. Oſee cap. 2.

Allicit autem Ilicetum noſtrum, Sanctitate, Religione, Pietate, Virtutibuſquè vniuerſis, & Loci (vt dictum eſt) opportunitate: etenim eſt veluti Nabuchdonoſori Arbor in ea nãque eſca vniuerſorũ reperitur, cuius vmbra ad eas confugientes delectantur. Qui ſilentio gaudet, Nicolaium Bandinellum, & Bandinum de Scottis Nobiles Senenſes exemplum habet: Qui eleemoſynam in inopes amat, Nicolaus Mareſcotrus, & Paraclitus Binus illi eam oſtendunt: Qui ab infirmis, & vlceroſis abhorret, inſpiciat Nicolaum de Pariglionibus Gallum. Qui perpetuis vigilijs incumbentes perſpicere velit, ſibi ipſi offerat Philippum Agazzarium, Chriſtophorum Landuccium, Antonium à Montecchio, Ioannẽ Chiſium, & alios: Qui demum cæterarum virtutũ micis imo refertiſſimis epulis expleri deſiderat, Ilicetum properet, ibi enim eſca vniuerſorum eſt.

Alliciunt præterea (vt multa paucis cõplectar) ingens Ilicum proceritas, AEdium venerabilis antiquitas, Beatorum Virorum ſedula recordatio, eorũdem pia veneratio, Illuſtriſſimorum Præſulum procreatio, frequens Laycorum nobilium concurſus, Principum, Cardinalium, & Summorum Pontificum, inter quos Gregorij XII. Martini V. Innocentij VIII. Pij II. Piccolominei illuſtratio.

Inter Primates, & Sereniſſimos Principes, Chriſtina Lotharingia Magna Hetruriæ Ducisſa Chriſtianiſſima. Catharina Medicea Mantuæ Ducis coniux, pijſſima Senenſium Gubernatrix, fœmina æterna recordatione digna. Matthias Princeps Sereniſſimus ab Hetruria, alijq; Sexcenti hic aſtiterunt loci glorioſa fama adducti.

Allicit tandem Ilicum noſtrarum Sanctitas etiam ipſos Antipodes, ita Hieronymus Romanus Generalis Ordinis cum anno 1629. Viſeret Ilicetum, non ſemel dixit; Peruenerunt etenim ad ilices colendas Viri vndequaq; Excellẽtiſſimi, ex Anglia Guilelmus Flete Doctor grauiſſimus, ex Gallia Arnaldus Netacenſis, Nicolaus Pariglionus.

At ne ſeriem Fratrum texere videamur, hos, alioſquè innumeros miſſos facimus, illius tantùm meminerimus facti per Marchionem Marignani, nempe Ioannem Iacobum Mediceum An. 1554. cũ Senas obſideret, qui perſpecta Loci vetuſtate, ab excidio, quòd de eo faciendum duxerat, abſtinuit, tantummodo milites ibi relinquens Præſidiarios ex quibus ergo non incongruè deducitur Titulus.

ILICETVM SANCTITATIS ILLICIVM.

EXPLANATIO TITVLI SACRA ILICETANA SYLVA.

CIrca eundem hunc titulum SACRA *Ilicetana* SYLVA, quippequi tres complectitur voces, triũ quoquè animaduertenda cenſuimus.

Primo. Vox iſta SACRA, non omnino recentis accomodata huic Syluæ; nam apud Vrbem fuit antiquitùs quædam Via Sacra nuncupata, quòd in ea ſit ictum fœdus inter Romulum, & Tatium, de ea fit mentio à Cicerone ad Plancum, necnon ab Horatio eandem Viam Sacram vocante. A Romanis Mons Auentinus Sacer etiam dicebatur; ſimiliter, & Mons inter Anienem flumen, & Romam ſitus, cuius meminit Liuius, ſacer appellatus eſt; & apud Numantinos alius Mons pro ſacro habebatur, teſte Fraciſco Balduino, referente Ioanne Riuio in Vita S. P. Auguſtini. Græci etiam quædam certamina dicebant Sacra, quæ à Cornelio Tacito Ludicra vocantur, ſunt autem Olympica, Iſthimica, Pythia, & Nemæa. Antiquitus quicquid erat Principis, Diuinum, & ſacrum appellabatur; hinc ſacræ Principum Epiſtolæ, Leges, Mandata, & Reſcripta. Habemus dictum, Sacræ Baccæ, Sacer morbus, Sacer ignis, Sacer ſerpens, ædes ſacra, & his ſimilia centum Locus etiã ille dicitur ſacer, in quo ſacra conſeruãtur, quaſi ab his ſactatus, & Cicero ad Memmiũ; ac de natura Deorũ agens: Muros Vrbis ſanctos dicit idem eloquentiæ pater. Quare iure optimo ea voce vtimur, tum quia locum ſacrum Ilices circumſtant, tum quia viros ſacros Religioniq; voto addictos repræſentat; aut quia penè ſacra infinita complectitur.

Quoad ſecundam vocem, nempè *Ilicetana*, non iniuriã tribuitur loco, & ſacris viris ibi commorantibus, vox, ſiue titulus Ilicetani; Nam cum arbor Ilicis, cum apud Ethnicos, tum apud Chriſticolas magni fiat: Maro Poetarum Princeps, AEned. lib. 6. Ramum Aureum ex Ilice quadam prodire fabulatus eſt, cuius rei cauſam, breuitatis gratia, reticeſcere compellimur.

Dicimus tamen eandem Arborem Religionis Imaginẽ præferre; vt enim ſemper vireſcit, Fidem, Spem, & Charitatem ſignificat; vt eſt duriſſima, Obedientiam, Caſtitatem, & Paupertatem; quòd habet folia aculeata, Religionis oſtendit mortificationes; vt frugifera, & cuius fructibus, vt eſt apud Poetas, delectabatur Iuppiter, innuitur Religioſorum opera Deo placere; & quatenus reciſa magis viteſcit, pateſacit, & ſi ſint incolæ huius Syluæ in hoc ſæculo opprobrium hominum, & abiectio plebis; tandè futuros Ciues Sanctorum, & domeſticos Dei, & ſi inſectatos glorioſiores, & fulgentiores ſemper apparituros. Et tãdem vt illa aureũ gignere fingitur ramuſculum, ditiſſimam futuræ gloriæ mercedem, quam præparauit Dominus diligentibus ſe; optimè igitur loco, Ilicetani nomen, hoc Religioſis ibi commorantibus competit.

Poſtremum Verbum eſt SYLVA, quæ Vox bene conſonat, erat enim in loco Noſtro ſaltus vepribus penè inacceſſus, poſtea (vt infra dicemus) in formam Syluæ redactus, ſic adhuc conſeruatur; Vbi annoſæ, proceræque Ilices tercentos natæ annos apparent. Quæ Ilices in terram defixæ, mirum in modum regerminant, reciſæ repullulant, & deſoſſæ facillimè naſcuntur, vt experientiã commonet.

Ex ſtirpibus, aut raticibus, in quibus partibus cædua eſt, & perpetuò renaſcitur non vulgare commodum, nam cum ad certam proceritatem nempe annorum nouem, aut decem creuerit, ædicitur, vt vel fornacibus pro lateribus, vel calce conficiendis, ſiue clibanis, vel alijs vſibus inſeruiat opportunè.

Sylua eſt Glandifera, cuius Arbores non cæduntur niſi ſubinde nonnulli eiuſdem rami ad ignem Cœnobij, reliquæ ad eſcam quadrupedum reſeruantur; Eſt Sylua ſanè inuia, non irrigua, vbi quis æſtiuare, vel hyemare voluerit, facilè poteſt, cuitatis tamen æſtiuo tempore culicibus habitatoribus ſatis infeſtis, cæterum plena eſt amœnitate, ſudore, ac labore in multis ad ſpecimen redacta, Cupreſſis hinc inde conſitis, manuquè defoſſis.

Locus ſolitarius, ac religioſus, dilectus Deo, & hominibus, in quo beneplacitum eſt Deo habitare, aptiſſimus, inquam, ad inſeruiendum pietati, Religioſis viris commodus, qui & ſi in Mundo non vireſcant, ſed potius exareſcant iuxta illud Iſaiæ, *Ego lignum aridum*. Nihilominus, quatenus habent Patrem Saluatorem, melior eſt eis, quam decem filij, illic habitando, hanc putamus, Deum feciſſe illis pollicitationem, videlicet. *Dabo eis in domo mea nomen melius, à filiis, et filiabus nomen ſempiternum, quod non peribit*. cap. 56.

Ex his, appoſitè igitur colligi poteſt dictum Sacra Ilicetana Congregatio, Alumni Congregationis prædictæ Ilicetani: & Locus, aut ſitus Cœnobij.

SACRA ILICETANA SYLVA.

ORIGO

ORIGO
SACRAE EREMI ILICETANAE PRO COENOBITIS ORD. S.P. AVGVSTINI IN TVSCIA.

ILicetum Vetus Sanctitatis Illicium, Areopagus pietatis, Asylum Religionis, Atheneũ disciplinæ, Palladium virtutis, à sui principio propter densissimum, & quasi inaccessibile vepretum, in quo latitabat, EREMVS DE FVLTIGNANO dicebatur, & hoc peritum est nomine vsque ad Annum circiter 1220.

At postea ex Decreto Reipublicæ Senarum dissipato Rubeto, & ad modum saltus, aut Syluæ redactum, vt rebelles inde facilius expellerentur, EREMVS DE SYLVANUNCUPATUR, quod nomen postea retinuit vsque ad An. 1500.

Deinceps nomenclaturam sibi comparando nouam ab Ilicum semper viridantium multitudine inibi, quas spontè, frequenterq; altissimas producit ipsamet Natura, & à Lacu, quem nobilis Vir Bongannis possidebat, vno milliario propinquo Ecclesiæ iam diu Deo Redẽptori dicatæ. COENOBIVM SANCTI SALVATORIS DE ILICETO ad Lacum dicitur, quo nomine etiam nunc gaudet.

Ad tertium distat lapidem Eremus hæc nostra Ilicetana à Senarum Virginis Matris Vrbe in Tuscia, eiusdem Vrbis, & Archiepiscopatus in Agro posita sedens, in Colle satis amœno, ab arte potius quàm à natura sic effecto, introitum inter occidentalem, & Aquilonarem partem retinens, pulchriorem eius aspectum aperit latus Septentrionale, & Orientale, cuius Origo, vt ex vetustissimis eiusdem Ciuitatis monimentis, codicibusquè, cum manuscriptis, tum impressis à pluribus Authoribus antiquis, & recentioribus talis est.

Conciones habente Ansano Frangipanio, Anicio, aut Pierleonio ab Austria Romano de IESV Christi fide Senis, iam penitus ibidem collapsa, signis, & virtutibus sermonem cõfirmante, Lisias Proconsul pro Populo, & Republica Romana, principijs dire obstando, impiequè contradicendo, diuinum Præconem Ansanum adhuc Iuuenem carceri tradit, in Turrimquè Castri Veteris, vulgo Rocchetta dictam iam, à Publio alio Proconsule Romano erectam includit, dura morte puniendum.

Qui alter Cygnus imminente iam morte melius, dulciusq; canens, Discipulos, & sequaces è Fenestrella, Turris aduocans, excitat ad bene viuendum, & ad tolerantiam earumdem passionum, quas Christus pro nobis pertulit.

Magis magisquè ex hac feruescens causa Lisias, irritatus citò currit, volat sæuissimus, dirus, truculentus ad vindictam, edictum Capitale statuens etiam contra assecias, Auditoresquè Ansani; Vnde perterriti Discipuli eius aufugiunt, & in aliquibus Cauernis, vbi modo erecta manet illa Insignis, ac percelebris Sodalitas Laycorum s. Mariæ sub Xenodochio itidem s. Mariæ de scala, parum à Turre distantibus se se recipiunt, clam inde, & tempore nostis ad Turrim aduentantes, audituri Præceptorem confirmandiquè ab eò in fide.

Detegunt hoc callidissimi, oculatiquè Pronconsulis ministri, persequuntur eos immaniter satellites, at illi dicto parentes. *Cum vos persecuti fuerint in Vna Ciuitate, fugite in aliam*, S. Matt. 10. capientes fugam ex illa parte, in cuius principio Templum Numini Dianæ dicatum colebatur, vbi modo iure meritò colitur Deipara Virgo, propinquiorem densissimam syluam, transmisso Tresse flumine, petunt, vbi inter scissuras mõtium, latibula, speluncasquè terræ, ab ea met matre Naturâ diuisim formatas, vepribus,

bus, (vt dictum eſt) quaſi inacceſſis maximo labore ſuperatis, eas penetrãtes inter ſerpentes à ſeuitia humana, ac peruerſitate redduntur ſecuri.

Quibus in locis ſecundum eumdem ſpiritum illius, qui quando, & quomodocunq; vult ſpirat, vixerunt vſque ad Aduentum Magni Patris Auguſtini, qui Mediolani accepta Baptiſmi gratia per manus ſanctiſsimi illius Ciuitatis Antiſtitis Ambroſij, Aphricam cum ſocijs, piaque Matre Monica petens, per Tuſciã tranſiens, eiuſdem Tuſciæ Deſerta, vbi Eremitas commorantes audiebat, luſtrauit, præcipuè ad Noſtros in Deſerto Fultignani protinus acceſſit, allectus Incolarum fama, quæ iam ſibi vires acquiſierat eundo, ibiquè aliquamdiu permanſit.

Auguſtinus illos confirmat, dat illis Regulam, & viuendi Normam cœnobiticam, quam iam Mediolani, inſtante Simpliciano admirabilis ſanctitatis Viro confecerat, conſtructo ibi paruo domicilio eodem loco, vbi ſupradictum eſt, ibidem, vt ſaltim diebus feſtiuis, & ſolemnioribus in vnum potuiſſent conuenire, relictiſque cum eis aliquibus ex ſuis, cum cæteris, & pia matre, inceptum proſequitur Aphricæ iter, luſtratis Eremis s. Luciæ in Valle Roſiæ, ſanctæ Mariç de Monte Specchio, & ſancti Antonij Vallis Aſperæ ad Balneã Petrioli.

At dirè deuaſtantibus illam Aphricæ partem Vuandalis, ſub Traſamundo Rege Arriano An. 504. Illius Sacræ Auguſtini Soboles ſparſim fugiendo Infidelium Inimicorum immanitatem, militum crudelitatem, pars vnã Inſulam Sardiniæ cum ſanctiſſimis Inſtitutoris Pignoribus petijt, altera vero Tuſciam ad Conſratres Eremitas inſtitutos, (vt ſupra diximus) profecta eſt; Alij, ex illis in Deſerto noſtro Fultignani, alij in valle Roſiæ, alij deniquè in Eremo Vallis Aſperæ, & in montibus Piſarum prope Rupem Cauam ſe ſe recipiunt.

Hæc, quæ dicta fuere, ſatis apertè correſpondent authoritati multorũ, inter quos præcipuè Papæ Martini V. ſçl. record. Serm. de Translatione corporis s. Matris Monicę, AEgidij Card. Viterbienſis in Panegirico pro Cœnobio Ilicetano circa principium, & Iugurtæ Tommaſij Senenſis p. p. Hiſtoriarum lib. 1. pag. 5. & alij

Inſuper pro hac veritate conſolidanda, multa habemus teſtimonia, præcipuè in aliquibus perantiquiſſimis Ciuitatis Senarum Chronicis, teſte Beato Paraclito de Binis à Sancto Angelo in Colle Ilicetano Hiſtoriographo habetur, Ann. 480. multos ex Nobilibus Senarum Ciuitatis Viros tactos digito Dei (ità ait) ad Deſertum hoc noſtrum profiluiſſe, Regi æterno tutiùs inſeruituros.

In alijs vero Chronicis, affirmante Hieronymo Bonſignorio in ſuo Memoriali de Rebus Ilicetanis, legitur, An. 600. in hac Eremo latitaſſe Viros ſanctiſſimos.

Et in alijs Chronicis itidem uetuſtiſſimis compilatis ad modum Diarij per Ioannem de Bisdominis Senenſem. M. S. à nobis ſumma vigilantia cuſtoditis in Noſtra Bibliotheca Martiniana ſub signo † Grad. 7. num. 11. apertè apparet, Anno 689. Iam plurimos Eremitas manſiſſe apud hoc domicilium.

Quibus in locis, cum non de fundatione Sacræ Eremi, ſed de poſſeſſione, & habitatione agatur, ſatis apertè ex illis colligitur, ante hęc tempora enunciata fundatã fuiſſe prædictam ſacram Eremum.

Ità vt hoc annorum circulo computato deducatur, eam originem habuiſſe An. 300. ſiue ſecundùm Panuinium, & Baronium 303. quo tempore ex dictorum ſententia, floruit prædictus Chriſti Martyr Anſanus Senenſium Baptiſta, qui proprio cruore Patriam ſenenſem fæcundauit ad ſanctitatem.

A cuius glorioſo tranſitu, cum vſque ad Aduentum magni Doctoris, & Legislatoris Auguſtini, ſint ſecundùm primam ſententiam elapſi ann. 88. ſequitur ex conſequenti, Hanc noſtram Eremum cepiſſe viuere ſub Regula ſanctiſſimi Patriarchæ Auguſtini Anno 388. plurimùm Ilicetana propago proficiens in ſpiritu, & virtute Eliæ, Cælo nobiliſſimam, copioſiſſimamq; ſobolem pariens, inclytã Prolem pãturiens, vt meritò ſibi comparauerit nomen Seminarij Beatorum, Officinæ Sanctorum, & Illuſtriſſimo-

tum

rum Virorum, & Principum Altricis fæcundæ, electorum Dei.

Et ſi multorum nomina igne comburente, aqua detergente, tempore edente, ſimplicitate maiorum cooperante, ignorentur, cum remanſerint tantùm indelebiliter in libro Vitæ; Aliquorum tamen extat memoria, quorum facta noſtræ ſyluæ opacitatem illuſtrè reddidere, etiam ante vnionem generalem Ordinis, imo à ſui principio, & hi fuere B. Blaſius di Opima, qui poſt diſceſſum Diui Parentis Auguſtini ab Ilicceto, & à Cœnobio S. Antonij de Petriolo paucis menſibus tranſactis, Animam reddidit Creatori apud idem Cœnobium Petrioli Ilicetano Vnitum, cū in vtroque D. Parens eamdem Regulam reliquerit An. 388. vt ſupradictum eſt B. Iacobus Piccolomineus Ann. 1274. B. Antonius Alexandrinus. An. 1160. B. Latinus Ann. 1210. B. Nicolatius Bandinellus An. 1218. Omnes Senenſes, qui Iliceti quieſcunt, præterquam Blaſius.

Ilicetum profectò Vetus, profectò Sanctitatis Initium, etenim ad eum acceſſiſſe fertur, eiuſdem Sanctitate illecti poſt D. P. Auguſtinum, cum socijs, & Sancta Matre Monica, Mellifluus Doctor Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, Auguſtini Baptiſta An. 392. S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor Eximius An. ferè 410. S. Guilielmus Aquitaniæ Dux. An. 1156. S. Galganus de Guidottis An. 1180. & S. Franciſcus ille Seraphicus Patriarca de Aſſiſio An. 1208.

Hic libenter doctiſſimi P. F. Thomæ de Herrera Auguſtiniani, vtar verbis Alph. p. p. pag. 393. vbi ait *Felix Eremus* (loquitur de hac noſtra) *quæ ex propriis partibus domos alienas ditauit, et noua Religioſorum ſobole Catholica fæcundauit Eccleſiam.*

Temporaliter etiam profecit Sacra Eremus constructo virtute Eleemoſynarum fidelium non paruo domicilio præſertim à magna fæmina, non minùs religioſa, quàm potens, quæ vulgo Comitiſſa di Monte Maggio appellatur, eò tempore quo eiuſdem impenſis magnificentiſſimè inter cætera loca pia ab ea erecta, extruebatur Cœnobium, ſiuè Abatia ad Inſulam inter Ciuitatem Senenſem, & Collenſem ſita, Ann. circiter 1080. Quam Abatiam Sanctiſſimo Saluatori, & Sancto Ciriaco dicauit: Hęc eadem Comitiſſa Mithildes voluit ſufficientibus opibus ad ſubſtentandam, alendamquè Eremiticam paupertatem Eremum noſtram etiam ditare, de qua donatione Collegio Ilicetano facta apparet Inſtrumentum in lib. Contractuū dicti Cœnobij pag. 235. & etiam in lib. Veteri Reformat. Ciuitatis pag. 331.

His Eleemoſynis, & Opibus adeo profecit Sacra Eremus noſtra etiam materialiter An. 1084. recipere, ac continere exercitum ſex millium peditum à Republica Senarum miſſum contra Florentinos prima vice prçliaturum, quia Senenſes adheſerunt Herico Tertio Imperatori, teſtibus Malauolta lib. 3. Hiſt. Sen. p. p. pag. 28. & Tom. lib. 3. pag. 124.

Interim Ilicetanum Monaſterium, ſub diuerſo incertoq; regimine, interq; multa, variaq: diſcrimina rerum permanſit profitendo tamen ſemper Regulam iam acceptam à D. P. Auguſtino à priſcis temporibus vſq; ad vnionem Generalem per Alexandrum Quartum ſummum Pontificem æternæ Record. completam Ann. 1256.

Poſt quam Vnionem, & paulo ante illam certa eſt memoria Multorum Reuerendorum Patrum, qui Cœnobium noſtrum, Deo dante, prudenter, ac ſanctiſſimè rexerunt, hinc addidit prædictus Herrera p. 2. pag. 173. *Fortunata AEdes Ilicetana non minus viris Sanctis, quàm opacis Ilicibus fæcunda, quæ à tot Sanctiſſimis Paſtoribus felici ſucceſſione meruit gubernari*: Quorum ſeries eſt, vt infra.

SERIES

Reuerendorum Patrum Priorum Iliceti, quorum certa eſt memoria ab An. 1222. Cum antea perierint Scripturæ.

In cuius Seriei progreſſu, facta, & geſta Omnium magiſtratuum eorum recenſentur.

1222 1 Beatus Pater Fr. Bandinus de Balſettis vnà cum Scottis Senenſis inuenitur hoc anno, ſed non à die ſuæ electionis, quæ ſine dubio fuit antea notabili tempore, cum vocetur etiam Dominus dicti loci, nempe Iliceti.

Cum iſto moratus eſt Iliceti ſeraphicus ille ſanctiſſimus Franciſcus, teſte inter multos grauiſſimos ſcriptores Beato Philippo Agazzario Senenſi, qui in Vita huius B. Antiſtitis pag. 57. conſtanter affirmat, hoc audiuiſſe à maioribus ſuis, qui cum Bandino, & Franciſco commorati fuerant.

1223 2 Reu. Pater Fr. Martinus Senenſis: hic appellatur Dominus, & Prior Iliceti.

1223 3 Reu. Pater Fr. Gratianus Senenſis.

Circa hæc tempora, nouo miraculo, ſurgit ſubterranea aqua indeficiens, vno Viro ex Ilicetanis orante, cuius nomen in libro Vitæ.

Fit puteus ad prædictam aquam continendam in campo prope Eremum, vbi naſcuntur Lapilli ad inſtar Adamantum formati.

Angeli inter Fratres Ilicetanos palam apparent publicè, cum illis verſantur, illiſq; cibum parant tempore ſummæ egeſtatis.

1227 4 Beatus Pater Fr. Bandinus de Scottis Senenſis qui ſupra.

1228 Gregorius Papa IX. ex Sacro Ordine Camaldulenſi, quam plurimi faciebat Ilicetanũ Cœnobium, ideo ſub Apoſtolorum, & ſuo Patrocinio accipit Eremum Ilicetanam, cunctaq; ad eam ſpectantia, & habitatores ſimul. *Die 3. Februarii.*

Idem ſum. Pontifex mandat Epiſcopo Senenſi, vt in conſecratione Eccleſiæ huius loci, indulgentiam de more impoſiturus, extendat ad omnes accedentes ad eandem Eccleſiam. *Die 5. Februarii.*

Conſecratur Eccleſia ad honorem Domini ſancti Saluatoris, B. Mariæ ſemper Virginis, & ſancti Benedicti, per Antiſtitem Senenſem Bonfilium, & imponitur pro prima Dominica menſis Maij Indulgentia quadraginta dierum annuatim, in perpetuum. *Die prima menſis Maii.*

Idem ſummus Pontifex concedit viſitantibus dictam Eccleſiam ſeptingentorũ Annorum Indulgentiam in omnibus Feſtiuitatibus B. Mariæ Virginis. In die Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes, nec non S. P. Auguſtini, & extenditur ad omnes Eccleſias Congregationis.

Fortaſſe circa hæc tempora per dictum Summum Pontificem Greg. IV. & Bonfilium Epiſcopum introducitur in Cœnobium Iliceti D. Benedicti Regula.

1230 Beatus Antonius de Patritijs Senenſis, ſuſcepto habitu Iliceti, poſtea apud Montecianum in Agro Senenſi animam exhalauit, cuius Corpus in ſacello eius nomini dicato, integrum, & incorruptum cernitur, & colitur.

1232 Beatus Petrus de Valle Roſia cognomento Lacrymoſus ex Rubea Familia, viam vniuerſæ carnis ingreditur, & vocem, *Surgite Mortui*, expectant eius oſſa Iliceti.

1234 Beatus Petrus cognomento ſanctus ad Cælũ pergit Iliceti, vbi ſacra eius oſſa quieſcunt.

1236.

1238 Sanctus Ambrosius Sansedonius Senensis, antequam sacro indutus esset habitu D. Dominici, sepissime ad nostrum desertum declinabat, vbi singulari certamine de humani generis hoste triumphabat.

1243 Innocentius IV. mandat Plebano s. Agnetis Senensis Dicæ. vt dirimat, semota omni appellatione, quandam causam vertentē super mortuarijs, & rebus alijs inter quosdam Laycos, & Priorem, ac Fratres Eremi s. Saluatoris de Sylua Laci Ord. s. Augustini, instante Bandino Scotto. *Die* 12. *Aprilis*.

1244 Item concedit Priori, & Fratribus Eremitis in Tuscia Ord: S Augusti. vt perpetuis futuris temporibus profiteantur Regulam Augustinianam, et Diuinum Officium persoluant secundùm Eccl. Rom. consuetudinem. *Die* 15. *Martii*.

Idem Pontifex rogatus per supplicem libellum consentit, vt Eremitæ in Tuscia redeant ad obseruantiam Regulæ s. Augustini, et absoluit eos à promissione de obseruando Regulam s. Benedicti. *Die* 28. *Martii*.

Idem per aliud breue impartitur Eremitis in Tuscia Facultatē recitandi Officium Diuinum secundùm ritum Ecclesiæ Romanæ, atque obseruandi Regulam s. Augustini. *Die* 28. *Martii*.

Idem Pontifex vult Eremitas in Tuscia Ord. s. Augustini recipere posse ad habitum, illum postulantes, eosque absolucre à censura excomunicationis, suspensionis, et interdicti. *Die* 19. *Aprilis*.

Idem Pontifex, vt Christi Fideles eò libentius conturrant ad reparationem Ecclesiarum Ordinis sancti Augustini, eis plures Indulgentias concedit penæ in singulis festiuitatibus easdem Ecclesias visitantibus, vt videre est in Bull. Ord. pag: 166. et in Archiuio Ilicet. *Die* 26. *Aprilis*.

Idem per aliud Diploma sub sua, et B. Petri protectione recipit nomos Fratrum Eremitarum in Tuscia Ord: s. Augustini, eisquè largitur multa Priuilegia, Gratias, et Immunitates, vt apud idem Bull: pag: 166. et Archiuium Ilicet. *Die* 26 *Aprilis*.

Idem commendat Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, cæterisquè Ecclesiarum Prælatis obseruantiam Priuilegiorum Fratrum Eremitarum Ord: s: Augst: in Tuscia, *Die* 11. *Mait*.

Item mandat Fratribus Eremitis s. Guilelmi in Tuscia, vt assumant Regulam, et Ordinem s. Augustini, et secundùm illum professionem emittant, saluis obseruantijs seù Constitutionibus faciendis ab eis, dummodo eiusdem Ordinis non obstent institutis, *Die* 16. *Decembris*.

Item pro stabilienda in perpetuum vita Regulari Fratribus Eremitis in Tuscia Ordin: s: Augustini, confirmat quasdam Constituones per eos editas, *Die* 15. *Februarii*.

Item concedit Eremitis in Tuscia Ord. S. Augustini facultatem confessiones fidelium audiendi, et Verbum Dei prædicandi. *Die* 23. *Martii*.

1247 Idem Pontifex concedit visitantibus Ecclesiam sancti Saluatoris de Sylua Laci indulgentiam quadraginta dierum in anniuersario dedicationis Ecclesiæ. *Die* 17. *Aprilis*.

Idem Pontifex permittit vt Eremitæ Ord. S. Augustini persoluant Diuinum Officium secundum normam Breuiarij per eos correcti ex statuto Regulæ, et cōcedit, vt si aliquis eorum interfit Officio cum alijs, tunc id ei sufficiat, nec ad dicendum proprium Officium teneatur. *Die* 30. *Iulii*.

Eremitæ in Tuscia Ord. s. Augustini, ex Indulto eiusdem Pont. possunt volentes aggregari eorum Collegio absoluere ab omnibus sententijs Excomunicationis suspensionis, et interdicti. *Die* 19. *Aprilis*.

1250 Palmerius olim Prior, et Vgolinus Canonicus Ecclesiæ s. Leonardi de Sylua Lacus Senen. Dicæ ipsam Ecclesiam, quæ hactenus Ord. Eremitarum s. Augusti-

ni extiterat, eidem Ordini restituerunt, ne viderentur suarum Animarum derogare saluti, ita habetur in litteris patentibus: Quam restitutionē confirmat Petrus Cardinalis S. Georgij ad Velum Aureum. *Die* 2. *Decembris*.

1251 Fr. Adiutus Visitator Generalis Ord. Eremitarum D. Augustini prędictum Cœnobium sancti Leonardi adeo vniuit Monasterio Ilicetano, vt vnum corpus essent dictæ domus, & vnum Capitulum conserentur, gubernandæ ab vno Capite, qua ratione prædictus B. Bandinus extitit Prior Ilicetj, & sancti Leonardi simul à prædicto Visit. Adiuto peculiari modo pronunciatus. *Die* 9. *Decemb.* Quæ omnia confirmant, eisquè præstant consensum Fr. Rodulphus, & Fr. Paulus Eremitæ dicti loci. *Die* 29. *Decembris*.

1252 Idem Innocentius IV: primam vnionem factam inter aliquos Eremitas Ord: S. Augustini confirmat: *Die* 15 *Aprilis*.

Idem Sum. Pontifex concedit Fratribus nostræ sacræ Eremi, vt possint accipere pecunias de vsuris, dummodo non sit notum, cui deberentur restitui, & extortores non teneantur ad aliam restitutionem. Titulus Bullæ est, Priori, et Fratribus Eremi sancti Saluatoris de Sylua Laci Ordinis sancti Augustini: *Die* 19. *Aprilis*.

Eiusdem Pont: authoritate confirmatur vnio Domus S. Leonardi, facta vt supra Collegio Ilicetano Ord: S. Augustini: *Die* 26 *Maii*.

Idem Pontifex vult Archiepiscopos, & Episcopos requisitos ab Eremitis Ord: S. Augustini minimè negare, sed concedere licentiam construendi Ecclesias, et Monasteria: *Die* 3 *Augusti*.

Prædictus Pontifex vnionem Cœnobiorum Ilicetj, et S. Leonardi vt supra factā per Adiutum Visitatorem Ord. Eremitici Augustiniani, vult permanere. *Die* 1. *Martii*.

1255 Alexander IV: summus Pontifex immortalis recordationis, prędictam vnionem Sancti Leonardi, cum Cœnobio Ilicetano vt supra factam per fratrem Adiutum Visitatorem, & Richardum Cardinalem, corroborat. *Die* 25. *Iulij*.

Itē confirmat, et ratas habet quaslibet Constitutiones editas per Fratres Eremitas Ordinis Sancti Augustini in Tuscia sub Innocentio IV. *Die* 25 *Iulij*.

Item per aliud Breue permittit, vt ingredi volentes Collegium nostrum possint recipi, et absolui ab omni vinculo excomunicationis, suspensionis, et interdicti iuxtà formam Ecclesiæ: *Die* 25 *Iulii*.

Idem vniuersis Fratribus Eremitarum S. Augustini in Tuscia concedit facultatem recitandi Officium Diuinum secundum obseruantiam Breuiarij ex statuto Ordinis correcti iuxta Ecclesiæ Romanæ morem, et qui cum alijs intersunt Officio, ad dicendum proprium minimè teneantur: *Die* 26. *Iulij*.

Idem ad instar felic. record: Innocentij IV: prędecessoris sub B: Petri, et sua protectione suscipit Ordinem Canonicè in Tuscia institutum secundùm deū, et B: Augustini Regulam, eidemquè Ordini multas immunitates, et exentiones confirmat, et concedit: extat primum exemplar in Archiuio Ilicetj, et transumptum in Bull: Ord: pag: 2. *Die* 30. *Iulii*.

Ex quibus Titulis apertè patet, longè ab hisce temporibus An. 13. prædecentibus Vnionem Generalem iam Ilicetj firmatum fuisse Ordinem, & Regulam D. Augustini, & recessisse illam s. Benedicti, casu quo fuisset ibidem intrusa in actu Consecrationis Ecclesiæ vt dictū est, at nunquam in publicis, aut priuatis monimentis nostri Monasterij, sit mentio de tali Regula s. Benedicti, posthabita suspicione dictæ Consecrationis, & Picturæ in Claustro nuncupato Beatorum præferentis aliqua gesta huius sancti.

1256 Alexander IV. sum. Pontifex, æternæ record. tandē Vnionem Generalem Diuersorum Eremitarum Ord. s. P. Augustini factam per Dominu Cardinalem Richardum

chardum Ordinis Protectorem confirmat: maior pars expeditionum Originalium aſſeruantur in Archiuio Iliceтano Dat. *Die 9. Aprilis*.

Item immunes declarat Eremitas Auguſtinianos in Tuſcia à ſolutione decimarum de Domibus, Virgultis, Hortis, Terris, Vineis, & Poſſeſſionibus, quas proprijs manibus, ac ſumptibus colunt, *Die 12. Februarii*.

A Republica Senarum vocantur Fratres Iliceтani Senas ad commorandum, & à percelebri Abbatia s. Galgani Guidotti in Agro Senenſi, accipiunt in Emphiteuſim locum ss. Trinitatis, & s. Ioannis in Laterino ad angulum Ciuitatis, occidentalem partem verſus.

1257 Inde recedunt aliqui eorum, & ad alium locum itidem Sanctiſſimæ Trinitati dicatum, in Valle Montonis, domicilium ſibi acquirunt.

1259 Poſtremò per dictos Patres Iliceтanos fundatur Pereelebre Cœnobium s. Auguſtini Senarum in loco, qui dicebatur Caſtellaccia s. Agathæ, pronouente hoc Beato Præſule Bandino Scotto.

Idem immunia reddit Cœnobia Iliceti, & s. Leonardi de Lacu à quauis portione ſoluenda Legatis, ſeu Nuntijs Apoſtolicæ Sedis, *Die 26. Maii*.

Alexander IV. concedit de malè acquiſitis vſq; ad libras trecentas, poſſe accipere Fratres Eremitas s. Auguſtini de Arca Senenſi, & ſunt ij, qui fundarunt Cœnobium. *Die 6. Martii*.

1260 5 Reu. Pater Fr. Marcus Senenſis.

Beatus Pater Fr. Bandinus de Scottis, qui ſupra, dicitur Prior Collegij s. Auguſtini Senarum, vt iam dictum eſt inchoati.

Vrbanus IV. pern ittit idem Cœnobium recipere poſſe de vſuris, rapinis, male què acquiſitis, viginti Marcarum argenti. *Die 25. Maii*.

1264 6 Beatus Pater Fr. Bandinus de Scottis qui ſupra.

Clemens Papa IV. rogatu huius *Prioris*, impartitur multa Ordini noſtro, quæ videnda ſunt in Bullario Ordinis pag. 61. vſq; ad 64. Quorum expeditiones Originales pro maiori parte ſeruantur in Archiuio Iliceтano.

1265 Idem sum: Pontifex concedit decem et ſeptem Annos, & totidem quarantenas Indulgentiarum toties quoties viſitantibus Eccleſiam Iliceti.

1271 7 Reu. Pater Frater Riſtaurus senenſis.

1274 Reu. Pater. Fr. Bandinus de Scottis, qui ſupra eligitur in *Priorem Prouincialem, Prouinciæ* Senarum per biennium.

Nic B. Vir Bandinus, dum aliquando Cœnobij Aſellum furto abduci conſpicaretur, ne ſilentij legem labefactaret, non prohibuit, nec contra abducentem verba fecit, ſed Eccleſiam ingreſſus, prece, ac lachrymis cauſam apud Deum egit, quarum efficacia fur, et furtum immobiles conſtitere, nec extra Ilices prodierunt, donec fur furtum, venia impetrata, reſtituerit.

Idem Beatus Scottus plurima ad vtilitatem Cœnobij peregit, præſertim multa bona ſtabilia parando, inter quæ frugifera, egregieque culta prædia della Loccaia, Viteccio, e Terrenzano, vt videre eſt in lib. Cont apag. 2. vſq; ad 24.

1276 Tandem dierum, et meritorum plenus, immortalitatis ſtola induitur, cuius venerabilia oſſa extremum diem præſtolantur Iliceti.

1277 8 Reu. *Pater* Fr. *Philippus* de Orſolinis Senenſis.

1282 9 Reu. *Pater* Fr. Iacobus de Orlandis Senenſis.

1286 10 Reu. *Pater* Fr. Ioannes Benincaſa Senenſis.

Hic Venerabilis, et sapiens Vir, conſanguineus erat ſponſæ Chriſti Catharinæ ſeraphicæ Senenſis, cuius veſtigia optimè ſectatus eſt.

1288 Nicolaus IV. sum. Potifex concedit Indulgentiam centum Annorum Viſitantibus Eccleſiam Iliceti, in die Dedicationis Eccleſiæ, Aſcenſionis Domini, & Feſtiuitatis S. P. Auguſtini, & per totam octauam.

1290 11 Reu. Pater Frater Vgo Senenſis.

Sub

Sub isto Beatissimus Puer Frater Ioannes de Incontris, ab Instituto Ilicetano iam capto, recedens, respiciensque retro, per Christum Dominum, forma Pastoris indutum, ad arctissimam Cœnobij Ilicetani vitam reuocatur.

Respublica Senarum immunes declarat Magnum Xenodochium de Scala, Domũ Domnæ Agnetis, seu Hospitale s. Nicolai, Domum Misericordiæ, quam hisce temporibus Domus Sapientiæ dicitur, ex eo quia ibidem scientiæ singulæ traduntur, Patres Minores, Prædicatores, Seruitas, & Ilicetanos, à solutione, omnium vectigalium, ex lib. Generalis Gabellæ Ciuit.

1298 Bonifacius VIII. recipit totum Ordinem Eremiticum Augustinianum immediate sub Patrocinio suo, et sanctæ sedis, eam eximendo à Iurisdictione cuiuslibet Ordinarij; Originalis Bulla seruatur in Archiuio Ilicetì. *Dat. die* 21. *Ianuar.*

Item confirmat Visitantibus Ecclesiam Ilicetì, & alias eidem vnitas omnes Indulgentias à prædecessoribus suis concessas, reducendo eas ad Tria millia quadringenta octoginta, et octo Annorum, & centum dierum, nec non ad Quarantenas duo millia septingenta, quadraginta sex, et hoc à medietate Quadragesimæ, vsque ad Octauam Paschæ, toties, et quoties &c.

Quæ Indulgentiæ sine vlla dubitatione, impertitæ fuerunt à s. Sede, deposcente Augustino Nouello Siculo à Senis, qui primo fuit sacrarij Apostolici Prefectus, et à Confessionibus prædicti Papæ Bonifaci. Eo tempore, quo fuerunt concessæ enunciatæ Indulgentiæ, iam Augustinus electus erat in Generalem Ordinis.

Beatus Brunettus de Rubeis Pratensis transit ad Patriam Angelorum, coluntur eius exuuiæ apud Monasterium S. Annæ extrà Ciuitatẽ Pratensem.

1300 12 Reu. Pater Fr. Ioannes Benincasa Senensis, qui suprà.

Generalis Augustinus, habitu et Patria Senensis Generalatu se abdicauit, & inter nostros Ilicetanos numerari voluit apud Cœnobium S. Leonardi de Lacu.

Hic Sanctissimus Vir inuitus fuit initiatus sacris Ordinibus demandante Clemente de Auximo Generali Ordinis eumq; in socium assumente, cui etiam prouinciam demandauit, vt Constitutiones Ordinis reformaret, & vt Generalatus totius Ordinis officium sumeret Bonifacius *VIII* sub merito obedientiæ imperauit.

Fuit Institutor Ordinis Hospitalis S. Mariæ de Scala apud Senas, id quod satis apertè confirmant Picturæ eiusd. Beati pluribus in locis appositæ in Infirmaria eiusdem Hospitalis, cum inscriptionibus, in quibus etiam titulo Sanctitatis condecoratur.

Tandem clarus miraculis Animam reddidit Creatori suo apud prædictum Cœnobium s. Leonardi, cuius sacra Pignora, vt secura redderẽtur Senas transferuntur de mandato Domini Episcopi eiusdem Ciuitatis, apud AEdes S. Patris Augustini, vbi honorificentissimè coluntur quasi ijsdem ritibus Ecclesiæ, quibus sancti in Cathalogum ascripti gaudent.

1312 Quem sequitur ad Cœlum B. Conus siue Bonus, eiusdem Augustini Nouelli Socius, & Comes inseparabilis amantissimus.

A Ioanne xxii. Pont. constituuntur defensores Priuilegiorum nostrorum Episcopus Massanus, Aretinus, & Senensis, & vt Fratres Eremitas defendant a molestijs illatis, *Die* 28. *Aprilis*.

1314 Declarantur immunia Cœnobia S. Saluatori de Ilìceto, Sancti Leonardi de Sylua Lacus à solutione collectarum, etiam pro subsidio Terræ Sanctæ, ex sententia Domini Rogerij Episcopi Senarum, & Decimarum Collectoris Generalis *Die* 5. *Octobris*.

Sub isto Venerabili *Priore* Ioanne Benincasa ponuntur fundamenta pro accretione Ecclesiæ Ilìceti ex parte maioris Aræ.

13 Beatus Pater Fr. Vmbertus de Accarisijs Doctor Parisiensis à Senis.

Beatus

Beatus Pater Fr. Ioannes de Incontris Senensis, declaratur Prior Collegij Sancti Augustini senarum.

1324 14 Beatus Pater Fr. Nicolaus Tini, de Marescottis Senensis.

1332 15 Beatus Pater Fr. Ioannes Incontrius Senensis, qui supra.

Hic etiam fuit Procurator Prouinciæ Senarum, & Collector subsidij pro construendo Cœnobio Papiensi in Cœlo Aureo.

Circa, hæc tempora promouentibus supradictis immediatè quatuor Præsulibus, multa ad ornatum, & vtilitatem Monasterij ædificata fuere præsertim,

Ecclesia Iliceti amplificata fuit in parte superiori, nempe vbi nunc est Odæum, longitudo autem eiusdem Ecclesiæ ad 40. cubita protenditur.

Constructa fuit fenestra vitrea in Odæo contra Aram maximam, in qua elegantèr expressæ fuerant Imagines diuersæ, in summa parte Domini nostri Saluatoris effigies, in media Redemptoris Crucifixi, & infra S. P. Augustini, pro mercede artifici fuerunt tantummodo solutæ libræ 19. & pro fulcimentis ligneis ad sustentandam fenestram solidi 10.

Itidem fuit erecta alia fenestra circularis figuræ supra portam maiorem Ecclesiæ, in qua diuersis coloribus apparet depicta Imago Deiparæ, Virginis coronatę eximia arte elaborata; Artifici pro integro precio lib. 10. dantur.

Alia parata fuere hac tempestate, nempe Atrium ante Ecclesiam super Columnas lapideas fundatum, cuius longitudo procurrit ad cubita 37. Sacrarium, & Odæum, Puteus in medio Claustri, quod à Beatis nomen habet, & murus Cœnobium sepiens, qui murus se extendit ad cubita 640.

Depingitur atrium antedictũ, labor vero, & industria Artificis mercede lib. 52. plenè compensatur.

Cuncta hæc parata, & completa fuere infra Ann. 15.

1333 Generalis Guilelmus de Cremona fuit Iliceti, loco mirificè delectatus, & aliqua peculiaria Decreta pro conseruatione, & incremento maioris, ac artioris obseruantiæ reliquit.

1336 Deposcentibus Patribus Ilicetanis instantissimè, Episcopus Senarum inhibet cunctis fidelibus, ne peterent Ilicetum in Die Consecrationis Ecclesiæ prima, Dominica Mensis Maij, & hoc ad euitandos tumultus; nouem quadrantes dantur pro scriptura.

Hisce temporibus fortasse accidit illud Insigne factum, quando eadem causa, nempe ad euitandas turbas Prior Monasterij indutus Vestimentis Sacerdotalibus in meritũ salutaris Obedientiæ præcepit cunctis Beatis Patribus defunctis Iliceti, ne in posterum impetrarent à Deo miracula.

1339 Tandem hic Sanctissimus, Prudentissimusq; Prior Ioannes de Incontris inter has Sacras Ilices Animam reddidit Creatori, accedunt ad funus lacrymantes insigniores Patres, cum Prouinciali Prouinciæ Senarum; moritur ætatis suæ Anno 65. ibiquè requiescit.

1346 16 Beatus Pater Fr. Nicolaus Tini de Marescottis Senensis;

1348 Beatus Elias de Melioratis Pratensis transit ad Cœlum, & in Cœnobio S. Annæ in Patria conditur eius corpus.

Beatus Vmbertus Accarisius, qui supra Laureolâ cœlesti post longum certamen coronatur Iliceti, sub marmoreo sepulchro ante Maiorem Aram requiescunt eius ossa. *Die 20. Maii.*

1355 Intercedente Beato Ilto Nicolao Marescotto Priore, liberatur Sacra Eremus à deuastatione per Rempublicam Senarum facienda, ne ibidem sese Rebelles recipere possent.

Christum sub arbore in specie Peregrini vulnerati inuenit, domiq; curat, in discessu verò magnum violarum effluuit odorem cubiculum, in quo mansit.

Tempore

1347 Tempore horribilis penuriæ, non sine miraculo multiplicatur frumentum, & vinum Iliceti, orante B. Nicolao Marescotto Priore.

Guido Commissus inter Ilicetanos, qui se suspendio necauit, precibus eiusdem Nicolai Prioris ad vitam reuocatur.

Seraphica virgo Catharina Benincasia Senensis sæpissime Ilicetum petijt, assumptis ex Ilicetanis à confessionibus à secretis, & socijs in itineribus suis, illisq; multas ac graues Epistolas mittit, vt videre est in lib. Epist. eiusdem Virg.

Hac ætate floruerunt *Iliceti* Andreas Lucensis, *Paulinus* Nolanus, Nonuphrius, & Stephanus, quos eadem Catharina, *Magnos Dei seruos*. vocat in eisdē Epist.

1363 Numerū Beatorum adauxit obitus Dei serui Ioannis Chilij Sen. *Die* 28. *Octob.*

1376 Strenuus miles Dominus Nicolaus Guidonus de stirpe Saracenorū, Vir eloquentissimus, prudentia, ac moribus illustris Vitam mortalem cum immortali cōmutauit; vult suum cadauer Ilicetum asportari, & ante Altare Sanctissimæ Virginis Mariæ sub honorifico lapideo sepulchro recondi.

1380 Beatus Guilelmus Flete Gallus Cœlum ingreditur, sepulchroq; clauditur Iliceti.

1387 Beatus Nicolaus de Marescottis meritis plenus, miraculis illustratus, onus Prioratus, quod ad hunc vsq; An. assiduè sustinuit, cum corporis pondere deponēs, immarcescibili corona decoratur in Cœlo. *Die* 9. *Februarii* An. ætatis suæ 85.

1387 17 Beatus P. Fr. Nicolaus Francisci Manentis de Gerretanis Sac. Theologiæ Lector. Hic deputatur Prior à Generali Bartholomeo Veneto Viro summæ integritatis, paulo ante mortem prædicti Beati Nicolai Marescotti, hoc idem instantissimè deposcentis. *Die* 4. *Martii*.

Sub isto Nicolao Cerretano fundamenta iaciuntur Ilicetanę Congregationis.

Humiliter instat Nicolaus absolui ab Officio, & acceptatur eius renunciatio à Generali Ord. & sufficitur.

1387 18 Beatus Pater Mag. Fr. Ioannes 3. de Tantuccis Senensis.
Declaratur Prior à prædicto Generali Florentiæ *Die* 3. *Iulii*.

1387 19 Beatus Pater Mag. Fr. *Ioannes* 3. Senensis qui supra.
Rursus eligitur à *Priore* Generali Bononiæ moram faciente *Die* 5. *Octobris*.

1388 20 Reu. *Pater* Fr. *Iacobus* de Monte *Ilcinio*.
Efficitur *Prior* à Generali Bononiæ degente. *Die prima Februarii*, at post paucos menses renunciat.

1388 21 Reu. *Pater* Fr. Victorius de Senis. *Die* 25. *Mensis Maii*.
Hic etiam post mensem vnum cum dimidio cessit iuri suo, at iubente superiore, officium adhuc retinet.

Glorioso transitu sacras Nostras *Ilices Illustrauit* B. Felix. Tancredus Senensis, *Iliceti* tumulantur eius Ossa.

Dæmon insidiarum *Pater* à Cœli Via distrahere volēs B. Bonauenturam de Ptolomeis, ex sacro Ordine *Prædicatorum*, illi, forma assumpta B. Nicolai de Marescottis, apparuit suadens, vt de diuina misericordia dubitaret.

1301 Beatus *Ioannes* ex Familia Tantuccia Senensis, qui supra Corona decoratur æterna *Iliceti*.

1392 22 Beatus *Pater* Fr. Nicolaus de Cerretanis, qui supra. *Die* 17. *Octobris*.

1392 23 Beatus *Pater* Fr. Nicolaus de Cerretanis, qui supra denuo eligitur. *Die* 17. *Octobris*. *Per litteras Patentes* Reuerendissimi *P.* Generalis Veneti.

Beatus Antonius Nicien sis Gallus è viuis cessit, & ad *Patrem* misericordiarum accessit *Iliceti*.

1395 Venerabilis, Beatusq; Vir Nicolaus de Cerretanis, mortuorum numerum adauxit Senis apud Cœnobium D. *P.* Augustini, ibiq; vbi iam ęgrotauerat, caduca spolia reliquit.

Reu.

1396 24 Reu. Pater Fr. Bartholomeus à ſancta Flora ſacræ Theologiæ Lector, per litteras Patentes eligitur in Priorem à Reuerendiſſimo Veneto. *Die* 15. *Iunii*.

1397 Idem Generalis Venetus dirimit litem, inter Cœnobiũ s. Auguſtini, & *Ilic*eti ortam circa ſpolia B. Nicolai de Cerretanis. *Die* 20. *Iulii*.

1398 25 Beatus Pater Fr. Philippus Leonardi Colæ de Agazzaria Sen. *Die* 13. *Maii*.

1401 Nicolaus de Caſſia Generalis Ordinis Cellas ſignatas num. 14. & 15. in Dormitorio inferiori Cœnobij S. Auguſtini Senarum, quæ erant prope illam, quã vtebatur Nicolaus de Cerretanis confirmat Ilicetano Cœnobio, multãdo pœna ſpirituali, & corporali impedientes &c. Dat. Senis *Die* 7. *Aprilis*.

1404 Idemmet Generalis aliam Cellam ſignatam num. 12. concedit, & iungit duabus primis, volens earum claues eſſe apud Ilicetanos. Dat. Senis *Die* 15. *Octob.*

Fundamenta ponuntur Turris in defenſionem loci. *Die* 11. *Februarii*.

1406 Beatus Macharius ſenenſis, piè obdormiuit in Domino *Ilic*eti;

1407 Idem Generalis, qui ſupra vult omnia bona acquiſita, vel acquirẽda à Patrib⁹ Ilicetanis, pleno iure pertinere ad Cœnob. *Ilic*eti Dat. Romæ *Die* 1. *Martii*.

Gregorius XII. omnia contenta in præcitatis litteris confirmat, ſupplendo omnes defectus, ſi qui interuenerint; addendo etiam Fratres dicti Cœnobij poſſe eligere *Prior*em confirmandum à Generali infra quindecim dies, per annum duraturum, cum facultate denuo eum confirmandi, ſiue iterum eligendi.

Item, vt ſine aſſenſu maioris eorum partis Fratrum ibi degentium pro tempore, nullus inde queat remoueri, vel ad eos aliquem mittere, niſi per ſummum Pontificem. *Die* 21. *Martii*.

Prædictus Pontifex alio diplomate, hæc omnia ſupradicta confirmat, petente eodem *Philippo* Agazzario, extendens cuncta hæc *Priui*legia ad omnes ſucceſſores. *Die* 23. *Septembris*.

1408 Perficitur Turris, circa quam erectionem plurimùm inſudauit, & alſit B. Chriſtophorus Landuccius, & trium Annorum ſpacio excitatur in Propugnaculum loci, & adiacenſium ab incurſionibus inimicorum. *Die* 31. *Decembris*.

Quæ Turris, & ſi ſit notabilis altitudinis, & latitudinis magnificentiſſimè conſtructa, tamen non inueniuntur ſolutæ in pecunia numerata niſi libræ 75. & pro integro precio vſq; ad florenos Quingentos dantur diuerſa conueſtibilia, longitudo, ſiue altitudo eius cubitis 46. & latitudo in fundamentis 80. in medio circumcirca 66. ponitur.

Circa hæc tempora prædictus Gregorius XII. ſum. Pont. dum Lucenſem Ciuitatem peteret, Ilicetum peruenit.

A Edificata Turre, fit diſperſio linguarum, ex indulto enim prædicti Greg. ex tribus & decem Patribus, ac Fratribus, qui Ilicetidegebãt de familia, Decem veſtigia ſequuntur B. P. F. Stephani *Ioan*nis de Cionis Ciuis Senenſis, & B. P. F. Iacobi Andreæ itidem Senenſis, qui primò apud Ciuitatem Lucenſem, mutato habitu, ſecundùm formam expreſſam in Diplomate Pontificis. Dat. Lucæ *Die Martis* 3. *April. hora tertiarum vel quaſi*, nouo induuntur. *Die* 24. *Apr.*

Qui duo Patres poſtea Feſulanã Ciuitatem accerſiti ibidem alijs decem Patribus vocatis in Cœnobio S. Dominici Patriarchæ, vigore prædicti indulti, eumdem nouum habitum Canonicalem, tradunt. *Die* 25. *Iunii*.

In quatuor diplomatibus ad hanc mutationem pertinentibus, non ſolũ aſſignatur forma prædicti habitus tradendi, vnà cum Legibus, & Conſtitutionibus ab Epiſcopis Florentino, Craſſetano, & Maſſano, ſed etiam & Titulus, qui eſt FRATRES SANCTI SALVATORIS, &c. vt videre eſt apud Archiuium Ilicet. vbi prima exemplaria exiſtunt, & in lib. priuil. à pag. 44. vſq; ad 61.

Redeunt Ilicetum Duodecim noui Canonici, ad omnia, tantùm reluctante quodam Fratre Cecco Berti Roſſi de Toiano Layco: vbi Stephanus iam virtute

tute prædicti Diplomatis effectus Commissarius Apostolicus noui *Instituti*, cõgregat Capitulum Canonicorum, in quo eligitur Prior Monasterij.

1408 26 Beatus Pater Fr. Philippus de Agazzaria Sen. qui supra. *Die* 2. *Iunii*.

Huic nouitati strenuè contradicunt Patres Cœnobij S. Augustini Senarum viribus suffulti Reipublicæ : erant enim ea ætate illi Patres potentes sermone, & opere, & genere inter nobiliores, quare cogunt Canonicos denuo accedere ad eundem Pontificem, à quo accepto alio Diplomate, obtinent facultatem redeundi, si vellent, ad pristinum statum Eremiticum, & ex prædictis duodecim, septem redeunt, superstitibus Fratre Stephano, & Iacobo, cum alijs tribus. Dat. Breue Arimini *Die* 20. *Nouembris*.

Qui recesserunt ab Eremitico *Instituto*, fuerunt hi, Fr. Stephanus de Cionis Sen. *Iacobus* de Senis, *Philippus* Agazzarius Senensis Ioannes Francisci de Staggia, Dominicus Vghi de Vgolinis, *Ioannes* Toñ de Salimbenis, Regulinus Angelini Sen. Ioannes Antonij senen. Andreas Angelini de Regolinis sen. Franciscus Ioann. en. Bartholo neus de Saluis, & Christophorus de Landuccijs, hi duo vltimi Layci senenses.

Hi, qui redierunt, sunt. Philippus de Agazzaria, Ioannes de Staggia, Ioannes de Salimbenis, Ioannes Antonij, Andreas Angelini, Franciscus Ioannis, Bartholomæus de Saluis, & Christophorus Landuccius.

Istis septem, qui reuersi sunt ad habitum Eremiticum, Capitulatim congregatis, per eorum suffragia iterum in Priorem eligitur.

1408 27 Beatus Pater Fr. Philippus de Agazzaria Senensis qui supra.

1419 Augustinus Romanus Generalis Ordinis, cum facultate totius Capituli Generalis, celebrati Astæ in Gallia Cisalpina liberè amplificat cuncta Priuilegia Cœnobio Ilicetano concessa à Prædecessoribus suis, & declarat præcisè nequidem mini nam gratiarum, amississe, ob recessum à nostro Instituto.

Itẽ vult *Patres Iliceti* post mortem B. Philippi, posse sibi eligere Priorem, qui sit etiã Vicarius Generalis aliorum Cœnobiorum *Ilicet.* vnitorum. *Die* 1. *Sept.*

1420 Idem Prior Generalis facultatem concedit *Ilicetanis* Hospitium sumendi siue intra, siue extra mœnia Ciuitatis senarum. *Die* 12. *Aprilis*.

Item declarat, omnia bona, quæ erant ad vsum B. Nicolai de Cerretanis, pertinere ad Ilicetanum Cœnobium, & eidem in ampliſſima forma cõfirmat cuncta priuilegia concessa à prædecessoribus suis, simul & tres Cellas in inferiori Dormitorio Monasterij S. Augustini, de quibus supra, ad vsum Ilicetanorum aliàs assignatas.

1420 28 Beatus Pater Fr. *Philippus*, qui supra declaratur Prior, & Vicarius societatis ab Augustino G n r l, durante eiusdem Agazzarij vita. *Die* 18. *April.*

Martinus V. sum. Pont. Romam rediturus, *Ilicetum* lustrauit. *Die* 20. *Aug.*

1422 Beatus Philippus Agazzarius, qui supra, vltima senectute confectus Prioratu se abdicat, & remanet tantùm Vicarius Generalis societatis.

Cum sigillum officij, nempe Prioratus esset commune cũ Vicariatu, propter hanc abdicationem variatum est; apud Priorem Iliceti remanet antiquius, in quo, scilicet in maiori apparet *Imago* Saluatoris à pectore vsq; ad caput, in minori verò Crux supra tres montes, hinc inde Ilicei Rami affixo Cruci seruatore, circa maius verò ista leguntur verba, SIGILLVM CONVENTVS S. SALVATORIS CONG: ILICETI. circa minus, QVI PER CRVCEM ET SANGVINEM REDEMISTI NOS.

1422 29 Reu. Pater Fr. Augustinus Iusti Florentinus.

Beatus *Pater* Philippus de Agazzaria, ab Aulam cælestem vocatur, cuius sacrũ Corpus *Ilicetum* condecorat.

Prædictus Augustinus sponte recedit ad officio *Prioratus*.

1424 30 Reu. *Pater* Fr. *Iacobus* Senensis.

Reu.

1425 31 Reu. Pater Fr. Lucas Nicolai de Senis, sacræ Theologiæ Lector. A
Huic mandatur in meritum salutaris obedientiæ, vt Officium Prioratus acceptaret, electioniq; minimè contradiceret.
Huius etiam opere, & virtute Respublica Senarum sepissime in negocijs arduis, & difficilioribus vsa fuit.
1428 Idemmet postea eligitur in Priorem Monasterij s. Augustini Senarum.
1428 32 Beatus Pater Fr. Matthæus de Lucignano Vallisclanarum.
1431 Eugenius Papa IV. Ilicetum inuisit circa hæc tempora.
1433 Beatus Stephanus Cionius suorum laborum præmium habet Bononiæ, vbi conditur eius venerabile corpus miraculis illustre.
1434 33 Beatus Pater Fr. Matthæus Francisci, qui supra, prosequitur officium.
Per Reuerendiss. Generalem Gerardum de Arimino cuncta Priuilegia Generalia concessa Ilicetano Collegio extenduntur ad Cœnobiũ s. Antonij de Petriolo. *Die* 5. *Aprilis*.
Idem Pater Generalis denuo confirmat omnia Priuilegia Ilicetano Monasterio concessa. *Die* 18. *Maii*.
Beatus Iacobus Andreæ sequitur ad Cœlum Stephanum, quem socium inseparabilem habuit in terra.
1435 Anima Beati Ioannis Christophori de Salimbenis Senensis ad superos ascendit, corpus verò eius Ilicetì iacet.
1436 Hic Beatus Matthæus à Lucignano Prior, qui supra, officium & mundum deserit, pergit Anima eius ad alta, corpus remanet Ilicetì.
1438 34 Reu. Pater Fr. Hieronymus Angeli Bartholomei de Senis.
Eugenius Papa IV. mandat Georgio Ptolemæo, Federico Petrucclo, & Sebastiano Bilotto Canonicis Ecclesiæ Senarum, vt iuridicè dirimant litè inter Cœnobium Ilicetì, & s. Augustini de Senis circa quaidam Possessiones Montis Albutij. *Die* 14. *Martii*.
1438 35 Reu. Pater. Fr. Hieronymus Angeli, qui supra.
Confirmatur in Priorem a Generali Gerardo Ariminensi pro altero anno.
Qui Generalis etiam mandat, vt in posterum Prior eligatur à Familia Cœnobij, & vt Prior eodem tempore non possit esse Vicarius Congregationis, nec alicuius loci, & vt in electione interueniant tantum illi, qui sunt in sacris ordinati. *Die* 23. *Iulii*.
1439 36 Beatus Pater Fr. Bartholomæus de Ptolemæis Senen.
Eugenius IV. qui supra, immunem declarat locum Ilicetì à solutione omnium collectarum. *Die* 27. *Decembris*.
AEdificatur Turris pro Campanis Aræ Maiori propinqua, & emitur Campana maior à Dominio Episcopo Senarum.
Fundamenta iaciuntur sacelli B. Ioannis de Incontris in maiori Viridario, illo in loco præcisè, vbi Christus tanquã Pastor Ioanni apparuit, eum ad Caulam Religionis reuocaturus.
Abbas s. Galgani in Agro Senensi denuò concedit Collegio Ilicetano, cum aliquibus pactis, & conuentionibus Ecclesiam ss. Trinitatis apud Portam Laterini Senis. *Die* 29. *Martii*.
1442 37 Magister Pater Fr. Hieronymus Nicolai de Bonsignoris Senensis.
Sub isto Claustra quæ Beatorum appellantur picturis ornãtur.
Item circunducitur murus, & clauduntur nemora omnia à parte occidentali.
Comes Carolus Sfortia de Attendulis, Ilicetum magno comitatu petijt. *Die* 18. *Ianuarii*.
Idem Comes Habitum sacrum Eremiticum sumit, Gabrielq; vocatur. *Die* 17. *eiusdem mensis*.

1443 Alijs picturis exornatur Atrium maius extra Eccleſiam ex illa parte, in qua Paradiſus apparet depictus, dãtur Artifici pro integro precio lib. 12.

Terminantur cuncta ad ornatum Sacelli B. Ioannis Incõtri, vt dictũ eſt, inchoati.

Eugenius IV. Põtifex Max. vult Electionẽ Prioris Ilicetẽ fieri a Patribus eiuſdem Cœnobij, & confirmationẽ pertinere ad Vicar. Gener. Congreg. qui etiã poſſit eligi per annũ in Priorem dictæ domus abſq; alia confirmatione. *Die 6. Sept.*

Idem Pont. liberè tradit Ilicetanis Locũ ss. Trinitatis ad Ripas Burgi Laterini prope muros Ciuitatis Sen. olim ab ijſdem acquiſitũ (vt dictũ eſt. *Die 28. Sept.*

Prædictus Pontifex concedit omnibus Ilicetẽ commorãtibus, & viſitantibus tria Altaria omnes Indulgentias Vrbis dicendo Pſ. *Miſerere mei, etc.* cùm *Pater noſter*, & *Aue Maria*, & Oratione *Deus Omnium fidelium, etc.* neſciẽtes verò legere tantùm dicant Orationem Dominicalem, & Salutationem Angelicam, & qui non valuerit ob infirmitatem, vel aliam ob cauſam ad dictã Eccleſiam accedere, eaſdem Indulgentias conſequatur, viſitando Altare Maius illius Eccleſiæ, vbi fuerit, dicendo Orationes ſupradictas. *Die 4. Decẽb.*

Idem Pont. concedit Ilicetanis Patribus, vt poſſint in articulo mortis eligere ſibi confeſſarium idoneum, à quo valeant plenariè abſolui, & poſſit commutare eis ieiunium, & differre in alium diem. *Die 7. Decembris.*

1446 Beatus Regolinus Angelini 2. Generalis Canonicorum s. Auguſtini, ſecutus Stephanum ab Ilicetо, diem ſuum vidit extremum, inter ſuos Canonicos.

1447 Ingreditur Religionem, habitumq; ſumit Anſelmus Lolli de Mandextris à Montefalco in Vmbria per manus Reuerendiſſimi Alexandri Saxoferratenſis, ſtatim ad Ilicetanum Tirocinium mittitur, & tempore probationis completo, emiſit ſuam ſolemnem profeſſionem, nomine huius Cœnobij. *Die 19. Maii.*

1448 Beati Dominici Vgolini Senenſis Anima, æterna fruitur gloria.

1449 Deceſſit Beatus Andreas de Regolinis Senenſis Ilicetі.

Deferuntur circa hæc tempora Flores & Roſæ, ex Ilicetо Senas, quæ infirmis illico reddunt, non ſine miraculo, ſanitatem.

1450 38 Reu. Pater Fr. Bartolomæus Vrbani de Ptolemæis Senenſis.

1451 Moritur Ilicetі Beatus Franciſcus Nanni de Nutis Senenſis.

1454 Frater Gabriel Sforti, qui ſupra ſedente Nicolao V. Archiepiſcopus Mediolani declaratur, tunc temporis erat Magiſter Nouitiorum Ilicetі.

1456 39 Reu. Pater Fr. Hieronymus Bonſignorius Senenſis, qui ſupra.

Idem Gabriel Archiepiſcopus vir probatiſſimæ vitæ, cum per tres annos Eccleſiam ſuam ſanctiſſimè gubernaſſet, obdormiuit in Domino, & in Deiparæ Coronatæ Auguſtinianorum ſuorum AEde ſepelitur. *Die 12. Septemb.*

1458 40 R. Pater Fr. Hieronymus de Bonſignoris, qui ſupra, permanet in magiſtratu.

Pius II. Picolomineus, declarat Ilicetum non amiſiſſe aliquod Priuilegium, ob tranſitum ad ſtatum Canonicalem. *Die 8. Martii.*

1459 Idem ſum. Pont. Pius ad Ilicetum percupidè declinauit, vbi per duos dies commoratus eſt cum tota cohorte, magna populorum vtriuſq; ſexus concurrente caterua, Acceſſit 4. *Aprilis. Die Mercurii, hora Veſpertina.*

Pius ſpeciali modo inuiſit Chriſtophorum Landuccium, ſtatim in ingreſſu Monaſterij quærens vbi nam eſſet, in Viridario, inquiunt Fratres, accurrenti Pontifici Chriſtophorus, audito tumultu, obuiam venit, & genuflexus Pontificiam benedictionẽ petit, quem aſpiciens Pontifex, ad ſuos conuerſus, præcipuè ad ſex Cardinales ait, *Putamus Animam huius Fratris eſſe ſanctam.*

Largituſq; eſt ei Pontifex multa, at ipſe nil aliud voluit, quàm Indulgentiam plenariam in articulo mortis, & vnam calceamentum Pedum eius, quod obtinuit, & adhuc ſeruatur Ilicetі mira Beati humilitas.

Vult idem Pontifex per Fratres in ſeſſoria ſella aſportari circumeunca in altum benedicens

benedicens, audienſq; maxima animi ſui voluptate Populum clamantem. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Item ex propria liberalitate, & pietate, Pius dat Eccleſiæ Iliceti Imaginem Deiparæ ſemper Virginis à D. Luca depictam, quæ adhuc ibi ſeruatur, & colitur ſingulari populorum concurſu.

Idem sanctus Pontifex *Plumbea* sigilla, quæ poſtremò ſuſtinuit Fr. Niçolaus Eremita Auguſtinianus, tradidit Fratri Liberato Nicolai Ananiæ, patria Romano, filio domus Iliceti Layco.

Pius declarauit, ac pronunciauit ad Monaſterium Ilicetanũ pertinere Duo prædia nempe Montis Albutij, & Quercetani, à Patribus Collegij s. Auguſtini occupata ob tranſitum ad prædictum statum Canonicalem, horum alterum prædiorum alienatum modo eſt. Datur Breue. *Die* 22. *Aprilis.*

Ex priuilegio eiuſdem Pontificis vnitur Collegio Ilicetano Eccleſia Plebana s. *Ioannis* Baptiſtæ de Monte Caſtelli. *Die.* 24. *Iulii.*

1459 Idem Pontifex fuiſſe Iliceti animi relaxandi cauſa confitetur per ſuam Bullam incipientem, Ex Vniuerſo nobis &c. *Die* 1. *Auguſti.*

1460 41 R. P. Fr. Bartholomæus de *Ptolen* æis, qui ſupra, denuo eligitur.

Prædictus sanctiſſimus Pontifex Pius, Senis degens, inter sacros Principes Cardinales ſponte ſua, penitus neſcientem Alexandrum de Oliua Saxo Ferratenſem Ordinis Eremitici *Priorem* Generalem, ac Cœnobij *Ilicetani* filium adoptiuum, & Seniorem cooptauit. *Die* 5. *Martii.*

1461 42 Magiſt. *Pater* F. Hieronymus Bonſignorius ſecundus Senenſis Inſtituitur *Prior* pro vno Anno. *Die* 4. *Ianuarii.*

In Memoriam aduentus *Pij II. Pont.* Optimi in loco, qui dicitur Mons Thabor, vbi pluries idem Pontifex cum tota Cohorte fuit, conſtruitur ſacellum, *Pio* Papæ, & Martyri dicatum tercentis & ſeptuaginta cubitis diſtans à Cœnobio, & ſolenni pompa benedicitur locus, & ponuntur fundamenta hora 22. Mercurij quatuor temporum. *Die* 16. *Septembris.*

Obijt Beatus Chriſtophorus Landuccius, & Iliceti tumulatur in Angulo Eccleſiæ apud Aram maiorem Ad Cornu Epiſtolæ.

1462 43 Beatus Pater Fr. Antonius *Petri* à Montecchio prope Senas.

1463 Exemptio à ſolutione Collectarum conceſſa Cœnobio Ilicetano extenditur ad Congregationem Carbonariam Ordinis s. Auguſtini per Diploma Pij *II.* *Die* 1. *Aprilis.*

Tyburi vita functus eſt B. Alexander Oliua Cardinalis ab Iliceto, Romam trãſfertur eius Cadauer in Templo D. S. Auguſtini ſepelitur. *Die* 21. *Iulii.*

Cœnobium Ilicetanum ab iſto Cardinali condecoratum fuit multis donis, præcioſaq; ſupellectile, & præſertim multorum Aulæorum, vſq; in hodiernum diem extat memoria.

1464 44 Reu. *P.* Fr. Bartholomæus de Ptolemæis, qui ſupra.

1466 45 Beatus Pater Fr. Antonius de Montecchio, qui ſupra.

1468 46 Reu. Pater Fr. Bartholomæus de Ptolen æis, qui ſupra.

1470 Hic præſtantiſſimus *Pater* Romam petens ob grauiſſima peragenda negocia, in morbum incidit, Ilicetum rediit, ibique lachrymatus ab omnibus deceſſit. *Die* 20. *Februarii.*

Nobilis Dominus Bartholomæus Antonij Petruccij moritur senis, & mandat aſportari ſuum Cadauer Ilicetum, ibique habitu noſtro Eremitico indutum ſepeliri. *Die* 14. *Decembris.*

Beatus Petrus de Scitonio ex Domo Fatta al Buio, ingreditur Cælum illuſtratus meritis, & tumulatum eſt, eius Cadauer *Iliceti.*

1471 47 Beatus *Pater* Fr. Antonius de Montecchio, qui ſupra.

1475 Ex Decreto Reipublicæ Senenſis Patres Ilicetani poſſint retinere quaſcũq; Beſtias apud vnam prædiũ ex ſuis in Sylua Lacus Communis Senar. *Die 26. Ianuarii.*

1476 Sixtus Papa *IV*. Anathematizat omnes detinentes, ſeu occultantes Priuilegia Domus & Congregationes Iliceti. *Die 8. Februarii.*

1479 Anſelmus à Monteſalco Ilicetanus acclamatur à Patribus Ilicetanis in Vicarius Generalis Congregationis.

*In*ſtante Domna Bartholomæa de Albizeſchis tertiaria *I*licetana, ſanctus Bernardinus Albizeſcus Senenſis ex ſeraphica Religione eiuſdem B. Bartholomeæ Nepos, acceptatus fuit ad Habitum Eremiticũ in Cœnobio *I*licetano, teſtibus Domino Antonino Archiepiſcopo Florentino, & Aloyſio Lypomano, & alijs. *In Vita eiuſdem ſancti Bernardini*.

1480 Eadem B. Bartholomæa, poſt temporales Nuptias, ad æternas tranſiuit.

1481 *I*ſte B. Prior Antonius, ex mandato, & peculiari præcepto Reuerendiſsimi Ambroſij de Cora Generalis Ordinis ſolemni pompa, capit corporalem poſſeſſionẽ Monaſterij s. Auguſtini s. Geminiani. *Die 20. Iulii*,

1482 Magiſter *P*ater Fr. Marianus a Genezzano Vir vndique percelebris Congregationi noſtræ fuit adiunctus, vnanimi *Patrum* conſenſu.

Anſelmus à Monte Falco, qui ſupra denuo eligitur Vicarius Generalis Congregationis.

1484 Marianus de Genezzano præficitur Vicarius Generalis Congregationis *I*licetanæ

Fundamenta conſtruuntur Triclinij *I*liceti, & perficiuntur vſque ad teſtudinem, precio centum florenorum.

1485 Conſtruitur Dormitorium in ſuperiori parte Cœnobij proximè ſupra Triclinium.

Anſelmus, qui ſupra, *V*icariatum Apoſtolicum totius Religionis obtinuit, obeunte Ambroſio Corano, *I*nnocentij *VIII*. ex Decreto.

1486 *P*oſtmodum in comitijs Generalibus Senis habitis, eligitur *Prior* Generalis. *Die 14. Maii*.

Mariano Genezzanẽſi, qui ſupra, Domini Conſules Artis ſericæ dono dant Cœnobium s. Mariæ apud *P*ortam s. Galli de Florentia. *Die 4. Decembris*.

1487 48 Reu. *P*ater Fr. Thomas *M*ariani de Ghinucciis Senen.

Magiſter Fr. Marianus, qui ſupra, itidem pro ſecunda vice ad Vicariatum Generalem Congregationis *I*licetanæ aſſumitur.

Iſti duo nempe Thomas, & Marianus pietatis ergo ſacram Hieroſolimitanam Ciuitatem petunt, indeque ſe afferunt, & *I*liceto donant particulã ex Ligno Antris, in quo natus eſt Chriſtus Dominus noſter.

1489 49 Magiſter *P*ater Fr. Marianus de Genezzano, qui ſupra.

Franciſcus Ioannis, Ludouici de Senis, ſeipſum, & cuncta ſua bona liberè offert Patribus, ac Fratribus Monaſterij Iliceti *Die 23. Nouembris*.

Innocentius *VIII*. confirmat Magiſtro Fratri Mariano locum s. Galli de florentia. *Die 8. Septembris*.

1490 50 Beatus *P*ater Fr. Antonius à Montecchio, qui ſupra.

Vir quidam Nobilis Senenſis nomine Iacobus Magiſtri Martini è viuis ſublatus eſt Senis, mandat Ilicetum transferri ſuum Corpus, & ante Aram s. Annæ ſuo marmoreo ſepulchro tumulari voluit.

In ſepulchro apparent Inſignia, quibus vtitur Domus de Venturis: ſed quia non ſũt colorib⁹ diſtincta, neſcitur an ſint prædictæ familiæ, vel potius Paccalamiæ, quæ iam diu extincta eſt, tum prima, tum altera inter Senenſes Nobilis.

1491 51 Beatus Pater Paraclitus Ioannis de Binis à s. Angelo in Colle, in Agro Senenſi.

Anſelmus Ilicetanus iterum eligitur Prior Generalis totius Ordinis à Patribus Vocalibus Romæ congregatis, *Die 22. Iunii*.

1492 Magiſter Marianus de Genezzano dicitur Prior s. Mariæ de Populo in Vrbe.

Hac

1494 Hac ætate mors accidit B. Auguſtini de Aretio Ilicetí, ibique expectat eius oſſa vltimum Iudicij diem.

1495 Magiſter Hieronymus de Bonſignoris, nonageſimum nonum attingens annum, moritur Iliceti, à multis ſcriptoribus titulo Beati cõdecoratur. *Die* 11. *Iunii.*

Huius induſtria, ac ſolertia Cœnobium noſtrum cæpit habere bona *I*mmobilia in ditione Oppidi Montalcinelli.

Marianus à Genezzano, ab Iliceto, depoſcente Anſelmo Senio Confecto, ab Alexandro VI. declaratur Vicarius Generalis Apoſtolicus totius Ordinis. *Die* 16. *Auguſti.*

es publica Senarum concedit Cœnobio Ilicetano non teneri de bonis eidem relictis ſoluere de præſtantijs, niſi pro vna parte, & qui ingreſſus fuerit Religionem, de eiuſdem bonis ſic ingreſſi nil debere ſoluere. *Die* 28. *Nouembris.*

1496 52 Beatus *P*ater Fr. Gabriel Mariani de Ghinuccis Senenſis.

Eligitur in Capitulo celebrato ex indulto Apoſtolico, Mariano à Genezzano Vicario Generali Apoſtolico *Præſidente*. *Die* 11. *Decembris.*

Fuit conſtructum Atrium maius Senas verſus, cuius longitudo protenditur ad Cubita 62.

Conſtruuntur ſcamna Commenſaria, & ſeſſoria in Refectorio, & in eius Atrio, quod ſilentium dicitur, & extenduntur ad Cubita 166. Artificibus dãtur lib. 462. Inchoata fuere. *Die* 5. *Iulij.*

Lignea Sedilia pro Triclinio, in loco, qui ſilentium dicitur, ad finem quaſi perducuntur.

Nicolaus Sergardius, & ſocij Emptores Gabellarum Reipublicæ Senenſis, apud portas Ciuitatis confirmant omnia Priuilegia conceſſa de non ſoluendis prædictis Gabellis per Decretum. *Die* 15. *Ianuarij.*

Comparantur Duo *P*rædia nempe Botracinaia, & Spagna in Territorio Montalcinelli, Procuratore Fr. Nicolao de Marinellis. *Die* 3. *Aprilis.*

Beatus Antonius à Montecchio intrat in gaudium æternum Domini ſui. *Die* 13. *Auguſti.*

Circa hæc tempora conſcribuntur lib. 18. Odæo deſtinati, mira arte perpicti, quorum plerique per venerabiles Moniales s. Marthæ Senarum elaborati ſunt, impenſis Anſelmi Generalis, & Cardinalis AEgidij Viterbienſis.

1497 Moritur Anſelmus Mandextrius Romæ apud s. Mariam de Populo, relicto miro ſanctitatis Odore.

Anſelmi Cadauer *I*licetum transfertur Opera AEgidij Viterbienſis, & Pij *III.* Pont. Max. tunc temporis Cardinalis, conditur in muro ad dexteram maioris Aræ, eo depoſcente, diademate ac titulo Beatorum condecoratur.

Marianus à Genezzano concordi Electorum Suffragio in Capitulo Generali Romæ celebrato, totius Auguſtiniani Ord. Prior Gener. dicitur. *Die* 14. *Iunii.*

Ab Alexandro *VI.* mittitur Marianus Legatus ad *P*iſaurentium Regulum.

Iterum ab eodem Alexandro ad Regem Neapolitanum mittitur Legatus.

Marianus Roma diſcedit Neapolim verſus, cum eſſet apud Puteolos orta eſt tempeſtas valida, ita vt mergeretur Nauis, quæ, vt agilior eſſet, exoneratur, proiectis bonis omnibus, quæ erant in Naui, interque Liber grandis rerum geſtarũ ab Ilicetanis a fundatione Cœnobij, vſq; ad Vnionem Generalem, prælo tradendus (proh dolor) amiſſus eſt. *Ex Aegidio Card. Paneg. pro Monaſt. Ilicetano.*

1498 Diem ſuum clauſit extremum Marianus Generalis Sueſſæ, dum Neapoli, Romam reuertitur, cuius Oſſa Ilicetum transferuntur, & vna cum Oſſibus Anſelmi reconduntur per Aegid. Viterb. Ilicetanum Cardinalem. Deceſſit Menſ. Decemb. vterq; lachrimabile iter.

Beatus Gabriel Ghinnuccius, vir ſolertiſſimus, & pijſſimus ſanctiſſimè deceſſit. *Die* 24. *Martis*.

1499 53 Beatus Pater Fr. Lactantius Piccolomineus Senenſis. *Die* 23. *Aprilis*.

Conſtruitur teſtudo Loci, qui Capitulum dicitur ex eo, quia in eo acta Capitularia aguntur, & Capitulum de Culpis tenetur precio lib. 140. Impenſis Magiſtri Mariani de Genezzano.

Item eiuſdem impenſis ædificatur Dormitorium ſupra triclinium Valore lib. 394.

Sub iſto regimine terminatur Ambulacrum à parte ſuperiori, quod reſpicit Septentrionem, iam, vt dictum eſt, inceptum.

Cœnobium Sanctiſſimæ Trinitatis, & s. Ioannis ad Portam, ſeu Ripas Burgi Laterini, coguntur Ilicetani relinquere, quia non fuit ſolutus Canon duarum librarum ceræ ſoluendarum in die feſtiuitatis s. Mariæ Magdalenæ.

1500 AEdificatur Dormitorium Alterum in ſuperiori parte apud Eccleſiam ſupra Capitulum, cum Cubiculis precio librarum 538.

1501 54 Beatus Pater Fr. Paraclitus Binus, qui ſupra. *Die* 15. *Aprilis*.

1503 55 Beatus Pater Fr. Paraclitus, qui ſupra, denuo eligitur. *Die* 30. *Aprilis*.

AEgidius ex Gente Caniſia Viterbienſis, Vir peritiſſimus, Concionator eximius inter Ilicetanos cooptatur, interq; filios Iliceti conſcribitur. *Die vt ſupra*.

Magiſter Fr. Auguſtinus *I*nteramnas enixè petens in Capitulo Generali Congregat. Iliceti habito, fuit vnitus Congregationi, & declaratus filius Cœnobij Iliceti à Patribus, ad quos ſpectabat, diſpenſantibus etiam cum eo, vt poſſet liberè reddere ſuffragium in omnibus. *Die vt ſupra*.

Eodem tempore fuit ſimiliter addictus Congregationi, & filius Iliceti declaratus P. Fr. Nicolaus Franeus, qui poſtea inter Beatos aſcriptus fuit.

1504 56 Beatus Pater Fr. Paraclitus, qui ſupra, denuo eligitur. *Die* 21. *Aprilis*.

Idem Magiſter Fr. Auguſtinus mortuo Gratiano Fulginate Generali Ordinis, totam Religionem gubernat, vti Vicarius Generalis Apoſtolicus.

1505 Idem poſtea Peruſij, habita Synodo Generali per *P*atres Auguſtinianos eligitur in Priorem Generalem ſub Iulio ſecundo. *Die* 6. *Septembris*.

1506 57 Beatus Pater Fr. Seraphinus Danielis Angeli de Ferris Florẽtinus. *Die* 27. *Apr.*

Magiſter AEgidius Viterbienſis, qui ſupra à Iulio *II*. Vicarius Generalis Apoſtolicus totius Ordinis declaratur.

Qui poſtea Neapoli in Capitulo Generali eligitur in Priorem Generalem totius Ordinis. *Die* 23. *Maii*.

Quinque *P*atres ex Ilicetanis ſecum adduxit, vt ſecum Oneri Generalatus ſuccumberent.

Beatus Arnaldus Neracenſis Gallus defunctus eſt Iliceti, & prope Eccleſiam ad *P*ortam Clauſtri ſepelitur. *Die* 27. *Decembris*.

1508 58 Reu. Pater Fr. Lactantius *P*iccolomineus, qui ſupra. *Die* 7. *Maii*.

1509 59 Beatus *P*ater Fr. Baſilius Senenſis Confeſſor, & Prædicator, Officium terminat pro Lactantio abſente.

1510 60 Beatus Pater Fr. Seraphinus de Ferris, qui ſupra. *Die* 14. *Aprilis*.

Pater Fr. Lactantius Piccolomineus, qui ſupra, fuit hoc anno Vicarius Generalis Cœnobij ſancti Auguſtini de Vrbe.

Clauſtra, quæ noua appellantur, ad ipſum introitum Cœnobij, quæ protenduntur ad cubitos 185. inchoata fuere, & Dominus Hieronymus Epiſcopus Pientinus, ex familia Piccolominea pro conſtructione, ex propria liberalitate ſoluit 400. ſcuta.

1512 61 Reu. Pater Fr. Seraphinus, qui ſupra. *Die* 25. *Aprilis*.

AEgidius Ilicetanus à Viterbio, qui ſupra, in prima ſeſſione Concilij Lateranenſis coram Iulio II. & cunctis *P*atribus Concilij verba fecit. *Die* 7. *Iunii*.

Conſtructa

Conſtructa fuere ſub iſto Priore Hoſpitia, quæ ſe extendunt ad quinque cubicula precio 500. florenorum, ex hæreditate Fr. Lactantij Piccolominei.

1513 Beatus Chriſtophorus de Paltonis, ſiuè de Petronis moritur ſanctiſſimè.

1514 62 Reu. Pater Fr. Seraphinus, qui ſupra, rurſus eligitur. *Die 30. Aprilis.*

Idem Ægidius à Iulio *II.* mittitur Nuncius ad Sereniſſimos Venetos, & ad Regem Neapolitanum.

Burgheſius Pandulphi Petruccij, nomine ſuo, & Fabij Fratris, vendidit Ilicetanis Nemus ſtadiorum 27. in loco, qui dicitur Fons del Tegolàio. *Die 13. Octobris.*

1515 Idem Ægidius à Leone X. miſſus eſt Nuncius ad Cæſarem.

Hic Prior Fr. Seraphinus, fuit etiam Reformator Generalis in Tuſcia, Vicarius, & Prior Collegij s. Auguſtini de Vrbe.

1516 63 Beatus Pater Fr. Paraclitus de Binis, qui ſupra. *Die 6. Aprilis.*

Sub iſto Cœnobium Sancti Leonardi de Lacu ſeparatur à Capitulo, & Monaſterio *Iliceti* de communi conſenſu partium. *Die 4. Auguſti.*

Incorporatur Congregationi, ſitq; filius Domus Ilicetanæ Magiſter Pater Antonius Zerra Tantuccius Senenſis, id eomet inſtantiſſimè poſtulante. *Die 15. Octobris.*

Hic antea nempe An. 1508. Prior *P*rouincialis totius Prouinciæ Senarum extitit, & An. 1510. Verbum Dei Romæ glorioſè diſſeminauit.

1517 Beatus Valerius Domini Georgij de Spannocchis Senenſis apud Monaſterium S. Leonardi de Lacu mortuus eſt, aſportatur eius cadauer *I*licet. vbi quieſcit.

Ægidius Ilicetanus a Viterbio, qui ſupra, mittitur Nuncius Apoſtolicus ad Vrbinatem Ducem.

Idē creatur à Leone X. presbiter Cardinalis s. Bartholomei in Inſula, *Die 1. Iulij.*

Epiſtolas grauiſſimas, & elegantiſſimas miſit ſtatim poſt ſuam aſſumptionem ad apicem Cardinalatus, ad Patres ſacri Collegij Senenſis Theologos, ad ſuoſquè confratres Ilicetanos, de quibus infra in Elog. huius Cardinalis.

1518 64 Beatus *P*ater Fr. Paraclitus de Binis, qui ſupra, denuo eligitur. *Die 18. April.*

A Leone X. Ægidius Cardinalis ad Carolum V. *I*mperatorem in Hiſpaniam Legatus à latere mittitur.

1520 65 Beatus Pater Fr. Paraclitus Binus, qui ſupra, proſequitur Officiū. *Die 22. April.*

Paſqualis *P*etri Simonis Angeli de Ancaiano ſponte genibus flexis coram cunctis Patribus Iliceti, & in medio eorum, obtulit Deo immortali Animā ſuam, Corpus verò, & cuncta bona Monaſterio *Ilicetano*. *Die 8. Septembris.*

Ægidius Cardinalis Protector Ordinis Eremitici s. Auguſtini deſignatur.

Hic *P*araclitus, dum etiam RR. MM. Moniales s. Mariæ Magdalenæ Senarum regeret, apud eas clarus meritis, & miraculis migrat ad Cælum, Corpus verò eius ſtatim Ilicetum aſportatur, vbi venturum Iudicem expectat, deceſſit. *Die 19. Nouembris.*

1520 66 Reu. Pater Fr. Bernardus Senenſis terminat biennium.

1521 67 Reu. *P*ater Fr. Hieronymus Bonſignori, de Bonſignoris Senen. *Die 4. Maij.*

Magiſter Antonius Zerra Tantuccius ſacro Collegio PP. Theologorum Senarum, vti Decanus, præeſt.

1524 68 Reu. *Pater* Fr. Baſilius Ioannis de Monaldis Senenſis. *Die 11. Aprilis.*

Beatus *M*ichaelangelus Gamuccius, & B. *I*oſeph Geminianenſes, inter Turcas palmam Martyrij obtinuere, ad glorioſamquè certaminū palmam euolarunt.

1525 Magiſter Pater Antonius Zerra Tantuccius ex Eremita Auguſtiniano factus eſt Ordinis Guilielmitarum Generalis, cum quo titulo ſemper fere in lib. Sac. Coll. PP. Theol. Sen. ponitur.

1526 69 Beatus Pater Fr. Bernardus de Senis. *Die 13. Aprilis.*

Beatus

1527 Beatus Nicolaus Gallus è viuis ſublatus eſt, requieſcunt eius oſſa Iliceti.
1528 70 Reu. Pater Fr. Bernardus de Senis, qui ſupra rurſus eligitur. *Die* 26. *Aprilis*.
1530 71 Reu. Pater. Fr. Baſilius Senenſis, concionator. *Die* 24. *Aprilis*.
1531 Dominus Franciſcus Præpoſitus Groſſetanus, & Vicarius Generalis Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi Senarum, dirimendo litem inter Monaſterium Iliceti, & Plebanum Caſciani, determinat, Fratres dicti Monaſterij non teneri ſoluere Decimas, ſed tantùm Colonos teneri ſoluere pro portione.
1532 72 Reu. Pater Fr. Saluator Senenſis. *Die* 14. *Aprilis*.
Fr. AEgidius Cardinalis Ilicetanus declaratur Patriarca Conſtantinopolitanus, Eccleſiarum Caſtrenſis, deinde Lancianenſis, Sutrinæ, & Nepetinæ adminiſtrator, deſtinatus, aptatuſq; (vt ait Ioannis) ad Pontificatum. Obijt Romæ, & ſepultus eſt in Eccleſia ſui Ordinis. *Die* 12. *Nouembris*.
Huius Cardinalis impenſis terminantur Libri pro Odeo Eccleſiæ Iliceti, iam inchoati, vt dictum eſt ſupra, & perficitur Dormitorium prope Turrim.
1533 73 Reu. Pater Fr. Nicolaus Aloiſij de Rainieris Collenſis, per aliquos menſes tantùm ſuſtinet onus.
1533 74 Reu. Pater Fr. Lactantius Domini Iacobi de Piccolomineis Senenſis, compleuit biennium.
In gratiam huius Prioris Dominus Hieronymus Piccolomineus Epiſcopus Pientinus, eiuſdem Prioris Fr. Germanus, Clauſtra, quæ noua dicuntur perfecit proprio Aere.
1534 75 Beatus Pater Fr. Nicolaus Rainierius Collenſis, qui ſupra. *Die* 19. *Aprilis*.
1536 76 Reu. Pater Fr. Gregorius Senenſis Concionator. *Die vltima Aprilis*, per aliquos menſes, tantùm permanſit.
1536 77 Reu. Pater Fr. Hieronymus Laurentij de Senis, terminat biennium.
1538 78 Beatus Pater Fr. *Paraclitus* de Datis Senenſis. *Die* 5. *Maii*.
Beatus Pater Fr. Ioannes benedictus Moncettus à Caſtilione Clanarum moritur Iliceti, ibiq; iacent eius oſſa: multa eleganter, ac doctè ſcripſit.
1540 79 Reu. Pater Fr. Paraclitus Datus, qui ſupra. *Die* 11. *Aprilis*.
Hic Paraclitus fuit etiam Vicarius Generalis s. Guilelmi de Caſtilione Piſcariæ, pro Domino Epiſcopo Diœceſano.
1542 80 Reu. Pater Fr. Iulius Senenſis. *Die* 23. *Aprilis*. per menſes tantùm retinuit Officium.
1542 81 Reu. Pater Fr. Brunettus de Iudicibus, à Leoniſſa, hic finem dat biennio.
1544 82 Beatus *Pater* Fr. Brunettus, qui ſupra. *Die* 28. *Aprilis*.
Emuntur ſtadia 27. Nemoris in loco, qui dicitur Poggio roſſo *Die* 25. *Maii*.
1546 83 Reu. *Pater* Fr. Bernardus Senenſis. *Die* 10. *Iunii*.
1548 84 Reu. *Pater* Fr. Ioannes Baptiſta Senenſis. *Die* 15. *Aprilis*.
1548 85 Reu. *Pater* Fr. Tiberius *Piccolomineus* Senenſis.
Hic coactus ab obedientia gubernat Monaſt. ſubſtitutus, Ioanne Priore abſente. Sub iſto ædificatur Ambulacra ſupra Clauſtra, quæ Noua dicuntur à parte Turris Cœnobij, & Monaſterij s. Leonardi, & Portæ Principalis precio lib. 784.
1550 86 Reu. *Pater* Fr. Marianus de Turchis Senenſis. *Die* 20. *Aprilis*. Etiam hic per obedientiæ meritum ſubijt Oneri.
Ad ob. multa negocia Romæ peragenda Præſuli munere liberè: ac ſponte ſe abdicat Vrbem acceſſurus.
1552 87 Reu. *Pater* Fr. Marianus Turchius Senen. qui ſupra, rurſus eligitur. *Die* 1. *Maii*.
1554 Non celebratur Capitulum Iliceti ob tumultus bellorum & militum, qui Cœnobium noſtrũ deuaſtarunt, etiam contra Edictum Marchionis de Marignano.
Bartholomæus vulgò Brandanus Tertiarius Ilicetanus vir notus ob arctiſſimã pœnitentiam per actam, & donum prophetiæ, moritur Senis apud Nobilem Familiam

Familiam Boninſighiam, iacent eius veneranda oſſa in Eccleſia s. Martini Senarum occulta, diu ſuſpirata ac deſiderata, multoties quæſita, ſed ſic Deo diſponente, non inuenta, moritur. *Die 14. Maii.*

1555 88 Reu. Pater Fr. Marianus Turchius, qui ſupra, munus proſequitur.

Ignis comburit Syluam noſtram, nempe ſacram Eremum, & perierunt Authographa in obſidione Senarum. Dormitorium .n. in quo erat Grammatophilacium, totum ignis combuſſit, relictus ibidem ab vno militum.

Eodem tempore miles quidam furatur Imaginem Domini Noſtri Crucifixi, ſtatim excæcatur, nec vidit, donec furtum reſtitueret.

Paulus Papa IV. concedit Capitulo *I*liceti, vt ad biennium eligat *P*riorem ſibi, & vt Cœnobium gubernet, & *P*rioris ſic electi confirmatio tempore Capituli, ſiue Congregationis intermediæ, pertineat ad Diffinitorium, & Vicarium Generalem, extra hæc tempora, ad Vicarium Generalem tantummodò.

*P*oteſt Capitulum Iliceti, nempe Patres vocales eumdem Priorem ſic electum, denuo eligere & confirmare, ſed electio ad arbitrium Patrum prædictorum Diffinitorum eſt confirmanda, vel infirmanda.

Si electio dicti Prioris pendente biennio, qua vis ex cauſa vacet, noui *P*rioris electio itidem pertineat ad dictos *P*atres Vocales Cœnobij, confirmatio verò huiuſmodi electionis ad ipſum ſolum Vicarium Generalem; cum clauſula derogatoria, ſi ſecùs ſuper his à quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, pœnamquè ſtatuit excomun. *Die 2. Septembris.*

1556 89 Reu. Pater Fr. Stephanus Camozzius de Plumbino. *Die 29. Aprilis.*

1558 90 Reu. *P*ater Fr. Tiberius Piccolomineus Senenſis, qui ſupra. *Die 24. Aprilis.*

1560 91 Reu. Pater Fr. Seraphinus de Incontris Volaterranus Iſraelita. *Die 4. Maii*

*I*ſraelita nuncupatus, qui ſupra, quia antea hebræus erat.

*P*ietate, ac liberalitate Domini Sigiſmundi ex Nobiliſſima Gente Chiſia conſtruitur Ara maxima fabrefactis precioſis Lapidibus Romæ, & Ilicetum magno precio deductis, ibique idem magnificentiſſimè opus inchoauit, ſed non perfecit morte ſublatus.

1562 92 Reu. Pater Fr. Marianus Turchius Senenſis, qui ſupra. *Die 13. Aprilis.*

Epiſcopus Volaterranus plura bona tradidit Monaſterio Iliceti in emphiteuſim perpetuam. *Die 12. Iunii.*

1564 93 Reu. Pater Fr. *I*ulius Senenſis. *Die 26. Aprilis.*

1564 94 Reu. Pater Fr. Raphael Senenſis. *Die 24. Auguſti.*

Eligitur in Capitulo, *P*ræſidente Chriſtophoro Patauino Generali.

1566 95 Reu. Pater Fr. Seraphinus Iſraelita, qui ſupra. *Die 28. Aprilis.*

1568 96 Reu. Pater Fr. Marianus Turchius Senenſis, qui ſupra *Die 1. Maii.*

1570 97 Reu. Pater Fr. Athanaſius Iuliani Marcuccij à Monteſullonico. *Die 9. Aprilis.*

1571 Pius V. anathematizat omnes vtriuſq; ſexus retinentes *P*riuilegia, & Scripturas Monaſterij Ilicetani. *Die 24. Nouembris.*

1572 98 Reu. *P*ater Fr. Anſanus de Martinis Florentinus. *Die 19. Aprilis.*

1574 99 Reu. Pater Bacchalaureus Fr. Saluator de Bindis Senenſis. *Die 13. Aprilis.*

1576 100 Reu. Pater Fr. Athanaſius Marcuccius Fullonicenſis, qui ſupra. *Die 5. Maii.*

1578 101 Reu. Pater Fr. Athanaſius, qui ſupra, denuo eligitur. *Die 23. Aprilis.*

1579 Obtinet hic pro Monaſterio, ſoluto precio, à *I*ulio de Turaminis ſtaria 140. terræ in Sylua al Campo al Caſtagno. *Die 19. Nouembris.*

1580 102 Reu. Pater Magiſter Fr. Saluator de Bindis, qui ſupra. *Die 17. Aprilis.*

1582 103 Reu. Pater Fr. Athanaſius Marcuccius, qui ſupra. *Die 29. Aprilis.*

1584 104 Reu. Pater Fr. Athanaſius, qui ſupra, iterum eligitur. *Die 15. Aprilis.*

1586 105 Reu. Pater Fr. Athanaſius, qui ſupra, rurſus eligitur. *Die 20. Aprilis.*

1580 106 Reu. Pater Fr. Athanaſius, qui ſupra, adhuc eligitur. *Die 1. Maii.*

Hic propria virtute ac ſolertia multa comparauit ad vtilitatem, & ad ornatum huius Monaſterij, ac totius Congregationis: ſcripſit Memoriale Magnum de rebus Ilicetanis, & quædam Opuſcula ad ſacram Theologiam moralem ſpectantia, inſuper & pro Concionatoribus aliqua exarauit.

1590 107 Reu. Pater Fr. Archangelus Lollius de Monteſullonico. *Die 13. Maii.*

1592 108 Ren. Pater Baccalaureus Fr. Stephanus Vgurgerius dictus. *Die 20. Aprilis.*

1593 109 Reu. Pater Fr. Ioannes Bartholomæi de Ricciantis Fighinenſis. *Die 1. Maii.*

1595 110 Reu. Pater Fr. Arcangelus de Monteſullonico, qui ſupra. *Die 5. Maii.*

Hoc anno in noſtro Ilicetano Cœnobio fuit conſtitutum Gymnaſium, & primò mittuntur litteræ publicæ ab Andrea de Fiuizzano Generali Ordin., per quas etiam ſtudii familia aſſignatur ſub magiſterio P. Bacc. Fr. Thomæ de Carpijs,

Andromachus ex Comitibus *Ilci*, vir probus ac integer, poſt quam plurimum in Vinea Domini, & Religionis laboraſſet, tandem mercedem illam magnam, quam remunerator Dominus dat ſeruis ſuis, habuit Romæ apud Monaſteriũ ſancti Matthęi in Merulana.

1696 111 Reu. Pater Magiſter Fr. Aurelius de Margattis à s. Geminiano. *Die 4. Maii.*

1598 112 Bacc. Pater Fr. Nicolaus de Campiglia Ilicetanus. *Die 21. Maii.*

Alexander de Mancinis Senenſis Generalis fuit Iliceti. *Die 26. Iunii.*

1599 Vir religioſiſſ. vtiq; & ſimpliciſſ. Fr. Aſcentius de Baleſtrieris Sen. diem clauſit extremũ manibus iunctis, flexis genibus. *Die 4. Octob.*

Hic religioſa libertate Cardinali Sfrondato, nuncupato ſanctæ Ceciliæ, eo tempore, quo viſit Ilicetum dixit, *Recorderis has veſtes, quibus indutus es, purpuratas eſſe ſanguine Chriſti, et pauperum eius, eſto ſeruus B. Mariæ Virginis Dei Matris.*

Cubiculum, in quo efflauit animam, per plures menſes poſt eius mortem roſarum emittebat odorem.

Eius corpus iuſſu Domini Archiepiſcopi Senarũ Camilli Burgheſij Arca Cupreſſina includitur, quæ vſq; in hodiernum diem nobiliorem obtinet locum in Sacrario *I*licetano obijt. *Die 3. Octobris*

1600 113 Reu. Pater Fr. Arcangelus Lollius, qui ſupra. *Die 23. Aprilis.*

1602 114 Reu. Pater Fr. Ioannes Fighinenſis à s. Giminiano, qui ſupra. *Die 28. Aprilis.*

1604 115 Reu. Pater Fr. Athanaſius Pacinius de Belforte Ilicet. *Die 8. Maii.*

Permanet vſq; ad diem 29. Septemb. ea namq; die per mortem P. Ioannis Phighinenſis Vicarij Gener. Congr. redijt ad regimen eiuſdẽ Congreg. tanquã Rector.

1604 116 Reu. Pater Fr. Thomas de Carpijs Ilicet. ſupplet pro Atanaſio Rectore.

Clemens Papa VIII. pro tota Congregatione Iliceti aſſignat Nouitiatum ibidem, vbi vult manere Nouitios octo, ſeruientes quinque, Patres Sacerdotes decem. *Die 17. Iunii.*

1605 117 Reu. Pater Bacc. Fr. Athanaſius Pacinius, qui ſupra. *Die 14. Maii.*

1607 118 Reu. Pater Bacc. Frater Ioſeph Pontius Senen. *Die 5. Maii.*

1609 119 Reu. Pater Bacc. Fr. Marianus *I*licetanus. *Die 9. Maii.*

1610 Volumnius Hieronymi de Landuccis puer decem annos natus, qui poſtea Ambroſius dictus eſt horum, humilium laborũ Auctor, Religionem ſub iſto ingreditur Iliceti. *Die 11. Nouembris.*

1611 120 Reu. Pater Magiſter Fr. Camillus Noccius Florentinus. *Die 23. Aprilis.*

1613 121 Reu. Pater Bacc. Fr. Camillus, qui ſupra, rurſus eligitur. *Die 27. Aprilis.*

Sub. iſto Templum renouatur, amplificatur Odæum, conſcribuntur Priuilegia, Contractus, & Aliæ Scripturæ Cœnobij, & in bina Volumina concluduntur.

Datur Typis Relatio Beatorum Ilicetanorum, & alia peracta fuere, ad decorem, & ornatum Eccleſiæ, & Monaſterij.

1615 122 Reu. Pater Bacc. Fr. Thomas de Carpijs Ilicet. *Die 9. Maii.*

Sub

Sub quo ſecunda vice conſecratur Eccleſia par Domino Antiſtite Archiepiſcopo ſenarum Alexandro Petruccio. *Die 4. Octobris.*

Probus, ac Religioſus vir Sabinus de Sauinis ſen. columbina ditatus ſimplicitate, inter prudétiores cæleſtis curiæ cóciues cooptatus eſt. *Die 18. Aprilis.*

Hic Thomas ſponte ſe priuauit officio in fine primi anni.

1616 123 Reu. Pater Bacc. Fr. Syluius Puccinus Miniatenſis. *Die 23. Aprilis.*

Prædium vulgò dictum il Caſino, multaque nemora, quæ illud ambiunt, nempe ſtaria 500. ex vi pecuniæ numeratæ comparatur à noſtro Collegio in Sylua, ex qua emptione plurimum dilatantur confinia Monaſterij.

1618 124 Reu. Pater Bacc. Fr. Deſiderius de Monacis à Monteſullonico Ilic. *Die 5. Maij.*

Hic in fine primi anni eligitur Vicarius Generalis Congr.

1619 125 Reu. Pater Fr. Laurentius Chigiottus de Monteſullonico Ilicet. *Die 20. April.*

1621 126 Reu. Pater Bacc. Fr. Angelicus de Vecchis ſenen. *Die 1. Maii.*

1623 127 Reu. Pater Bacc. Fr. Athanaſius Pacinius à Belforte Ilicetanus. *Die 7. Maii.*

Hic obijt, non dum completo biennio.

1625 128 Reu. Pater Bacc. Fr. Syluius Miniatenſis. *Die 29. Aprilis.*

Per menſes tantùm manſit in Officio.

1626 129 Reu. Pater Bacc. Fr. Marcellinus Alteſius Sen. *Die 17. Septembris.*

Hic copioſè eleganterq; conſcripſit multa pro Monaſterio, & Cong. Ilicetana.

1627 130 Reu. Pater Bacc. Fr. Seraphinus de Venturis ſenenſis. *Die 17. Septembris.*

Sacrarium noſtrum inter multas alias Reliquias ditatum fuit quinq; fulgidiſſimis ſpinis Coronæ Domini Noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti, quarum vnã, authoritate Pontificia, abſtulit Cardinalis s. Ceciliæ, vnam verò per ſupplicem libellum obtinuerunt Patres Monaſterij s. Auguſtini apud ſanctam Floram, reliquę verò tres ſub iſto Priore delatæ fuere ſenas circumferendæ per Ciuitatem, atq; ibi conſeruandæ, per dies octo de more Ciuitatis in ſolemni ſupplicatione fieri ſolita poſt Paſcha Reſurrectionis Domini.

Manſerunt vſq; ad præfinitum tempus in Templo s. Martini Senarum, Priore Ambroſio Landuccio.

1629 131 Bacc. Fr. Ambroſius Landuccius Senenſis. *Die 18. Septembris.*

Hic permanſit in munere vſq; ad diem 20. Aprilis, in quo congregata Synodo Iliceti præficitur Vicarius Generalis Congregationis.

Intra quos menſes in elegantiorem Formam excitatur Templum, erectis ſepulchris ſex ad capiendas ſacras reliquias Noſtrorum Beatorum.

Inſtauratur, augeturq; ſacellum B. Ioannis de Incontris, aptaturq; ad ſacrum Miſſæ peragendum.

Sternitur lata, longaquè via, circumſepta hinc inde muris ante ingreſſum Cœnobij, quæ ſe extendit ad cubita 370.

Prælo datur SACRA ILICETANA PROPAGO, authore eodemmet Ambroſio Landuccio, Tabulis duabus magnis æneis inciſa, terminatur *Die 1. Decembris.*

Inchoatur Bibliotheca, & Archiuium pro Cœnobio Ilicetano.

1630 132 Reu. Pater Bacc. Fr. Theodorus de Ferronis à s. Geminiano. *Die 20. Aprilis.*

Deteguntur multa corpora Beatorum Iliceti occaſione ſternendæ Aræ, & apponendorum graduum ad Aram maximam, ac decentiùs tumulantur eiſdem in locis, vbi inuenta ſunt, promouente Ambroſio Landuccio Vicario Generali Congregationis, & ſuper his conficitur publicum Inſtrumentum Notario Vincentio de Caſinis ciue ſenenſi. *Die 22. et 23. Octobris.*

1632 133 Reu. Pater Bacc. Fr. Auguſtinus de Crocchis à Monteſullonico Ilicetanus. *Die 24. Aprilis.*

1633 Sub iſto in lucem editur SACRA ILICETANA SILVA, in quatuor folijs impreſſa, Auctore ſupradicto Ambroſio Landuccio Priore Cœnobij ſancti Stephani Florentiæ. *Die 15. Iulii.*

1634 134 Magiſter Fr. Ambroſius Landuccius ſenenſis, qui ſupra. *Die 24. Aprilis.*

In hoc biennio perficitur non vulgari labore Bibliotheca, & Archiuium pro Cœnobio, & Congregatione Ilicetana.

Fuerunt appoſita monimenta multarum rerum memorabilium pertinentium ad ornatum, & decorem eiuſdem Cœnobij.

Vrbanus Papa VIII. anathematizat omnes extrahentes quid minimum ex prædicta Bibliotheca, & Archiuio Ilicetano.

Ex ſolemni voto Ciuitatis Senarum, in gratiarum actionem, quia eadem Ciuitas liberata fuit, non ſine magno miraculo, à communi totius Italiæ Lue, in elegantiorem formam reducitur Altare Beatiſſimæ Deiparæ Virginis ſenarũ Tutelaris, ac Patronæ in Eccleſia Cathedrali, ſub quo Altari in Plumbea Arca inueniuntur (vt in membrana ſcriptum erat) alicuius magni ſerui Dei oſſa, ſine vllo nomine, ibiq; tumulata tempore Pij II.

Detegitur per quæſtionem prælo datam Aſcanio Piccolomineo ab Aragona Præſuli Ciuitatis incorruptæ integritatis dicatam; editamq; ab eodem Ambroſio Landuccio *Priore* multorum ex primoribus rogatu, fuiſſe Oſſa Beati Iacobi Piccolominei Ilicetani.

1636 135 Reu. Pater Bacc. Fr. Auguſtinus de Crochis à Montefullonico, qui ſupra. *Die 12. Aprilis.*

Moritur hic in principio ſecundi anni. *Die 27. Iulii.*

1637 136 Reu. Pater Fr. Creſcentius Scheggius Ilicetanus. *Die 5. Auguſti.*

Reliquit munus nondum expleto primo anno.

1638 137 Reu. *Pater* Bacc. Frater Stephanus Nerius à s. Leonardo. *Die 24. Aprilis.*

Nobiliſſimus Vir Auguſtinus Chiſius D. Stephani Eques, ac Illuſtriſſimi Priſſimique Xenodochij s. Mariæ de Scala Senarum Rector vigilantiſſimus, Altare maius iam, vt dictum eſt, à ſuis maioribus erectum, adauxit & exornauit in Eccleſia Ilicetana, executore piæ voluntatis Ambroſio Landuccio, qui ſupr.

Hic Prior pro tertio Anno confirmatur in ſuo munere, annuente sacra Congregatione ſuper negocijs Regularium præpoſita.

1641 138 Reu. P. Bacc. Frater Michael de Scottis Senenſis ab Ilicet. *Die 13. Maii.*

Regit Monaſterium tanquam Vicarius ſubſtitutus per aliquot menſes.

1641 139 Reu. P. Bacc. Frater Aſcenſius Meallius Senenſis virtute litterarum patentium Vicarij Generalis habito verbo cum sacra Congr.Peg. *Die 1. Septembris.*

Succeſſit ille in Vicariatu ex vigore Decreti s. Cong. Regularium.

1642 140 Reu. P. Bacc. Frater Aſcenſius, qui ſupra, eligitur à familia. *Die 10. Maii.*

1644 141 Reu. P. Bacc. Frater Bernardinus Banchius Illicet. *Die 25. Maii.*

1646 Magiſter *Pater* Frater Lucas Mannuccius Pratenſis, & Magiſter P. Frater Theodorus Ferronius à s. Geminiano, eliguntur in pari ſuffragio: nempè ex ſex electoribus, tres vnum, tres alterum eligunt. *Die 20. Aprilis.*

Præponitur negocium determinandum s. Congreg. Regularium, quæ decreuit, ueniendum eſſe ad aliam electionem. *Die 22. Iunii.*

Interim Cœnobium committitur ei, qui ſecundus à Priore rem adminiſtrat.

1646 142 Magiſter Fr. Theodorus, qui ſupra, remanet electus. *Die 13. Iulii.*

Retinuit onus per paucos menſes ſponte renuncians

1646 143 Reu. Pater Bacc. Fr. Hieronymus de Mannellis Pratenſis. *Die 21. Nouembris.*

1648 Supprior Monaſterij per duos menſes, & aliquot dies, expleto biennio præcedentis *Prioris*, ſuſtinet adminiſtrationem.

1649 144 Reu. Pater Bacc. Fr. Innocentius Neruccius Senenſis, ſed Florentino Cœnobio aſcriptus eligitur. *Die 2. Februarii.*

Huius ſolertia circundatur muro à Parte Monaſterij Inſigne Prædium della Loccaia.

Per

Digitized by Google

1651 Per tres menſes tenet directionem Monaſterij ille, ad quem de iure pertinebat poſt Priorem.

1651 145 Reu. Pater Fr. Ludouicus de Burberis Ilicetanus, de Prior. *Die 29. Aprilis.*
In fundamento maioris Ambulacri foditur ſpatioſa longaq; Via, per quam à Triclinio ad Cellam Vinariam pergitur, non vulgari Monaſterij commodo, vna enim clauè, cuncte officinæ commode cuſtodiuntur.
Alia non parui momenti ad Ornatum prædicti Prædij, & Sacrarij parata fuere.

1653 146 Reu. Pater Fr. Dorotheus Spinellius Ilicetanus. *Die 2. Maii.*
Paratur plana ac lata via, quæ incipit à media, quæ eſt ante aditum Monaſterij, de qua ſupra ad Ann. 1629. & terminat ad Portam Maiorem Prædij della Loccaia, quatuor centumquè cubitis porrigitur, de foſſis ad dextram, & læuam plantis varijs, quæ decori loci, & relaxationi animi habitantium inſeruit, & quia huius operis promotor fuit Ambroſius Landucius Vicarius Generalis Congregationis, voluerunt Patres eam vocare.

VIAM AMBROSIANAM.

DEO SERVATORI IMMORTALI LAVS ET GLORIA.

Pro huius Domus Stemmatibus
Incerti Auctoris

Stemma vetus frondente ſub ilice
Condit Eremum;
Condita ſubquè tribus ſtant tria
vota iugis.
Hæc ſuper arbor adeſt vitæ,
fructuſq; ſalutis,
Ergò vbi eremus erat, iam Paradiſus
erit.

ORTO

Digitized by Google

ORIGO
SACRAE CONGREGAT.IS ILICETANAE DE OBSERVANTIA IN TVSCIA ORD. S. P. AVGVSTINI.

ILicetum vetus Sanctitatis *Illicium*, nempe sacra Eremus s. Saluatoris de Iliceto Ord. S. P. Augustini, vnius horæ itineris ab Vrbe Almæ Matris Dei Senarum distans, à Discipulis S. Ansani de Frangipanis (vt in Alia Chronologia Breui RR. PP. *Priorum* eiusdem Eremi dictum est.) exordium sumpsit; sub varia gubernatione, vti temporum necessitas exigebat, profitendo Regulã D. P. Augustini permãsit vsq; ad An. 1252.

Quo tempore Innocentius IV. Sum. Pont. æternæ memoriæ illam Eremitarum vnionem inter Fratres Ioannis Boni, & Fratres Ord. in Gallia Cisalpina, & Prouincia Flaminia, siuè Romandiola in choauit: quam vnionem postea Alexander IV. itidem sum. Pont. F. R. solerti diligentia Dom. Cardinalis Ricchardi S. Angeli ad hoc delegati, celebrato Capitulo Generali in Cœnobio S. Mariæ de *Populo* apud *Portam* Flaminiam in Vrbe, vbi quamplurimi Eremitæ, sub diuersis nominibus nuncupati, per totam ferè Italiam vocati peruenerant, de communi eiusdem Capituli assensu in vnam obseruantiam, & viuendi formam secundum Regulam D. *P.* Augustini, etiã tunc pluribus in locis, & præcipuè Iliceti vigentem, vniformem redigens, sub præsidentia, & regimine vnius *Prioris* Gener. distinctis Prouincijs confirmauit. An. 1256.

Hæc nostra Sacra Eremus Caput *Prouinciæ* in Tuscia permansit vsq; ad fundationem percelebris, ac *Illustrissimi* Cœnobij S. Augustini Senarum, per *Patres* Ilicetanos factam, assumens, & aduocans sibi dictum Cœnobium Augustinianum in posterum propter Metropolitanã Ciuitatem in Prouincia Senensi denominationem, ac primatum, & ita ob simplicitatem, & humilitatem habitantium Iliceti nostra hæc sacra Eremus cessit Augustiniano Cœnobio; studebant nimirum potius, ac cupiebãt felices illi Incolæ Ilicetani Deo Viuenti inseruire, & in via æternæ *Patriæ* proficere, quam terrena sapere, & possidere; fundamenta Augustiniani Cœnobij ponuntur (vt dictum est supra) An. 1259.

Ex hoc nostra Eremus restitit sola, & destituta, at non infœcunda; imo fœcundissima in sua solitudine, *Innumerabiles enim hæc Sylua* (vt ait Doctissimus Errera) *Sacras Ilices Cælo protulit, quæ fuerunt tanquam ligna plantata secus decursus Aquarum, quæ fructum dederunt tempore suo. Alph. 1. parte pag. 493.*

Verè quidem Innumerabiles Viros sanctitate conspicuos, litterisq; condecoratos, hæc Sylua tanquam fœcunda mater pepetit mundo, adeo vt nec etiam post dictam Generalem Vnionem ab Alexandro IV. peractam penitùs possit colligi numerus tot Virorum Illustrium ab ea progenitorum, prætermissis illis, quos parturijt à suis Sanctissimis incunabulis vsq; ad dictam Vnionem Generalem.

Hic locus, ex quo habitari cæpit, sanctificatus est sanctitas, vt ita dicamus, ab eo fuit inseparabilis, ibique semper refulsit Religio, pietas, sanctitas tanquam sol in mundo, hinc peccatorum tenebris contrarius, profugauit iniquitatem; *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate: aut quæ societas lucis ad tenebras, quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Corinth. 2. Cap. 6.

Aspirauerant semper illi nostri maiores ad regularem, & strictiorem obseruantiam, & monasticæ vitæ statum perfectissimum; Videbant dolentes, lachrimantes priscum obseruantiæ modum penitùs declinare, penitùs ruere, licentiorem vitam introduci, permittentibus illis, qui toto conatu id negare debebant: Recordabantur, *Mõdi-*

tum

eum fermentum totam maſſam corrumpere; ſcientes etiam picem tangentes coinquinari, ac durante conſortio Reformatorum, & non Reformatorum, Naturam humanam, vti pronam ſemper ad malum, labilem, & nitentem in vetitum, facilè obſeruantes à propoſito antiquę vitæ auocare, vnde *Iugum ducere cum eis renuebãt* religiosè. Ad Corinth. 2. Cap. 6.

Hinc Innocentiſſimi illi Incolæ profuſis lachrimis auxilium à Domino depoſcebant, qui non permittens tentari ſupra id, quod poſſumus, fulcimentum auxiliumque optatum illico illis præbuit.

Voluit nanq; ſumma Dei bonitas, coacta Synodo Generali Auguſtiniana Strigonij in Hungaria, eligi vnanimi Patrum Electorũ conſenſu in Priorem Generalem totius Religionis Eremiticæ illum ita ſtudioſiſſimum Religionis, vt ſapientiſſimum Theologũ Bartholomæum, ab aliquibus Ptolemæum vocatum, cui Sereniſſima illa ac Potentiſſima Reſpublica Veneta Patria fuit, nobili genere ortum, qui aſſumpto regimine plurimùm pro Religione Chriſtiana, præcipuè, vt ſui subditi Religioſi (vt par erat) eam obedientiam & obſequium summo Chriſti Vicario in terra præſtarent, inſudauit schiſmate magno Eccleſiam Catholicam perturbante. eligitur. *Die* 19. *Maii Ann.* 1385.

Generalis ille totis viſceribus amplexabatur bonos, nil ei carius, quam vitia extirpare, virtutes plantare, plantatas nutrire, Religionem ſuam ex officio inuiſens, Seniſq; degens, crebreſcente, ac volitante vndique fama illorum Virorum, qui in noſtra Ilicetana Sylua tunc temporis precipuè morabantur, paterno affectu, eorum afflictiones, ac perturbationes miſerando adiutricem liberalemquè manum ſtatim eis porrexit.

Inter eos, qui ibidem inhabitabant ſtrenuè vitiorum profugatores, ſtrictiorem obſeruãtiam ſectantes, reperiebatur Religioſiſſimus Pater Fr. Nicolaus Domini Franciſci Manentis ex veteſtiſſima, nobiliſſimaquè familia de Cerretanis, vnà cum Bandinellis hic vir non minùs propria nobilitate, quam meritis, & virtutibus clarus sac. Theologiæ acutiſſimus Lector, à Domino eligitur per Bartholomæum Generalem, vt eſſet fundator, & primus Dux noſtræ Almæ Reipublicæ, eruẽte eum, & Sacram Eremum à cura, & iuriſdictione RR. PP. Prouincialium Senenſiũ, immediatè ſub propria, & ſucceſſorum redigens, conſtituenſq; omnino independenter à Proui ciali Senenſi ſuum vices Gerentem prædictum Nicolaum, aſſignãs ei (relictis hic reliquis ſuo loco ſummatim videndis) quator Religioſos Viros omnes Senenſes, & hoc virtute litterarum patentium, vt in Regeſto prædicti Generalis Bartholomæi pag. 5. *Die* 3. *Martis Ann.* 1387. Vrbano 6. ſedente.

Iſta fuerunt huius Congregationis Ilicetanæ primordia, primordia ſanè feliciſſima, quæ à tanto Authore emanarunt, à tali Duce inchoarunt; ſub horum feliciſſimis auſpicijs inter Sylvæ Lacus sacras Ilices antiquam illam obſeruantiam Ordinis ſtabiliuit, reformauit, auxitq; Bartholomæus.

Feliciſſima quidem tantæ Obſeruantiæ Initia, quæ poſtea decurſu temporis in celebrẽ Archicongregationem excreuit, & ſucceſſoribus liquibus eiuſdem Bartholomæi Protegentibus præbens ſeipſam in exemplum Alijs Ordinis Eremitici Obſeruantiæ ſtrictioris, eidem Ordini fulcimentum, decus, & ſplendorem attulit.

Paulo namque poſt cõſolidatam huius noſtræ Archicongregationis fundamenta, eadẽ obſeruantia adeo germinauit, vt per totam fere Italiam mirabiliter propagaretur; ita vt ipſa Religio tota Regulari obſeruantia niteret, ſub diuerſis tamen Prudentiſſimis Paſtoribus, ac fundatoribus.

Atſicuti multi fuerunt obſeruantiæ prædictæ Cultores, patria ad inuicem ſeparati, factum eſt, vt iuxta Regiones in quibus magis vigebat ſepararetur, etiam comparato nomine vel ab Auctore, vel à Cœnobio, à quo emanauit, & ita ex vna obſeruantia quam plurimæ ortæ ſunt, tantummodo inter ſeipſas circa aliqua accidentalia,

talia, & temporis antiquitatem diſcriminantes.

Iactis iam fundamentis Ilicetanæ Reipublicæ, & planè conſolidatis, inceperunt poſtea aliquanto, in altùm ſe extollere fundamenta Sacræ Congregationis Carbonariæ, ſiue ſancti *Io*: in ipſa Regia Ciuitate Neapolitana, per Doctiſſimum (vti aliqui volunt) Patrem Magiſtrũ Simonem de Cremona; quæ fundamẽta poſtea firmata fuere per Beatũ Mathęũ de *I*ntroduco, & poſtremo ad perfectum ſtatum perducta à Beatiſsimo Viro Fr. Chriſtiano *Pedemontio*, quem vulgò Francum appellant, virtute Litterarum patentium *P.* Generalis Beati Auguſtini Romani. *Die* 7. *Februarii. Ann.* 1421. Martino s. ſedente.

Circa hæc tempora etiam ſua *I*ncunabala vidit Congregatio Peruſina in Vmbria, *Pri*mus Rector huius Venerabiliſsimæ Obſeruantiæ, vt conijcere potuimus, fuit præſtãtiſſimus Pater Fr. Martinus Romanus, per litteras Patentes eiuſdem B. Generalis Auguſtini. *Die* 26. *Iunii*. *Ann.* 1422.

*I*n Agro Patauino ad radices Montis Orthoni extructum eſt Inſigne Templum, & Monaſterium (miro initio, admirabili auſpicio) Virgini Matri dicatum, in quo Monaſterio, opera, ac ſtudio B. Viri Fr. Simonis, aut (vt alij volunt) Simonetti de Camerto ſacræ Theologiæ Lectoris, Viri ſuo tempore notiſſimi, ob pacem iam optatam, & quæſitam, & quam nec Principes, vel Reges precibus vnquam potuere impetrare inter Venetos, & Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducẽ conſecutam, Congregatio s. Mariæ Montis Orthonis denominationem ab eodem Monaſterio deſumens, incipit ſub Eugenio IV. Idemq; Simonettus Vicarius dicitur per litteras Patentes Generalis Gerardi de Arimino. *Die* 10. *Aprilis An.* 1436.

Creſcente fructu prædictarum Obſeruantiarum, ex pio impulſu trium Reuerendorũ Patrum s. Theologiæ Profeſſorum, qui omnes Beati titulo, & diademate condecorantur; apud Nobile Oppidum Cremæ ſub ditione Sereniſſimorum Venetorum triginta miliaribus diſtans Mediolano in loco, qui dicitur Credera, primordia illa Illuſtriſſimæ vidit Religio Auguſtiniana Obſeruantiæ in Gallia Ciſalpina, fundatores fuere Magiſt. Pater Fr. *I*oannes Rocchus de Portijs Papienſis, Magiſter Ioannes de Nouara, & Magiſter Georgius de Lazolis Cremonenſis, à non nullis per errorem, in quo etiam & nos lapſi ſumus, Gregorius nominatus: huic dantur litteræ Patentes à Gerardo Præſule Relig. Eremiticæ vigilantiſsimo, quarum virtute in Gubernatorem prædictæ Obſeruantiæ inſtituitur. *Die* 4. *Aprilis*. An. 1436. ſub Martino s.

Beatus Baptiſta, ſiue vt multi aiunt Ioannes Baptiſta Poggius Ianuenſis Congregationis Obſeruantiæ in Gallia Ciſalpina Alumnus, qui adhuc ad ſtrictiorem obſeruantiam anhelans, nouæ Reformationi dedit initia. Quæ reformatio nuncupata fuit Congregatio S. Mariæ de Conſolatione, à nomine etiam tanti præclariq; Fundatoris Baptiſtinorum dicta, præcipuus tamen Titulus huius celebris, & ſacratiſsimæ Sodalitatis primus iam dictus, cum Originem habuerit à Cœnobio extra mœnia Ciuitatis Ianuenſis ſub inuocatione Sanctæ Mariæ Conſolationis, quod ab eodem Poggio erectum *P*ontificia Authoritate ſuffultum, multis contradicentibus; manet apud Nos in Noſtra Bibliotheca Martiniana Conſtitutio Sixti IV. quę incipit *In ſpecula ſupremæ dignitatis* &c. quæ eſt contra principia huius Congregationis, cuius Baptiſta declaratur Vicarius à Generali Iacobo de Aquila per litteras *Patentes*. *Die* 22. *Maii*. *An.* 1473. Paulo *II.* ſedente.

Beatus Felix, verè felix de Corſano, ſiue de Curſiano in Apulia, à multis Sanctus Appellatus, nonnullis erectis Monaſterijs, nonnulliſquè reſtauratis, cupiens perfectioris vitæ normam ſectari, ea Cœnobia etiam quoad mores reformauit, in ipſiſq; arctiorem Vitam Eremiticam ſtabiliuit, hinc fundamenta glorioſa poſuit celebris Sodalitatis Dulcetanæ, quæ etiam Apulia dicitur, Ambroſio Corano Generali Volẽte, tempore Innocentij VIII.

*I*n Calabria extrema *I*taliæ Regione, floruit Beatus Franciſcus Zampanus Vir Vitæ ſuo

ſæculo, merito, & ſtudio Religionis Venerabilis, ſanctitate, & Miraculis clarus, Congregationem Calabriæ ſiue Zampanorum à fundatoris cognomine ſic nuncupatâ auſpicatur. Eidem Franciſco AEgidius Viterbiẽſis ab Ilicero Prior Generalis litteras dedit maximæ authoritatis, quæ tanti Fundatoris, & huius celebris Societatis ſanctitatem, & excellentiam manifeſtant. *An.* 1515.

Hæc Congregatio adeò (Deo dante) creuit, vt in duas Congregationes diuideretur, vna Congregatio Calabrię Zampanorum citra, altera verò vltra, appellaretur.

Circa hæc tempora pullulare inceperunt multùm Venerabiles Congregationes à Dalmatia, & de Colorito in Calabria Citeriori.

Poſtremo Inſignis, & ſacroſancta Cõgregatio Diſcalciatorum fundata à Mango Dei ſeruo Andrea Diaz Hiſpano. *An. circiter* 1589. Cui naſcenti manum Pontificiam porrexit Clemens *Papa* VIII. illam confirmando per Breue. *Die* 5. *Nouemb.* 1599. Et adeò in Gallia, Hiſpania, & Italia propagata eſt, vt non vna, ſed tres Congregationes dicantur in plures *Prouincias* diuiſæ, præcipuè in Italia, nempe in Romanam, Siculam, & Neapolitanam, per Diplom. a Vrbani VIII. *Die* 29. *Auguſti An.*

Quæ incrementa, quantùm decoris, quos honores, Hæ omnes Congregationes Religioni Eremiticæ Auguſtinianæ contulerint, non facile dicendum; ex ipſis nanque Inſigniores, Illuſtrioreſque Viri eiuſdem Religionis emanarunt; Beati penè innumeri, Inter sacros Principes Cardinales Alexander Oliua à Saxo Ferrato Congregationis *Peruſinę* Alumnus, Noſtræ Ilicetanæ filius Adoptiuus, Hieronymus Seripandus, ex Carbonaria, Aegidius Viterbienſis ex Ilicetana, *Prætermiſſis* Eccleſiæ Romanæ *Præſulibus*, Religionis Prælatis, Concionatoribus, sacriſque scriptoribus.

Hoc tantum dicere ſufficiat, has prædictas Congregationes, adeò Eremiticam Religionem dilataſſe, ac ditaſſe, vt eidem adderent ſupra trecenta Monaſteria virorum prætermiſſis muliebribus, nec habita ratione Monaſteriorum *Prouinciarum*, quæ Recollectæ dicuntur in Francia, & in Hiſpania, quę ad inſtar Congregationum viuunt, & reguntur.

Hinc Congregati *Patres*, Partus legitimus, Filij, & Hæredes liberi, Aquilę Regales, Veraces Sectatores Magni Patris Auguſtini, à lumine tanti solis minimè recedentes, & non aliunde, quàm ab ipſomet Gremio eiuſdem Patris, ac Eremiticæ Religionis venientes, habendi, apqellandique ſunt.

Sed vt ad rem noſtram redeamus, Congregatio sacra Ilicetana, cui non temere, ac ventosè, aut ex abundantia Cordis primum dedimus locum inter cæteras Congregationes, ſed iuridicè, tùm ratione temporis, aut fundationis, tùm virtute Priuilegiorum summorum *Pontificum*, aut Nobilitatis (ſi attendatur rei nobilitas non molis, aut numeri,) ideſt non habita ratione ad quantitatem numeri Cœnobiorum, ſed Virorum Illuſtrium ſanctitate, Dignitate, ac Doctrina, quos parit Religioni, hęc noſtra Societas. Cui etiam in dies multa fuere exhibita Cœnobia, ſed ab ea diuerſis rationibus recuſata ſunt, retentis tantùm Dei, & Apoſtolicę Sedis gratia illis, quæ reperiuntur in Ditione Senenſi, & Florentina: *Protegentibus* ſemper Sereniſſimis Hetrurię Magnis Ducibus, inter quos, hac tempeſtate Ferdinandus Magnus huius Nominis Secundus Piiſſimus, Religioſiſſimus, expreſſe Sereniſſimis Fratribus Matthiè, & Leopoldo hanc Prouinciam demandauit, vt negocijs pro tanto emolumento, felicique incremento Noſtræ Congregationis aſſiſterent, Iuraque defenderent, ac tuerentur; Cœnobia, quæ retenta ſunt, vt infra patebit, præcipuè ſub cura, & regimine manent Adm. RR. PP. Vicariorum Generalium.

Quantæ exiſtimationis fuerit Collegium Ilicetanum, & hęc noſtra Congregatio, non ſolùm apud Religionem Auguſtinianam Eremiticam, ſed etiam apud totam Eccleſiam Catholicam, poſſet quis arguere, ex his quæ de ea ſcripſere Præcipui Hiſtoriographi, tum Eccleſiaſtici, tum Prophani, tum exteri, tum familiares, quorum dicta, ſeu Elogia pro ſacro *Ilicetano* Cœnobio, & eius Congregatione, longum eſſet recenſere; vnde

præter-

prætermiſſis cæteris omnibus, communiora tantùm in medium afferamus.

Paſſim, & frequenter Ilicetum Noſtrum apud ſcriptores glorioſis æternitati Epithetis commendatur, diciturquè.

A Doctiſsimo P. Herrera in Alph. Auguſtiniano.

Cœnobium, in quo Regularis obſeruantia, et Vitæ ſanctitas floret.

Domus felix, quæ ſanctitate, et exemplis Incolarum olim Ambroſium Dominicanum, et Bernardinũ Franciſcanum vtrunque, Senenſis Vrbis æqualem gloriam ad ſe allexit.

Domus felix, quæ ex propriis partibus domos alienas ditauit, et noua Regularium ſobole Catholicam fœcundauit Eccleſiam.

Domus ſacra multorum Seruorum Dei ſancta conuerſatione ſublimis, quæ plurimorum ſanctorum generatione eſt illuſtris, et perpetuò præſtantiſsimos Viros de Catholica Religione, et Apoſtolica Sede benemeritos progenuit.

A Generalibus Ordinis.

Locus mirificus ſanctiſſimus. à Ioanne Baptiſta de Aſte Ianuenſi.

Locus, ex quo exierunt plures homines Illuſtres Vitæ ſanctitate, et Doctrina. ab eodem qui ſupra.

Paradiſus Terreſtris. à Hieronymo de Ghettis Romano.

Domicilium antiquiſſimum, et ſanctiſſimum. ab eodem qui ſupra.

Sacra AEdes ſanctitatis fragrantiam emittens. ab Hippolyto Finalenſi.

A Prælatis S. Rom. Eccleſiæ.

Cœnobium Religioſorum in quo ſunt Patres Venerabiles, et ſpirituales. ab Aloyſio Lypomano in Vita S. Bernard. Senen.

Nemus, in quo ſancta, et regularis vita ſemper floruit, mira et mirabili innumerabilium Patrum luce ac ſanctitate clarum, cuius habitatores non modò Deo Chari ob ſanctiſſimum Vitæ inſtitutum, verùm etiam ob multa magnaquè prodigia, quæ diuerſis apud eos apparuerunt ſtupori hominibus, et miraculo fuere. à Card. Aegid. in Panegirico Ilicetano.

A Varijs Authoribus.

Sacrarium celebre Seminarium Sanctorum et Beatorum. Lycæum Sanctitatis. Sacrum Collegium. Areopagus Pietatis. Officina Sanctorum. Aſylum Religionis. Theatrum ſanctitatis. Thebais percelebris. Scatebra indeficiens clariſſimorum ac præcipuorum Virorum. Mater fœcunda. Equus Troianus. Sacra Antra. Sacri Horrores. Venerabiles ſpeluncæ. Patrimonium Saluatoris. Academia Paradiſi. Paradiſus in terra. Cœlum terrenum. Silentia grata. Sylua felix. Sylua frugifera, Sylua ſacra. Mons Oreb. Mons Syna. Mons Carmelus. Mons Dei. Mons Pinguis. Mons coagulatus. Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Terra ſancta, Terra benedicta. Terra fluens lacte, et melle. Conuallis mambræ. Stadium, in quo brauium diuinæ gratiæ acquiritur. Theatrum, in quo contra Diabolum pugnatur. Princeps in medio Populi. Sacrum incantamentum. Sacer Apparatus. Sacer Senatus. Vetuſta et ſancta Colonia.

Et tandem concludit noſtri AEui Inſignis Poeta, cum oſtendiſset proſpectum Ilicetani Cœnobij, ſupra quo Hæc Verba. *Oculi mei erunt aperti, et aures meæ erectæ ad Orationem eius, qui in loco iſto orauerit.* Paral. Cap. 7.

Tonens Verſus, qui ſequuntur.

Ingredere huc hoſpes ſupplex, et magna precare
Numina Diuorum, Numina magna Dei.
Hic quondam vixere Viri, pietate verendi.
Pleni diuinis pectora muneribus.

Raphael Paſinus Venetus lib. Iconum. pag. 129.

Et Ioannes Marignani Marchio in Obſidione Senenſi, captò per vim Iliceto à Republi-

ca Senarum, & à circumſtantibus habitatoribus vicinis defenſo, hoſtiliter ingreſſus Monaſterium, inter Bellicos furores circumſpiciens illos pauperculos & ſimplices Eremitas ſtupefactus, ad ſuos conuerſus, exclamauit *Sanctos Ombres, Sanctos Ombres*, (& vt dictum eſt) mandauit militibus ſub pœna capitali, ne quid mali in Eremum, & habitatores inferre auderent.

Ilicetani verò vniti, & vt Sacram Congregationem formant & repræſentant, non inferioribus Titulis honorantur.

A Populis diuerſarum Nationum.

Alma Congregatio. Communitas Inſignis Oppidi s. Geminiani.

Fratres præclari, et optimi. Ciuitas Collenſis Vallis Elſæ.

Fratres amantiſſimi, ſuauiſſimorum ſanctorumquè morũ illuſtres. Ciuit. s. Miniat.

Fratres grati et optimi moribus, et ſanctitate vitæ percelebres. Ciuitas Viterbienſis.

Viri ſancti, Prophetantes, vera prædicentes. Reſpublica Senarum.

Sectatores Antiquæ normæ Religionis. Reſpublica Florentina.

A Generalibus Ordinis.

Obſeruanti in Vita regulari, reddentes Vitam claram populo meritis, et exemplis laudabilemquè Vitam degentes. Nicolaus de Caſsia.

Celeberrima Congregatio. Gabriel Venetus.

Patres perfecti, ac veram normam et leges obſeruantes. Idem qui ſupra.

Viri præſtantiſſimi, optimiquè. Chriſtophorus Patauinus.

Congregatio antiquiſſima illuſtriſſima, cuius Patres optimæ vitæ exemplo Ordinem condecorarunt. et auxerunt. Idem Patauinus.

Congregatio Religioſiſſima, et ſanctiſſima. Thaddeus Peruſinus.

Magiſtrà virtutum, et Obſeruantiæ. Idem qui ſuprà.

Congregatio tot, tantiſque Patribus ſancta doctrina, et ſanctiori vita fulgentibus decorata. Andreas de Fiuizzano.

Congregatio Inſignis. Idem qui ſupra.

Congregatio veneranda pluſquam cæteræ ferè omnes, propter celebrem eius antiquitatem, et Veterum Patrum ſanctimoniam. Alexander Senenſis.

Congregatio vetuſtiſſima, et venuſtiſſima. Hippolytus de Rauenna.

Congregatio, ex qua tamquam ex equo illo Troiano complures Viri tùm ſanctitate, tùm litteris Illuſtriſſimi prodiere. Idem qui ſupra.

Forma, et exemplar, non ſolùm cæterarum Prouinciarum, et Congregationum, verùm etiam, et aliorum Ordinum. Hippolytus Montius Finalenſis.

A S. Catharina Senenſi.

Veri Olitores ſpirituales, eradicantes ſpinas peccatorum, et Virtutes plantantes. In ſuis Epiſtolis.

Magni ſerui Dei, Amantes ſolitudinem, è ſolitudine uocati, ab Vrbano VI. pro vtilitate Eccleſiæ Romanæ. In eiſdem Epiſtolis.

A Prælatis S. Romanę Eccleſiæ.

Viri Vitæ Laudabiles. S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. Bzouius. & Razzius in Vita s. Bernardini Senenſis.

Mons ſyon vniuerſi Ordinis, vndè ad omnem Diui Auguſtini Familiam inſtaurandã, ac emendandam, veluti ex equo Troiano Viri egrediuntur præſtantiſſimi, optimiquè. Aegid. Card. in confirmatione Actorum Capituli An. 1514.

Lumina fulgentiſſima, Animæ felices. addens.

Confugimus ad Vos tanquam ad Patres, in quibus ſancta illa Virtus, viuendi Regula, et ſynceritas relicta eſt, ſacras Ilices veſtras lachrymabundus peto. Idem in Panegirico de quo ſupra.

A Summis Pontificibus.

Celeberrimi Fratres, exhibentes deuotum, et ſedulum Altiſſimo famulatum; permanenteſquè

mentesquè diù noctuquè ſub Vitæ ſanctimonia, Regulari obſeruantia diuina Officia continuando. Eugenius IV. in Bulla .s. Relig. zelus &c.

Fratres vacantes ſtudio piæ vitæ ſub Regulari Obſeruantia. Idem Eugenius in alia Bul. Nuper ſiquidem &c.

Fratres laudabilis Vitæ, et Benemeriti. Pius II. in Bulla. Circumſpecta ſedis Apoſtolicæ &c.

Viri integritate, cæteriſque virtutibus, et fructuoſis operibus, etiam ad opportunum, et ſaluberrimum fidei Catholicæ exemplum pariter et incrementum ornati. Idem Pius in alia Bulla. Retulit nobis &c.

Ex quibus eo libentiùs ponimus, confirmamusq; illud noſtrum Elogium pro Ilicæto Congregationis Capite.

ILICET. VETVS SANCTITAT. ILLICIVM

SERIES

SERIES

Adm. Reuerendorum P. P. Vicariorum Generalium Sacræ Reipublicæ Ilicetanæ de Obſeruantia in Tuſcia.

ORD. S. P. AVGVSTINI.

In qua etiam Serie geſta omnium eorum oſtenduntur

Primus Vicarius Generalis.

Ann. 1387 | 1 B. Pater Fr. Nicolaus Franciſci Manentis de Cerretanis, vnà cum Bandinellis Senenſis sac. Theologiæ Lector.
Declaratur per litteras Patentes Reuerendiſs. nunquam ſatis laudati Generalis Bartholomæi Veneti, collato eidem Nicolao, Nomine Vicariatus.
In quibus litteris eidem Vicario cõceditur, vt poſſit reiicere, & retinere quoſcunque Fratres de Familia in Monaſterio *Ilicetano*.
Vt non teneatur ire ad Capitulum Prouinciale Prouinciæ Senarum, ſuſpendens quidquid in contrarium ordinatum fuiſſet, ſed tantùm teneretur mittere Diſcretum.
Virtute prædictarũ litterarum, poteſt hic Vicarius audire confeſſiones ſæcularium vtriuſq; ſexus in Ciuitate Senarum, & in tota eius *Prouincia*.
Item retinere valet etiam abſens ad vſum vnam Cellam ſignatam num. 16. in Dormitorio inferiori Cœnobij s. Auguſtini Senarum, iam ſibi ipſi conceſſam, derogando &c. mandando &c.
Locantur conuentualiter in eodem Monaſterio Ilicetano P. Fr. Bartholomæus Petri, Pater Fr. Daniel Sacerdotes, Fr. Gaſpar Clericus & Laicus vnus, omnes Senenſes, qui non poſſint remoueri abſq; expreſſa licentia Reuerendiſſimi Patris Generalis. Litteræ dantur Senis. *Die* 4. *Martii*.
Nicolaus ſpontè renunciat Vicariatum, petens abſolui à munere. *Die* 3. *Iulii*

1387 | 2 Beatus Pater Magiſter Fr. Ioannes nomine 3. de Tantuccis Senen. ſufficitur in Vicarium. eadem *Die* 3. *Iulii*.

1387 | 3 Beatus Pater Magiſter Fr. Ioannes Tantuccius, qui ſupra, rurſus eligitur à Generali. *Die* 5. *Octobris*.
Hic Tantuccius omnium laborum, & itinerum Seraphicę Catharinæ Beninca ſiæ Senenſis ſocius fuit inſeparabilis.

1388 | 4 Reu. Pater Fr. Iacobus de Monte *Ilcinio*. *Die* 1. *Februarii*.
Renunciat hic iuri ſuo ſpontè, quietis ſedulus amator.

1388 | 5 Reu. Pater Fr. Victorius Senenſis. *Die* 25. *Maii*.
Hic etiam ſpontè ſe abdicat, potiùs ſolitariam vitam quærens, ac priuatam, obedire potiùs quàm imperare, tamen volente ſuperiore oneri ſuccũbit.

1392 | 6 Beatus Pater Fr. Nicolaus de Cerretanis, qui ſupra. *Die* 18. *Octobris*.
Hic deſignatur etiam in Vicarium Generalem Prouinciæ Senarum vſque ad Capitulum Generale n Cœnobio Plumbinenſi celebrandum, in quo munere Vicariatus permanſit vſq; ad diem octauam menſis Martij, in qua, ſpontè renunciauit, & manſit tantum Prior, & Vicarius Generalis *Ilicetí*,

iuxtà

iuxta formam litterarum patentium, quæ eiusdem tenoris est, vt prima, de qua supra.

1394 Cui etiam mittuntur nouæ litteræ, in quibus inseritur Decretum per Patres Diffinitores Capituli Generalis Ariminensis conditum, cuius vigore Ilicetani Patres eximuntur à quauis authoritate & immediate subduntur Generali, & anathematizzantur contrariũ attentantes, addita pœna. Priuationis omnium officiorum non obedientibus. Dantur Arimini. *Die 16. Iunii.*

1395 Item Aliæ mittuntur eidem litteræ per quas P. Generalis, sub sua subdit authoritate etiam virtute Decreti Patrum Diffinitorij Generalis, de quo supra, Monasterium s. Leonardi de Lacu, quod vult gubernari à Nicolao, declarando illum etiam Vicarium dicti Monasterij. Dantur litteræ Senis. *Die 22. Mensis Maii.*

1396 7 Reu. Pater Frater Bartholomæus de s. Flora Regens Gymnasij Senensis Augustiniani.

Per litteras Patentes prædicti P. Generalis mandantes, vt simul remaneat Lector in eodem Cœnobio s. Augustini. Dantur Venetijs. *Die 15. Iunii.*

1397 Omnia, quæ continentur in prædictis litteris, confirmant Patres Capituli Generalis, Monachi celebrati in Prouincia Bauariæ. *Die 17. Iunii.*

1398 8 B. P. Frater Philippus Leonardi Colæ de Agazzarijs Senensis.

Per litteras Patentes eiusdem Generalis, eidem mandantis, vt in meritum salutaris obedientiæ munus acceptaret, & concedit, ac confirmat omnia Priuilegia actenus concessa. Dat. Venetijs. *Die 13. Maii.*

1399 Henricus Cardinalis s. Anastasij, vulgo dictus Cardinalis Neapolitanus, sacri Collegij Cardinalium Camerarius, & Protector Ordinis Erem. s. Augustini, omnia Priuilegia concessa Cœnobio Ilicetano, & Congregationi cõfirmat, Cœnobium, & Congregationem sub sua ipsius cura redigit, addens, non posse Cœnobia Congregationis, neque Fratres separari ab inuicem, neque alienos neminẽ ad eam mittere contra eorum voluntatẽ. *Die 20. Septemb.*

1400 Patres Capituli Generalis Aquilæ celebrati, itidem confirmant omnia Priuilegia Congregationi nostræ data à Patribus Generalibus. *Die 11. Iunii.*

Nicolaus de Cassia Generalis Ordinis confirmat omnes immunitates à suis Prædecessoribus concessas Congregationi, cum consensu Reuerendorum PP. Diffinitorum Capituli Generalis Aquilæ, ligans pœnis excommunicationis, & priuationis omnium officiorum impedientes, & inobedientes. *Die 12. Iunii.*

Reuerendissimus Pater Magister Bartholomæus Nobilis Venetus, Vir Egregius, Doctus, probus, ac incorruptibilis, plurimum de Religione Augustiana, & de Nostra Congregatione benemeritus, Caput nostrum, & Fundator peruigiles, & zelantissimus, bonorum operum suorum à Deo fideli remuneratore optatum præmium recipit.

1401 Idem Generalis Nicolaus præcisè scribendo *P. F.* Filippo Agazzario, in ampliori forma eadem omnia, quæ à prædecessoribus Generalibus fuere concessa, confirmat. Dantur litteræ Senis. *Die 21. Octobris.*

1402 Gregorius XII. omnia præinserta, in prædictis litteris Generalium confirmat, petente Philippo Agazzario. *Die 21. Martii.*

Idem Pontifex alio Diplomate cuncta itidem confirmat, eodem Agazzario petente. *Die 22. Septembris.*

Philippus qui supra laboriosè subsstituit Onus Prioratus Ilicetì, & Vicariatus Congregationis, sicut & alij septem Vicarij supradicti, qui fuerunt simul, & Priores Ilicetì, & Vicarij Societatis.

1408 9 *B. P.* Frater Stephanus Ioannis de Gionis Ciuis Senensis. Hic virtute Diplomatum

plomatum Greg. XII. de quibus ſupra in alia Chronologia, regit Congregationem tanquam Commiſſarius Apoſtolicus, ſiue tanquam Generalis ſub habitu Canonicali. Hic congregat Iliceti Capitulum ſuorum Canonicorum, in quo eligitur.

1408 10 B. Pater Fr. Philippus Agazzarius, qui ſuprà. *Die* 2. *Iunii*.
B. Stephanus permanet in Officio Commiſſariatus, ſiue Generalatus vſque ad diem 20. Nouembris eiuſdem Ann. quando etiam maior pars Canonicorum redijt ad priſtinum ſtatum Eremiticum, vt dictum eſt ſupra.

1408 11 B. *P.* Philippus Agazzarius, qui ſupra. *Die* 20. *Nouembris*.
Eligitur ab Eremitis ſuis, ab illis nempè, qui reuerſi ſunt ad Habitum Auguſtinianum Eremiticum.

1419 Magiſter Frater Auguſtinus Romanus Prior Generalis adhibito conſenſu omnium Patrum Diffinitorum Capituli Generalis Aſtæ celebrati Die 21. Auguſti, in ampliſſima forma confirmat omnes gratias, & immunitates conceſſas Congregationi Iliceranę à ſuis prædeceſſoribus, declarando eam nõ amiſiſſe ne minimum quidem gratiarum, & ſi tranſiuerit ad ſtatũ Canonic.

1420 Idem Generalis confirmat, & amplificat cuncta Priuilegia conceſſa Congregationi, tenore duarum Litterarum *Patentium*. prima *Die* 12. *Aprilis*, altera vero *Die* 18. eiuſdem menſis.

1420 12 Beatus *Pater* Fr. Philippus Agazzarius, qui ſupra, declaratur Prior, & Vicarius Generalis à prædicto P. Generali. *Die* 18. *Aprilis*.

1422 13 B. Pater Frater *Philippus* Agazzarius, qui ſupra.
Qui ob grauiſſimam ſenectutem officio *Prioratus Iliceti* ſe abdicat, & tantùm remanet Vicarius Generalis ſocietatis, ſed poſt modicum tempus eſt è viuis ſublatus.
Poſt hanc abdicationem officium Vicariatus, & *Prioratus*, diſiunctim confertur, & minimè in eamdem perſonam; diuerſificatur etiam Sigillum, pro Vicariatu conſtruitur Sigillum maius cum integra Imagine Saluatoris ſtantis, Alterum verò Minus variatur à Sigillo Cœnobij, in Cruce enim non apparet Chriſtus, ſed eius loco littera S. per quam illa Vox profertur nempè Saluator.

1423 14 Beat. P. Frater Matthęus Nicolai Paulicti: de Introduco ſacræ Theol. Lector.
B. Auguſtinus Romanus Generalis Ordinis, hunc inſtituit Vicarium ſuum, in, & ſuper omnia, & ſingula loca totius Italiæ, in quibus vigebat obſeruantia Regularis. *Die* 24. *Aprilis*.
Comitia Prouincialia tenentur in Collegio s Antonij de *Petriolo*, pro electione *P.* Prouincialis Senarum.
At quietis amator, & maioris perfectionis cupidus ceſſit regimini.

1424 15 B. *Pater* Frater Chriſtianus Pedemontanus, Francus Appellatus.
Hic fuit Vicarius Generalis Omnium Obſeruantiarum Italię, in Cœnobio s. Mariæ de *Populo* in Vrbe electus, & confirmatus. *Die prima Iunii*.
Titulus Vicarij Generalis, huic collatus, poſtea retentus fuit ab omnibus ſucceſſoribus cunctarum Obſeruantiarum in toto Ordine.
Hiſce temporibus Cœnobium s Luciæ in Valle Roſiæ, s. Bartholomæi de Aſciano, s. Barnabæ de s. Flora, manebant ſub ditione Noſtræ Congregationis. Herrera teſte *Alph. Aug. ſuis in locis*.
Celebratur Capitulũ Prouinciale pro Prouincia Senenſi in Monaſterio s. Leonardi de Lacu, permittentibus Iliceranis *Patribus*.

1431 16 B. Pater Frater Matthæus de Introduco denuò, & coactus deputatur Vicarius Generalis omnium Obſeruantiarum Italiæ. *Die* 27. *Iunii*.

1432 17 B. Pater Frater Matthæus Franciſci de Lucignano Vallis-Clanarum deputatur

tur pro omnibus obſeruantijs in Italia Vicarius, erat etiam Prior Monaſterij Ilicetani.

1433 Magiſter Fr. Franciſcus Florentinus, ex Nobili familia Nerlia, Vicarius Generalis in Italia liberè tradidit Congregationi Ilicetanæ Monaſterium S. Mariæ de Monte Specchio, fere iam in ſpiritualibus, & temporalibus dirutum, ità ait in litteris Patentibus. *Die* 23. *Iunii*.

Hoc idem cõfirmat Magiſter Bartholomæus de Maſſa Prior Prouincialis Senarũ, vnà cùm omnibus Prioribus, & Diſcretis, qui interfuerunt Capitulo celebrato Cortonæ.

Hanc ceſſionem confirmat idem Franciſcus Vicarius Generalis, qui ſupra, per litteras patentes. *Die* 24. *Iunii*.

1434 Magiſter Fr. Gerardus Ariminenſis ſponte, ac liberè Societati Ilicetanæ dat Cœnobium S. Antonij de Ardingheſca, ſiue ad Balnea Petrioli, cum omnibus ſuis iuribus ſtrictè mandando Vicario Congregationis ſupra dicto, vt tam in capite, quàm in membris prouideat dicto Monaſterio. *Die* 5. *Aprilis*.

Idem Gerardus ratum habet omnia Inſtrumenta, quæ erant in bonum Cœnobij Iliceti, & totius Societatis. *Die* 18. *Maii*.

1435 18 Reu. Pater Magiſter Fr. Auguſtinus de Balneo Regio, à Generali Gerardo Vicarius omnium obſeruantium in Italia dicitur.

1435 19 Reu. Pater Fr. Deſiderius Pedemontanus. Ex mandato Summi Pontificis deſignatur Vicarius Generalis omnium obſeruantiarum. *Die* 15. *Februarii*.

1438 20 B. Pater Fr. Petrus Nicolai de Scitonio Concionator eximius.

Subrogatur hic à Generali Gerardo de Arimino, in Capitulo primo ritè Congregato Iliceti. *Die* 23. *Iulii*.

In quo Capitulo primo congregato, idem Generalis, hæc quæ ſequuntur obſeruanda ſtatuit.

Vt Congregatio Ilicetana, ſe valeat bene regere, ita ait, vult à Patribus eligi in poſterum ſibi Vicarium Generalem ad duos annos duraturum, & ſic electo opportunas facultates pro tali munere obeundo tribuit.

Item quod expleto biennio Menſe Maij Iliceti Vicarius Generalis congreget Capitulum pro nouo ſucceſſore eligendo, ſub vno Præſidente per eoſdem Ilicetanos nominando.

Item illum, qui fuerit electus in Vicarium Generalem non poſſe iterum eligi, niſi poſt quartum annum incluſiuè.

Quod Vicarius Generalis toties quoties opus fuerit poſſit deſtinare Priores in omnibus Monaſterijs Societatis præterquam in Cœnobio Ilicetano, cuius electionem Prioris vult pertinere ad fratres dicti Monaſterij.

Priorem ſic electum non poſſe eſſe ſimul Priorem alterius loci.

Deinceps Priorem Iliceti, non poſſe eodem tempore eſſe Vicarium Societatis.

In iſtis electionibus habere tantùm vocem illum, qui fuerit in ſacris conſtitutus: in cæteris verò electionibus etiam Laycos mandat. *Die* 23. *Iulii*.

1439 Idem Generalis Gerardus immunem declarat Congregationem à ſolutione Collectarum quocunq; modo imponendarum pro Prouincia Senenſi, & in eius gratiam, & non teneri ire ad Capitulum Prouinciale eiuſdem Prouinciæ. *Die* 24. *Maii*.

Inſuper prædictus Generalis per alias litteras Patentes vult Vicarium Generalem poſſe volentibus facultatem dare diſcedendi à Societate, & ad aliam obſeruantiam tranſire.

Item neminem ex Superioribus Religionis, ſub grauioribus pœnis poſſe recipere aliquem ex Fratribus Congregationis, niſi habeat facultatem Vicarij Generalis prædictæ Congregationis.

Illum

Illum, qui recesserit à Societate sine prædicta facultate non posse recipi in Monasterijs Congregationis nisi per vnum diem naturalem, nec per sex milliaria possit permanere prope aliquod Cœnobium eiusdem Congregationis, & non posse recipi conuentualiter in Congregatione absq; licentia totius Congreg. & Prioris Gener. imposita pœna Carceris per sex menses secus facientibus.

Aliaq; multa disponit idem Generalis pro bono Regimine Congregationis. *Die* 22. *Septembris*.

Hęc omnia impetrata fuere à solerti diligentia Religiosorum, ac prudentissimorum hominum Hieronymi de Bonsignoris, & Bartholomæi de Ptolemæis.

Eugenius Papa IIII. inter alia confirmat immunitatem Congregationi nostræ de non soluendo Collectas, imponendas pro Prouincia Senensi, factam à Gerardo generali. *Die* 27. *Decembris*.

1440 21 Reu. Pater Magister Fr. Hieronymus Nicolai Bartholini de Bonsignoris Senensis. *Die* 1. *Maii*.

Hic fuit primus Vicarius Generalis electus à Patribus Vocalibus capitulariter congregatis Iliceti.

Gerardus Ariminensis Generalis Ordinis, mandat in meritum salutaris obedientiæ, & sub pœna excomunicationis omnibus superioribus Religionis, vt non recipiant sub quo vis colore, aut prætextu aliquem ex Fratibus Congregationis Iliceti absq; licentia in scriptis Vicarij Generalis eiusdem Congregationis, & si quo vis modo receperint teneantur infra triduum reddere sub eisdem pœnis. *Die* 7. *Iunii*.

1442 22 Reu. Pater Fr. Franciscus de Asciano.

Renuit hic acceptare Officium, & sponte renunciat.

1442 23 Reu. Pater Fr. Bartolomæus Vrbani de Ptolemæis senensis.

Sufficitur Vic. generalis per litteras Gerardi, secuta supra dicta renunciatione. Franciſci de Asciano.

Gerardus Generalis confirmat multas diffinitiones factas in primo Capitulo Generali rite celebrato Iliceti, & sunt quæ sequuntur.

Omnes Fratres cuiuscunq; gradus, conditionis, & Societatis, qui voluerint recipi in nostra Congregatione per quatuor Annos careant voce activa, & passiua.

Item Ilicetanam Societatem non posse vnionem contrahere cum aliqua alia Societate, nisi ex quatuor partibus Capituli, partes tres assensum præbuerint.

Vicarium Generalem Societatis posse simul, & semel esse Vicarium Generalem, & Priorem Iliceti, & Vicarium Generalem durare per tres annos.

Authoritatem Patris Præsidentis Capituli non perfistere nisi per tres dies. *Die* 16. *Mensis Aprilis*.

Eugenius IIII. Petentibus Bartholomæo Ptolemæo, & Hieronymo Bonsignorio Ilicetanis, liberat Congregationem nostram ab omnibus, & singulis Impositionibus subsidijs, etiam ex charitate, alijsq; oneribus, & exactionibus, ac contributionibus, quibuscumq; nominibus nuncupentur per Generalē Priorem Ordinis pro tempore existentem, etiam de ipsius Ordinis Generalis Capituli consensu impositis vel imponendis, excepta duntaxat tata soluenda pro subsidio dicti P. Generalis. *Die* 6. *Septembris*.

Idem Sum. Pont. Eugenius fel. rec. confirmat exemptionem Congregationi factam à nonnullis generalibus Ordinis à iurisdictione PP Prouincialium Senarum, & etiam omnes alias gratias, ac Priuilegia eidem Congregationi impertita.

Item singulis Triennis, vel quando videbitur opportunum, posse Patres Ilicetanos Congregare Capitulum Generale pro Congregatione, in quo Capitulo

præterea eligere valeant Præſidentem per tres dies duraturum, ſub quo eiſdē Patribus liceat eligere Vicarium Generalem, pro tota Congregatione dummodo ſit vnus ex ipſis, & ita electus ſtatim intelligatur confirmatus.

Vicarium Generalem ſic electum, & confirmatum eandem prorſus ac ſimilem iuriſdictionem, & poteſtatem habeat in omnes & ſingulos Fratres Societatis quam Generalis Prior Ordinis pro tempore exiſtens in illos habet, & exercere poteſt.

Electionis Prioris Iliceti faciendæ per Patres eiuſdem Cœnobij confirmationem pertinere ad Vicarium Generalem, qui etiam poteſt eligi per Annum in Priorem dictæ Domus Iliceti abſq; alia confirmatione.

In Capitulo Congregati Ilicetani Patres poſſunt condere Decreta, & diffinitiones, dummodo tamen Regulæ, & Conſtitutionibus, ac Sacris Canonibus non obſtent.

Vicarius Generalis ſimul cum Viſitatoribus poteſt diſpenſare ſuper ſtatutis, ordinationibus, nec non conceſſionibus, gratijs, & indultis, etiam per Sanctam Sedem confirmatis.

Poteſt Vicarius Generalis, quoties abeſſe contigerit vnum, duos, vel plures Vicarios, cum facultate, de qua ſibi videbitur inſtituere.

Prior Generalis pro tempore nullum Fratrem à Societate remouere poteſt, nec aliquem cuiuſcunq; gradus ad ipſam Societatē transferre, & mittere valeat abſque Vicarij, & maioris partis Societatis conſenſu, etiam ſi adſit rationabilis cauſa.

Idem Prior Generalis, ſimul cum vno ex Viſitatoribus Societatis, quoties ei placuerit, poteſt Societatem viſitare, & delinquentes, ſi inuenerit, punire.

Omnes gratias, & Priuilegia Congregationi Ilicetanæ conceſſa extendit ad omnes alias Congregationes, quibus eidem pro tempore aggregari contigerit.

Irritat litteras Apoſtolicas Congregationi Ilicetanæ conceſſas, ſi in ipſa Congregatione ceſſauerit obſeruantia. *Die 6. Septembris.*

De mandato ſpeciali eiuſdem ſūmi Pontificis Eugenij, Nicolaus Bartholus Epiſcopus Senarum notum facit omnibus mundi Potentatibus, gratias, immunitates, Priuilegia conceſſa Congregationi Ilicetanæ, implorando eorum Brachium, pro conſeruatione, & manutentione, excomunicando contra faciētes, impedientes &c. *Die 16. Septembris.*

Idem sum. Pontifex Eugenius per aliam Bullam declarat antecedentem, & addit Vicarium Generalem Congregationis per ſeipſum poſſe diſpenſare ſuper pœnitentijs ex quacumq; cauſa, etiam per receſſum ab ipſa ſocietate.

Per hanc eamdem Bullam Patres Ilicetani poſſunt ſibi aggregare abſq; alia facultate Generalis Prioris, & Capituli etiam Generalis, alias Congregationes.

Prior Generalis pro tempore, & Capitulum Generale Ordinis non poteſt transferre, nec mittere Fratres, etiam rationabili Cauſa de ipſa, ad ipſam ſocietatem, abſq; conſenſu Vicarij Generalis, & maioris partis Fratrū Societat.

Idem Prior Generalis non poteſt punire Fratres Societatis extra Domos ipſius ſocietatis quantumcumq; culpabiles, & criminoſi exiſtant.

Item non poteſt Prior Generalis extra dictam Societatem aliquem ex Fratribus ad dignitates, & honores, adminiſtrationes, & officia aſſumere abſq; conſenſu in ſcriptis Vicarij Generalis, & Diffinitorum, aut Capituli ſocietatis

Fratres eiuſdem ſocietatis, & alios, quibus ipſis vniri contigerit, gaudere poſſe, omnibus, & ſingulis exemptionibus, Priuilegijs, guatijs & Indultis in ſpecie, vel in genere conceſſis Congregationi per Priorem Generalem Ordinis.

Bona tranſeuntium ad ſocietatem, ad ipſam pertinere pleno iure mandat.

Irritantur hæc Priuilegia, ſi in Congregat. ceſſauerit obſeruantia. *Die 27. Nou.*

52 Actum fuit à Patribus Diffinitorij noſtræ Congregationis de vnione cum alia Congregatione nempe Montis Ortonis, viuente eiuſdem Congregationis Fundatore B. Simeone de Camerino, & nil determinatum fuit ob diſtantiam Monaſteriorum dictæ Congregationis à noſtris.

Præſtantiſſimus Magiſter Gerardus Ariminenſis Generalis Ordinis, Doctor Theologus ſcientia, pietate, ac Religione inſignis, ab aliquibus etiam Cardinalis dictus, poſtquàm sanctè vixit, ſanctèq; quieuit, Auguſtinianum ordinem, noſtræ Congregat. fundamento ſtabilito, adauxit, de eadem optimè meritus ſanctam (ita ait Herrera) efflauit animã. *Die* 27. *Decẽb.*

1445 24 Beatus Pater Fr. Petrus de Scitonio, qui ſupra.

Eugenius Pontifex, de quo ſupra, conceſſit omnibus Ilicetanis, vt poſſint ſibi in articulo mortis eligere confeſſarium idoneum, à quo valeant accipere plenariam remiſſionem, & indulgentiam ſuorum peccatorum; qui quidẽ Confeſſarius, poſſit etiam commutare diem ieiunij in aliam diem.

Item Fratres ex Ilicetana Congregatione poſſe accipere vſq; ad ſummam ducentorum florenorum ab ijs, qui confeſſi ſunt teneri ad reſtitutionem, & dicta ſumma denariorum poſſe vti pro emptione librorum ad vſum concionatorum, & ad alia pia opera.

Petierunt, & obtinuerunt Matthæus de Lucignano, & Ioannes Hierónymus de Senis.

1447 25 Beatus Pater Fr. Petrus de Scitonio, qui ſupra, iterum eligitur.

1449 26 Reuer. Pater Fr. Bartholomæus de Ptolemæis, qui ſupra.

Capitulum Omnium Obſeruantiarum Italiæ celebratur à Ioanne de Salem Generali in Monaſterio Montis Speculi, Diœceſis Senenſis, pro inſtituẽdo modo regiminis prædictarum Obſeruantiarum. *Die* 10. *Maii*.

In quo Capitulo efficitur Vicarius Generalis à Reuerendiſs. Priore Generali Iuliano de Salem, habito verbo cum Sanctiſſimo omnium Obſeruantiarum Italiæ Bartholomæus, qui ſupra. *Die* 7. *Iunii*.

Huic Capitulo interfuit Beatus Petrus de Scitonio teſte P. Herrera PP. pag. 385. & 2. p. pag. 247. & 381.

1450 Nicolaus Papa V. confirmat Breue Eugenij IV. Congregationi noſtræ datum de non ſoluendis Collectis, vt dictũ eſt ſupra ſub. Ann. 1443. Die 6. Septemb. *Die* 20. *Martii*.

Sub iſto Vicario Generali de Ptolemæis acquiritur poſſeſſio Monaſterij S. Annæ extra Pratum, annuente Magiſtro Franciſco Florentino, in quo Monaſterio idem met Franciſcus declaratur Prior. *Die* 8. *Menſis Maii*.

Frater Ambroſius Onuphrij Sen. Ilicetanus promouetur ad Prioratum Cœnobij S. Martini Senarum, erat tunc temporis commendatum Cœnobium Martinianum, & Prior vtebatur Mitria, Annulo, Baculo, & exomide, quam dicunt vulgo Mozzettam more Prælatorum, ex *Indulto Pij II.*

1451 27 Beatus Pater Fr. Petrus de Scitonio, qui ſupra.

Hic etiam fuit Vicarius Generalis Omnium Cœnobiorum Obſeruantiæ Piſarũ, quod munus quamuis reluctans tandem exercuit.

1453 28 Beatus Pater Fr. Petrus de Scitonio qui ſupra, denuo eligitur.

Recuſat onus, & ſubrogatur Prior Monaſterij SS. Trinitatis, & S. Ioannis ad Rupes Laterini prope mœnia Ciuitatis.

1453 29 Magiſter Pater Fr. Hieronymus de Bonſignoris, qui ſupra.

1458 30 Reuer. Pater Fr. Bartholomæus de Ptolemæis, qui ſupra.

1460 31 Beatus Pater Fr. Antonius Petri de Montecchio.

1462 32 Beatus Pater Fr. Petrus de Scitonio, qui ſupra.

Erat etiam hic tunc temporis Vicarius Generalis omnium Monaſteriorum Obſeruantiarum

ſeruantiarum in Tuſcia à Generali Ord. conſtitutus;

1464 Pius II. Sum. Pont. immunes declarat Ilicetanos à ſolutione Collectarũ quo vis modo imponendarum, Corroborando ſpecialiter Priuilegium Eugenij IV. ſuper hac re vulgatũ die 6. Septemb. An. 1447. (vt dictum eſt ſupra) Id quod concedit, & confirmat Pius in ampliſſima forma. *Die* 19. *Aprilis*.

1465 33 Beatus Pater Fr. Antonius de Montecchio, qui ſupra.

1466 34 Magiſter Pater Hieronymus Bonſignorius pronunciatus fuit in Priorem S. Mariæ de Populo in Vrbe à Guilelmo Bechio Florentino Priore Generali Ordinis. *Die* 17. *Aprilis*.

1467 35 Magiſter Pater Fr. Antimus à Monte Ilcinio.

Eodem tempore hic fuit electus Prouincialis Senarum, ideo munus Vicariatus deponit, & deputatur.

1467 36 Beatus Pater Fr. Antonius de Montecchio, qui ſupra.

1468 Paulus II. concedit Viſitantibus noſtras Eccleſias Dominica tertia poſt Paſcha Reſurrectionis, in qua celebratur Capitulum, ſeptem Annos, & totidem quadragenas. *Die* 26. *Auguſti*.

1469 37 Beatus Pater Fr. Petrus de Scitonio, qui ſupra.

Paulus Papa II. qui ſupra declarat Generalem Ordinis ſuper Congregationes habere ſupremam prælaturam, & Congregationes omnes eſſe immediatè ſub Prioris Generalis poteſtate.

Non poſſunt Fratres Congregationum præoccupare, nec perturbare locum aliquem, nempe Monaſterium Prouinciarum, & è contra, Prouinciales Monaſteria Congregationum.

Superiores Prouinciarum non poſſunt recipere Fratres Congregationum vltrà triduum, & vice verſa Prælati Congregationum debent remittere Fratres, qui ad eos peruenerint, ad ſuos Superiores, ſub pœna excomunicationis Summo Pontifici reſeruata.

Multa ſtatuit contra Fratres ſcandaloſos, & fugitiuos præcipuè.

Vt ſuperiores, illos Fratres, qui circa eorum Monaſteria deliquerint comprehendi iubeant, & in Carceribus includi, etiam ſi delinquens non ſit de Corpore Congregationis, aut Prouinciæ, & illos corrigere, & punire valeãt, non minus, quàm ſi de dicta Congregatione exiſterent.

Vt Fratres tam Conuentuales, quàm de Obſeruantia, ne quis eorum nomine alterius, poſſit ſtipem emendicare.

Fratres Congregationis debent ſoluere collectas pro Monaſterijs, quæ iam fuerant Prouinciarum.

Patres Congregationis de conſenſu Capituli poſſunt in quacumque Ciuitate, ſeu alio loco, etiam ſi ibi Cœnobium Fratrum, & Patrum Conuentualium exiſtat, nouas domos accipere, & ædificare.

Pro obſeruantia prædictorum, imponit contrarium attentantibus pœnam excomunicationis, à qua non valeant delinquẽtes abſolui, niſi à Romano Pontifice. *Die* 5. *Ianuarii*.

1470 38 Beatus Pater Fr. Petrus de Scitonio, qui ſupra. *Die* 17. *Iunii*.

Denuo eligitur durante eius vita, & declaratur Baccalaureus Sacræ Theologiæ cum facultate etiam, vt quotieſcumque voluerit poſſit Magiſtrari, ideſt lauream ſumere Doctoratus, at ipſe tanto muneri renunciauit, & ad inſtantiã Dominorum Cardinalium Senenſis, & Papienſis, acceptat tantùm Prioratũ S. Mariæ de Monte Specchio.

Paulus Papa II. vult Fratres Congregationis poſſe Laycis tradere mantellum Religionis quo induti, gaudeant omnibus, & ſingulis Priuilegijs tam Spiritualibus, quàm temporalibus toto Ordini conceſſis. *Die* 31. *Auguſti*.

Beatus

1471 39 Reuer. Pater Fr. Antonius Romanus.

1472 Iacobus de Aquila Prior Generalis Dominis dat Vicario Generali Congregat. noſtræ multas facultates, præcipuè, vt poſſit recipere omnes Patres, ac Fratres Conuentuales, & ex prouincijs ad ſe venientes. *Die* 11. *Auguſti*.

Sixtus Papa IV. concedit Indulgentiam Plenariam, in forma conſueta, & remiſſionem omnium peccatorum cunctis vtriuſq; ſexus viſitantibus Eccleſias noſtræ Congregationis in feſtiuitatibus B. Mariæ Virginis, nempe Natiuitatis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis, & Aſſumptionis. *Die* 8. *Septēb.*

Idem Summus Pontifex declarat prædictas Indulgētias in perpetuum valituras.

Idem concedit Prioribus noſtrarum Eccleſiarum, vt poſſint conſtituere ſex Patres Confeſſarios approbatos, cū facultate abſoluendi fideles, eadem authoritate, quam habent Pœnitentiarij Minores S. Petri de Vrbe. *Die* 12. *Octob.*

Idem Summus Pont. denuo confirmat Indulgentiam Plenariam perpetuam in Feſtiuitatibus B. Mariæ Virginis conceſſam, communicando dictam Indulgētiam cunctis Monaſterijs Congregationis, cum omnibus Priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indultis, & gratijs, per ſanctam Sedem Apoſtolicam hactenus vel vni eorum conceſſis.

Idem vult Priorem generalem non poſſe à Locis Congregationis ſine licentia Vicarij Generalis, & Capituli remouere aliquem Fratrem, vel ad eorum loca alios mittere.

Fratres à Congregatione recedentes ſine licentia Vicarij Generalis, & Capituli excommunicantur, ſimiliter, & eos recipientes, etiamſi facultatem obtinuerint à Priore Generali. *Die* 23. *Decembris*.

Idem Sum. Pontifi. Sixtus IV. Omnibus noſtrę Congregat. Fratribus, tam Profeſſis, quam Nouitijs, & Commiſſis ac Sanctimonialibus Viſitantibus tria altaria à Prioribus locorum deputanda, dicendo quinque *Pater noſter*, & totidem *Aue Maria*, cum Oroñe, *Deus omnium fidelium Paſtor* &c. eamdem concedit Indulgentiam, ac ſi interfuiſſent Romanis ſtationibus. Et vbi tot Altaria non ſunt, ſufficiat ter dicentibus dictas Orationes coram vno Altari, durat tantum iſta Indulgentia tempore Quadrageſimali.

Idem Pontifex concedit noſtris Conuerſis poſſe nudis manibus tangere Vaſa ſacra, quandiu fuerint deputati ſeruitio Sacriſtiæ.

1473 40 Reuerendus Pater Fr. Gregorius Senenſis.

1475 41 Magiſter Pater Fr. Hieronymus de Bonſignoris Seuenſis.

Magiſter Pater Fr. Benedictus à Sancto Geminiano, in Libro ſignato A. Almi Collegij *PP.* Theologorum Senenſium circa hæc tempora inuenitur incorporatus inter eosdem Patres Collegij.

Sixtus Papa IV. mandat non poſſe ædificari Monaſteria apud aliquod Collegium noſtræ Congregationis, vſq; ad quindecim milliaria, aliorum Fratrum necetiā noſtri Ord. abſq; Vicarij Gener. & *PP.* Viſitat. licentia. *Die* 18. *Ian*

1476 Idem Sum. Pontifex anathematizat retinentes, ſiue occultantes Priuilegia Cōgregationis Iliceti. *Die* 18. *Februarii*.

Ambroſius Maſſarius Coranus Generalis Ordinis de conſenſu Patrum Congregationis mandat Capitulum (degebat idem Ambroſius tunc temporis Iliceti) prædictæ Congregationis celebrari de biennio in biennium, non obſtante indulto ſupracitato Eugenij Papæ IV.

Item illum eſſe Preſidentem in Capitulis celebrandis, qui in ſuperiori Capitulo antiquior extitit Diffinitorum, ſi aliter per litteras Reuerendiſſimi Patris Generalis non fuerit prouiſum.

Confirmationem omnium Actorum in Capitulis geſtorum, ad Priorem Generalem Ordinis pro tempore ſpectare.

Eccle-

Eccleſiam, & Chorum intraturos dicere debere Fratres genibus flexis ante Altare Maius *Adoramus te Chriſte, et benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemiſti mundum.*

Aliaq; multa ſtatuit Ambroſius quoad mores attinentia. *Die* 16. *Nouemb.* Ilicetani recuſant per litteras acceptare Monaſterium Mõtis Falconis in Vmbria.

1477 Sixtus Papa *IV.* concedit Vicarium Generalem Congregationis, & Viſitatores poſſe in melius commutare, & locare, etiam in Emphiteuſim perpetuam, dũmodo euidens vtilitas conſpiciatur, bona ſtabilia, & extenditur ad Monaſteria Monialium degentium ſub Cura præfati Vicarij Generalis non obſtante conſtitutione *Pauli Papæ II. Die* 12. *Februarii.*

1479 42 Magiſter Pater Fr. Hieronymus de Bonſignoris Senenſis, qui ſupra.

1480 Hic declaratus fuit in Vicarium Cœnobij S. Auguſtini Senarum, ſed renuit munus acceptare.

1481 43 Beatus Pater Fr. Anſelmus Lolli de Mandextris à Monteſalco in Vmbria; ſub iſto, Ambroſius Coranus Generalis Ordinis ad inſtantiſſimas preces Domini Cardinalis Senarũ, & Epiſcopi Volaterani, nec non totius Comunitatis Inſignis Oppidi S. Geminiani præcipit, vt ipſe Anſelmus, vnà cum Priore Ilicetĩ capiant corporalem poſſeſſionem Monaſterij S. Auguſtini dicti Oppidi, in litteris hæc verba expreſsa habentur: *Vt ibidem obſeruantia introduceretur, etiam Vicario Veſtro per alias noſtras in mandatis dederimus, vt non nihil hinc vſque factum ſit, ſicut accepimus milleq; eis videantur anni, vt felix die illa veniat, in qua Conuentus ille per vos ad regularem vitam reducatur etc. Die* 20. *Iulii.*

1483 44 Magiſter Pater Fr. Marianus à Gennazzano.

Sixtus Papa *IV.* poſſeſſionem captam à Patribus Ilicetanis Monaſterij S. Auguſtini de S. Geminiano confirmat *Die* 20. *Martii.*

Ambroſius Coranus Generalis Ordin. Ilicetanæ noſtræ Congregationi condonat Monaſterium Sancti Antonij Abbatis ad Lacus Ambroſianos, ſiue de Lacu Viridi, aut de Nemore, aut ad Cõfines, cum ſitum ſit inter Ciuitatem Collenſem, & Senenſem iuxtà earum Ciuitatum confinia, mãdando Vicario Generali ſub pœna rebellionis, excommunicationis vt ſtatim capiat corporalem poſſeſſionem prædicti loci: *Die* 8. *Nouembris.*

Item Pontifex, qui ſupra confirmat non poſſe ædificari Monaſteria apud illa, noſtræ Congregationis ad 15. milliaria.

Fratres Congregationis poſſe acquirere bona in omni loco. Moleſtantes loca noſtræ Congregationis ipſo facto excommunicat. *Die* 1. *Decembris.*

Ideo ad Lacus Ambroſianos, ſiue de Lacu Viridi, tum quia ibi accidit illud mirabile factum D. Ambroſij Antiſtitis Mediolanenſis, qui ad Limina Apoſtolorum pergens de more, inde tranſiens hoſpitioque receptus, aiente, & affirmante hoſpite, ſe numquam quid mali expertum fuiſſe, pronunciatis iſtis verbis ab Antiſtite, Ergo hæc non eſt Domus Dei, recedamus, ad ſuos conuerſus, ſtatim amoto pede, terra deglutiuit Domum hoſpitis, hoſpitum familiam, & cuncta bona eius, ibique ſurgens, vbi erat Domus, Lacus Aquæ Viridis hortibus etiam in præſentiarum viſu, non obſtante quid dicãt aliqui hoc accidiſſe per D. Cerbonem Epiſcopum Maſſanum.

Hoc Monaſterium fruitur multis Priuilegijs Apoſtolicis, præcipuè in protectione particulari S. Romanæ Eccleſiæ accipitur à ſummis Pontificibus Gregorio IX. & Honorio *III.*

Eiuſdem Monaſterij Alumnus fuit Guido à Stagia, quæ eſt Oppidum à dicto Monaſterio per miliarium diſtans, qui Guido ad regimen totius Religionis vocatur ſecundo loco poſt Vnionem generalem An. 1265. in Cœnobio S.

Mariæ

Mariæ de Populo in Vrbe, & sanctissimè rexit, & gubernauit Religionem, quam tandem reliquit è viuis sublatus An. 1270.

Ante Aram maiorem huius Ecclesiæ sub honorifico marmoreoq; Sepulchro conduntur Ossa sapientissimi Francisci de Senis Lectoris germani Gerardi.

1485 45 Beatus Pater Fr. Antonius de Montecchio, qui supra.

Innocentius *VIII.* confirmat omnes gratias, & cuncta Priuilegia cõcessa Congregationi ab Eugenio *IV.* *Die* 17. *Octobris*.

Acquiritur Cœnobium S. Mariæ, cuius Ecclesia erat Parœcialis sita ad Portam Sancti Galli Florentiæ ex munificenti dono DD. Consulum Artis sericæ opera & studio huius Prioris, præclari Verbi Dei Præconis. *Die* 5. *Ianuarii*.

Magister Pater Fr. Anselmus de Monte Falco, de quo supra ad Prælaturam totius Relig. euectus fuit, mortuo Syluestro de Balneoregio, & postea eligitur Senis Innocentij *VIII.* Anno secundo in Priorem Gener. *Die* 14. *Maii*.

Hic Generalis Mandextrus liberali manu tradidit Congregationi nostræ Cœnobium suæ Patriæ, nempe Montis Falconis.

1487 46 Magister Pater Fr. Marianus de Gennazzano pro secunda Vice.

Innocentius *VIII.* Papa communicat Priuilegia, Exemptiones, Immunitates, Libertates, Facultates, Indulgentias, Concessiones qualescumq; Congregationi Ilicetì, & Ordini, concessas Congregat. Galliæ Cisalpinæ de Obseruantia Augustinianæ cum Clausula alternatiua in posterum. Instantibus Mariano, qui supra, Vicario Generali Ilicetì, & Thadeo de Ipporegia Vicario Generali dictæ Congregationis de Lombardia.

Hæc, quæ sequuntur, addidit Gratijs, Priuilegijs Ilicetanorũ Innocentius *VIII.*

Vicarij, & Visitat. prædictarum Congreg. possunt benedicere corporalia, & paramenta quæcumq; Altariũ in Missarum, & Diuinorũ celebratione necessaria.

Fratres prædictarum Congregationum ante Auroram post Matutinum possunt Sacrum facere.

Sine licentia Capituli, vel Vicarij Gener. Cong. aliquem ex dictis duabus Congregationibus ad aliquam dignitatem extra ordinem minimè posse assumi.

Item neminem ex patribus posse se transferre ad alios Ordines, seu Religiones alias, etiam ad arctiores, sine facultate, & licentia Dictorum Vicariorum Generalium, sub pœna excommunicationis contrà recedentes, & recipiẽtes.

Dat Idem Pontifex auctoritatem Superioribus dictarum Congregationum absoluendi suos Subditos super irregularitate Diuinis se immiscendo contracta &c. *Die* 15. *Nouembris*.

1489 47 Reuer. Pater Fr. Ioannes Baptista à Castilione Aretino, siue Florentino.

Innocentius Papa *VIII.* confirmat incorporationem Ecclesiæ Parochialis sanctæ Mariæ ad Portam S. Galli de Florentia, eidemq; Ecclesiæ communicat omnes gratias, & cuncta Priuilegia Religioni, & Cõgregationi nostræ concessa. *Die* 8. *Septembris*.

Circa hæc tempora acquiritur Monasterium S. Bernardi de Maccione prope Florentiam.

Sancitum est in Capitulo generali Congregationis, inuiolabiliter seruandam esse Constitutionem factam, nempe fieri debere Commemorationem Sanctissimi Saluatoris in Vespere, & Matutino, ea die, quãdo fiunt cæteræ cõmemorationes, & hoc in omnibus locis Congregationis.

Innocentius *VIII.* qui supra Indulgentiam 7. Annorum concedit his, qui præsentes sunt Orationi Serotinæ in Choro faciendæ, siue alibi post Matut.

Item concedit, & confirmat omnes alias Indulgentias Prædecessorum suorum & præcipuè Sixti IV. concessas nostris Ecclesijs, adddendo Indulgentiam plenariam in festiuitate *Præsentationis* B. Mariæ Virginis.

Item

Item communicat omnia Priuilegia conceſſa quibuſuis Religioſis, etiam non mendicantibus.

Inſuper ſex Patres Confeſſarios deputandos à Prioribus media Quadrageſima, poſſe etiam deputari in omnibus diebus, in quibus conceditur Indulgentia cum facultate abſoluendi à quauis ſententia, & cenſura, exceſſu, ſiue delicto, etiam Sanctæ Sedi Apoſtolicæ reſeruato.

Præterea Indulgentiam Stationum tempore Quadrageſimali, conceſsã à Sixto IV. extendit ad Stationes totius Anni ter replicata Oratione vt ſupra taxata pro Prædicatoribus, Confeſſarijs, & emendicantibus, de mandato ſuperiorum, hæc munera exercentibus. *Die* 7. *Decembris*.

Hic Vicarius Generalis Io: Baptiſta de Arretio, ſponte renunciauit officium, & à Reuerendiſſimo Priore Generali Anſelmo per litteras deputatur quouſq; de alio per Capitulum debitè prouideretur.

1492 48 Beatus Pater Fr. Paraclitus à S. Angelo, de quo ſupra.

Per litteras Patentes, Anſelmi generalis. *Die* 10. *Septembris*.

Erat tunc temporis etiam *Prior Iliceti*.

1493 49 Reuer. Pater Fr. Thomas Galgani de Ghinuccis Senenſis.

Huic, alijsq; Patribus, præcipue Lactantio Piccolomineo prouinciam Patres Diffinitores demandant, & concedunt, vt poſſint agere de vnione cum Congregatione Lombardiæ de Obſeruantia noſtri Ordin. *Die* 28. *Aprilis*. Si placeret tamen Reipublicæ Senarum.

Eadem sacra Congregatio Lombardiæ libentiſſimè annuit, & per eam Marianus à Gennazzano Vicarius Generalis, & Thadæus de Iporegia *Prior* Romæ, & alij aſſenſum præbent in ampliſſima forma, vt in litteris Reg. 1. Cong. pag. 30. & 31. *Die* 20. *Maii*.

1494 50 Thomas Ghinuccius, qui ſupra, ex ſe renunciauit Officium, & ſubrogatur.

1494 51 Beatus Pater Fr. Paraclitus à ſancto Angelo, qui ſupra.

Denuo ſubrogatur, ſed renunciat.

1496 52 Reuerendus Pater Fr. Lactantius Iacobi de Piccolomineis Sen.

In Capitulo Præſid. Mariano Generali Vicario Apoſtolico. *Die* 14. *Decemb.*

Hoc anno Innocentius *VIII.* concedit Anſelmo Mandextrio generali, & ſucceſſoribus eius, facultatẽ abſoluendi ſubditos ſibi ab omnibus pœnis præterquam ab Irregularitate per homicidium voluntarium, & bigamiam contracta, & hæc facultas extenditur etiam ad Prouinciales, & Vicarios Generales aliarum Congregationum. *Die* 16. *Februarii*.

Idem Pontifex Innocentius *VIII.* viuæ vocis Oraculo confirmat omnes gratias, & priuilegia noſtræ Congregationi conceſſa præſertim, Vicarium Generalem Congregationis pro tempore, habere eamdem authoritatẽ in Monaſterijs, & locis ſibi ſubditis, tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus, quam habet Prior Generalis in toto Ordine.

Inſuper concedit tẽpore interdicti his, qui interſunt, noſtris Officijs, vt poſſint frui Indulgentijs ſtationum.

Item vult Fratres noſtræ Congregationis, non poſſe abſolui à Caſibus reſeruatis Superioribus, nec ab Apoſtolicis Pœnitentiarijs, ſeu Prælatis, aut Sedis Apoſtolicæ Legatis, nec poſſe impetrare licentiam conſitendi, nec valere promoueri ad beneficia aut dignitates abſq; licentia Superiorum Congregationis.

Marianus à Gennazzano Ilicetanus, Anſelmo itidem Ilicetano ſupradicto, ob grauem ſenectutem renunciante Generalatus Officium, eligitur Vicarius Generalis Apoſtolicus ab Alexandro VI. qui Poſtea Romæ in Comitijs Religionis præficitur *Prior* Generalis, vt dictum eſt ſupra in Serie *Priorum* ad hoc An.

Instante Mariano à Genazzano ab Ilicetano Generali, Alexander VI. perpetuò ascribit Sacrarij Pontificij Curam nostræ Religioni. *Die* 15. *Octobris*.

Hoc eodem Generali procurante Alexander VI. mandat depingi Imaginem D. *P.* Augustini cum caputio, siue cuculla.

Solumtur à Congregatione Ilicetana lib. 2. pro Canonizatione Beatæ Clarę à Montefalco.

Sub isto Generali Mariano reperiebantur in tota Religione triginta millia Religiosi *Professi*, non computatis Nouitijs, & bis mille Monasteria reformata, & tercenta Monasteria Monialium, Teste Baptista Alouisiano Rauennate.

Idem Pontifex Alexander *VI.* concedit Mariano à Genazzano instanti, Fratres nostræ Congregationis posse celebrare sub Officio Duplici festum S. Pauli primi Eremitæ, S. Guilelmi, S. Simpliciani, Translationis S. Monicæ, & Canonizationis S. Nicolai.

Sub isto Vicariatu perturbatur possessio Cœnobij S. Galli de Florentia, sed remanet pro Ilicetanis.

1499 53 Beatus *Pater* Fr. *Paraclitus* à S. Angelo, qui supra. *Die* 13. *Aprilis*.

Deperditur Monasterium ss. Trinitatis, & s. Ioannis ad Ripas Laterini Senarum, vt dictum est in Serie Priorum. pag. 30.

Virtute suprádicti Decreti Ambrosij Corarij, & Bullæ Sixti IV. de capienda possessione Monasterij S. Augustini de sancto Geminiano, eamdem possessionem solemniter, & communi Oppidanorum applausu capiunt Ilicetani. *Die* 23. *Augusti*.

Post initam possessionem prædicti Cœnobij, patiuntur Ilicetani Patres ibidē maximam perturbationem. Per aliquos enim seditione commota violēta manu eijciuntur è Cœnobio, sed ab Vniuersitate, & præsertim ab honorificis viris Hieronymo de Ridolphis, & Francisco de Lupis, in propriās domos receptis, ex Decreto publici Consilij termino duarum horarum punitis, in exiliumq; propulsis seditiosis honorificentiss. reponuntur.

Huius Monasterij Alumni fuere quamplurimi præclarissimi Viri, inter quos Augustinus Tinaccius Episcopus Narnienſis, qui naturæ cessit An. 1370. vt videre est in proprio Elogio instapositō. Pater Fr. Cathaldus Antonij Lapi Magister Biblicus elegantissimus ac Senensis Prouinciæ ob morum grauitatem, & prudentiam Rector assumptus Obijt 10. Iunij 1451. Magister Augustinus Antonij suis temporibus *Prædicator* clarus. Obijt 1483. Magister Dominicus de Strambis Doctor Parisiensis acutissimus, Domus prædictæ restaurator magnificus, Claustrum nouum, magna animi liberalitate, Vasa argentea, Calices, Crucemq; Aulica multa ad Ornatum Ecclesiæ, & Cœnobij construi curauit. Sacrum Altare Maius exexit, cuius Icon à Petro Pollaiolo depicta fuit mira arte, sicut & Chorus ab insigni Benotio. Obijt die 1. Decemb. 1491.

Magister Benedictus Francisci de Crudelis. Magister Bernardinus Ludouici de Ficatellis; Concionator acceptus. Magister Fr. Aurelius Augustini de Margattis, & alij quā plurimi Viri omni genere virtutū præstātiss.

Alexander VI. sum. Pont. confirmat incorporationem, & possessionem capram prædicti Monasterij S. Augustini petente Paraclito. *Die* 7. *Septēb.*

1500 Virtute Diplomatis eiusdem Alexandri VI. Ilicetani denuo ineunt possessionem dicti Cœnobij S. Augustini. *Die* 4. *Aprilis*.

1501 54 Reuer. Pater Fr. Lactantius Piccolomineus, qui supra. *Die* 25. *Aprilis*.

1502 Hic vigore litterarum præceptoriarum generalis Gratiani Fulginei, & Sanctissimi Domini Alexandri Papæ VI. accipit actualē possessionē illustrissimi

Monasterij

Monaſterij Sanctiſſimæ Trinitatis de Viterbio, vltimus Prior Conuentualis fuit Fr. Laurentius de Scarmilionibus Viterbienſis. Breue datur *Die 16. Iunii*. poſſeſſio capitur *Die 16. Iulii*.

Circa hæc tempora acquiruntur Cœnobia Lioniſſæ in Vmbria, & prope Volſinas, & in Inſula Marthæ in Lacu.

1503 55 Magiſter Pater Fr. Baſilius Ioannis de Monaldis Senen. eligitur tantùm pro vno anno *Die 30. Aprilis*.

Iulius Papa II. concedit Indulgentiam 100. dierum, & totidem Quarantenas viſitantibus Eccleſias noſtræ Congregationis in Feſtiuitatibus S. P. Auguſtini, S. Monicæ, & S. Nicolai de Tolentino.

In Capitulo Generali Cõgregationis celebrato hoc anno Iliceti incorporantur Congregationi Reuer. *P.* Magiſter Fr. AEgidius, & Magiſter Pater Fr. Roſadus, & alij Viterbienſes Patres. In actis Capit. pag.

Item receperunt, & incorporauerunt Reuer. P. Magiſtrum Auguſtinum Interamnatem, & Fr. Nicolaum de Francia, vtriuſq; ſuſceptio glorioſa. Reg. Congreg. pag. 8.

Qui Magiſter Pater Auguſtinus Interamnenſis Iliceti manens à Cardinali Protectore Romam vocatur ad peculiaria negocia Religionis peragenda, recedit tamen obtenta Venia à Vicario Generali.

Communitas Collenſis Vallis Elſæ mittit Credentiales Epiſtolas ad Patres Ilicetanos per Albertum Maſquola de Albertinis, rogando, vt eo mediante vellent Patres acceptare Monaſterium S. Auguſtini eiuſdem loci, ſed renuerunt Patres accipere beneuolentiæ ergo Religioſos ſui Ordinis. *Die 28. Octob.* Reg. 1. Congregationis Pag. 5.

1504 56 Reu. Pater Fr. Lactantius *Piccolomineus* Sen. qui ſupra. *Die 31. Aprilis*.

Dimittitur iaſtis de cauſis Monaſterium, quod poſſidebat Congregatio noſtra in Inſula Marthæ ad lacum Volſinorum.

Hic Vicarius Generalis liberam facultatem concedit Magiſtro AEgidio Viterbienſi, qui poſtea fuit Cardinalis, concionandi tempore Aduentus, & Quadrageſimę. Reg. Cong. 1. pag. 14.

1506 57 Beatus Pater Fr. Paraclitus à S. Angelo, qui ſupra. *Die 17. Aprilis*.

Sub iſto pro prima vice eligitur à Patribus Diffinitorij, *Procurator* Generalis pro tota Congregatione ad omnes lites, & cauſas, etiam in Curia Romana, & fuit electus.

Reuer. Fr. Baſilius Monaldus, qui ſupra.

Hic Vicarius per litteras Patẽtes concedit fratri Felici de Prato Iuueni ſtudioſiſsimo, vt accedere valeret ad ſtudium Patauinum, non tamen ſeparandi ſe, ſeu recedendi à Congregatione, ſed redeundi ad ſtatutum tempus ſui Superioris. *Die 8. Iunii*.

Hic fuit ille Felix, qui adeo feliciter multa ſcripſit, & dictauit, vt videbimus.

Circa hæc tempora Ilicetani acquirunt Hoſpitalem domum Sancti Sebaſtiani de Binis apud Florentiam.

1608 58 Reu. P. Fr. Seraphinus Danielis Angeli de Ferris à Caſtellina. *Die 21. Maii*.

Beatus Pater Fr. Paraclitus à S. Angelo Procurator Generalis.

Curæ huius Vicarij committitur Monaſterium S. Auguſtini de Senis.

Vocatur Seraphinus ab AEgidio *Generali* Romã ad grauiſſima negocia peragenda, erant enim AEgidius, & Seraphinus intimæ, ac veræ beneuolentiæ vinculo ligati.

1510 59 Magiſter Pater Fr. Baſilius de Monaldis, qui ſupra. *Die 14. Aprilis*.

Beatus Pater Fr. Paraclitus à ſancto Angelo Procurator Generalis.

Idem AEgidius Generalis quærit conſenſum à Vicario Generali Congrega-

tionis, & alijs Patribus, ad quos attinebat, vt celebraretur Capitulum Generale Viterbij; *Die 6. Octobris*.

Item hoc idem petit per aliam Epiſtolam idem Generalis. *Die 15. Octobris*.

Obtenta sententia celebratur Capitulum Generale Viterbij, in quo confirmatur AEgidius in munere Generalatus, manebat Cœnobium illud tunc temporis ſub ditione Congregationis. *Die 27. Maii*.

AEgidius Viterbienſis Ilicetanus concedit per litteras patentes huic Vicario Generali, & P. F. Seraphino Florentino Priori Iliceti, vt viderent, & corrigerent in melioremq; formam redigerent Conſtitutiones, & Sanctiones, ac Decreta Congregationis. *Die 14. Iunii*.

Iterum aſſumitur negocium Vnionis noſtræ Congregationis cum illa de Obſeruantia Lombardiæ, & Patres Diffinitores in Monaſterio ſancti Leonardi Congregati patentes litteras expediunt Fratri Seraphino de Ferris, & Paraclito à ſancto Angelo, quibus datur plena facultas opus perficiendi. *Die 27. Februarii*.

Cuncta in ampliſſima forma confirmat Vicarius Generalis Baſilius eadem die, vt Reg. pag. 32.

Quidquid determinatum fuerit circa hanc negociationem, neſcitur, nil aliud, præter ea, quæ dicta ſunt, inuenitur in noſtris monimentis.

1512 60 Beatus Pater Fr. Paraclitus Binus, qui ſupra. *Die 15. Aprilis*.

Reuer. Pater Fr. AEgidius a S. Geminiano Procurator Generalis

Edictum ſtatuit hic Vicarius iuſtiſſimum contra proprietarios. *Die 31. Auguſ.*

Decretum ſtatuitur in hoc Capitulo, per totam Congregationem celebrandũ eſſe feſtum Sanctiſſimæ & Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis cũ Octaua, ſicuti iam colebatur in Cœnobio s. Leonardi, promulgatur decretũ per litteras patentes P. Generalis. *Die 4. Nouembris*.

Item multa mãdauit pro bono Regimine Congregationis, & eadem die publicantur obſeruanda.

Curæ huius Integerrimi Patris, & Succeſſorum eius commendantur Moniales Venerabiles S. Mariæ Magdalenæ Senarũ, petente Pandulpho Petruccio.

Circa hæc tẽpora dirutum fuit Monaſterium Sanctæ Mariæ ad Portam Sancti Galli Florentiæ in vltima Obſidione illius Ciuitat. quod erat prope mœnia.

Diſceſſerunt etiam Ilicetani à Monaſterio ſancti Bernardi de Maccione iuxta Florentiam.

Recedunt etiam ſponte circa hæc tempora à Monaſterio Leoniſſæ, Montis Flaſconis, ſanctæ Luciæ in Valle Roſiæ, ſancti Bartholomęi de Aſciano atq; à Cœnobio ſancti Barnabæ apud ſanctam Floram.

Generalis AEgidius concedit, vt cum Præſidens Capituli Ilicetani fuerit electus in Vicarium Generalem Congregationis, talis electio intelligatur ualida. *Die 17. Decembris*.

1513 Idem Generalis confirmat, quod immediatè dictum eſt, atq; conceſſum. *Die 15. Martii*.

1514 61 Magiſter Pater Fr. Baſilius Monaldus Senenſis, qui ſupra. *Die 30. Aprilis*.

Reuer. Frater Aurelius à S. Geminiano Procurator Generalis.

Iſti Baſilius, & Aurelius obtinuerunt Indulgentiam etiam per totam Religionem pro his, qui interſunt Orationi Serotinę à Leone X. conceſſam

Extenditur hæc Indulgentia etiam ad Moniales, Mantellatas, Oblatos, & Centuratos, qua etiam gaudent occupati circa infirmos, & ipſi infirmi dicendo ſemel *Salue Regina*.

Albertus Vtinenſis Commiſſarius P. Generalis mandat huic Vicario Baſilio, vt cum Fratribus ſuis debeat diſcedere, ac relinquere Monaſteriũ ss. Trinitatis

nitatis

nitatis de Viterbio: at ipſe Vicarius irritum eſſe nullumq; præceptum reſpondet, & recurrit ad ſanctam ſedem Apoſtolicam. *Die 20. Aprilis.*

Communitas prædictæ Ciuitatis Viterbienſis in gratiam appellationis Epiſtolam grauiſſimam Generali AEgidio mandat.

Vnitur Congregat. ſodalitas Diuę Catharinæ Senen. quę de Charitate dicitur.

Burgheſius Petruccius Pandulphi Magnifici Senarum coryphei filius, ac ſucceſſor, Epiſtolas ad Capit. Gener. Cong. mittit, rogando, vt Pater Paraclitus de Binis inceptum munus regendi Moniales Monaſterij S. Mariæ Magdalenæ; iam à Pandulpho Patre ad hoc conſtitutus, proſequi, ne dedignaretur. *Die 24. Aprilis.*

Hoc idem humiliter, & inſtantiſſimè petunt per litteras publicas prędictæ Religioſiſſimæ Sanctimoniales. *Die 26. Aprilis.*

Acquieſcunt Patres petitionibus, addita conditione, vt quàm primùm prouideretur alius Gubernator. *Die 26. Maij.*

Publicantur nouæ Conſtitutiones Reformatæ ab anno 1508. Authoritate Pontificia; & Reuer. Pater Generalis per conſpicuos, ac doctiſſimos Viros Fratrem Seraphinum de Ferris Florentinum à Caſtellina, Lactantium Piccolomineum Senenſem; & Paraclitum Binum à ſancto Angelo, poſtmodũ reuiſæ ex Indulto Apoſtolico per Fratrem Baſilium, & prædictum Seraphinum, & poſtremò per Hieronymum Bonſignoriũ ſenenſem porrectæ & oblatæ cum aliquibus Annotationibus, & iterum per Mag. Auguſtinũ à Fiuizzano; & prænominatum Paraclitum à S. Angelo; Eliminatæ. *Die 21. Aug.*

Conceditur facultas in genere Magiſtro Patri Fr. Auguſtino de Fiuizzano Ilicetano, vt quotieſcumque contigerit vocari à Generalibus Ordinis, ſiue à Prouincialibus ad prædicandum, diſputandum, ſiue legendum, permanẽdi, ac ſtandi; ſimul etiam commorandi quocumq; in loco noſtræ Congregationis, quem ſuis ſtudijs, & conſequenter ſanitati ſibi ipſi videbitur opportunum; nec non eligendi idoneum ſacerdotem Congregationis, vel Ordinis, qui confeſſionem ſuorum peccatorum audiat quoties opus fuerit, & abſoluat. *Die 23. Auguſti.*

1516 Oblata fuit quædam Eccleſia S. Leonardi extra mœnia Ciuitatis Florentiæ. *Die 1. Aprilis.*

1516 62 Reuer. Pater Fr. Seraphinus Florentinus, qui ſupra. *Die 6. Aprilis.*

Pater Fr. Aurelius Geminianenſis Procurator Generalis.

Hic Seraphinus fuit etiam Reformator Generalis in Thuſcia; Prior monaſterij S. Auguſtini de Vrbe, Procurator in Curia Romana pro Collegio S. Mariæ apud Portam S. Galli de Florentia. Pręſedit etiam Cœnobio SS. Trinitatis, & præfuit (vt dictũ eſt) Collegio S. Auguſtini Senenſis tamquam reformator Generalis; Vir vtiq; maximæ exiſtimationis.

1517 Fuit cariſſimus; acceptiſſimuſq; AEgidio Cardinali; ſingularis familiaritas, eorum Animos vinctos tenebat; Epiſtolas grauiſſimas, quas AEgidius diuerſis Viris præclaris miſit, ſummo ſtudio collegit, redegitq; in libros Octo, quarum litterarum maior pars Seraphino mittitur; precipuè videnda eſt octaua primo libro, in qua planè confitetur, ſe dignitatem Cardinalatus accepiſſe, comite Seraphino cooperante, cumq; Romã petentem deſiderat. *Die 28. Iulii.*

Reperiuntur iſti libri octo Epiſtolarum Egidij, per Seraphinum collectarum, (equidem digni viſu) in Bibliotheca Angelica de Vrbe inter Manuſcripta.

Seraphinus ab AEgidio Generali; nondum enim, & ſi ad apicem Cardinalatus euectus, onus Generalatus depoſuerat, mittitur reformator monaſterij ſancti Auguſtini de Prato, cum facultate omnimoda ſubſtituendi

ibidem

ibidem Priorem de corpore Congregationis. *Die 6. Octobris;*

1518 63 Reuer. Pater Fr. Hieronymus de Bonſignoris huius nominis, & cognominis ſecundus ſen. *Die 18. Aprilis.*

Pater Fr. Victorius à s. Geminiano Procurator Generalis.

Homines Communitatis Volſinij offerunt Patribus Diffinitorij noſtræ Congregationis in gratiam F. Victorij Prioris ss. Trinitatis Viterbienſis locum s. Mariæ de Lilio. *Die 5. Maii.*

1519 Deſeritur ſponte Monaſterium ss. Trinitatis Viterbienſe. *Die 15. Nouembri.*

Etiam & Montis Flaſconis.

1520 64 Magiſter Pater Fr. Baſilius de Monaldis ſenen. qui ſupra. *Die 22. Aprilis.*

Erat Baſilius Præſes Capituli tamquam primus Diffinitor Capit. pręteriri.

Pater Fr. Gabriel de Humidis Senenſis Procurator Generalis.

Hunc Procuratorem Generalem, & Patrem Fr. Gregorium Senenſem Cœnobij s. Antonij de Nemore mittit iſte Vicarius Romam, ad peragendum negocium pro acquiſitione Loci s. Martini Senar. *Die 14. Iulii.*

1522 65 Reuer. Pater. Fr. Bernardus de Monaldis. *Die 4. Maii.*

Pater Fr. Gabriel de Humidis Sen. Procurator Generalis.

Ad inſtantiſſimas preces Reuerendarum Monialium ſanctę Mariæ Magdalenę concedit iſte Vicarius in Rectorem Reuerendum Patrem Baſilium Vicariũ Generalem ſupradictum. *Die 8. Maii.*

Ab inſigni Oppidi s. Miniati, quod Poſtea perilluſtris Ciuitas effecta eſt, communitate, requiruntur Ilicetani Patres, vt non dedignarētur accipere, quamdam Locellum (ita in litteris) penè ipſam Ciuitatem, & ad peragendum, deputatur in Procur. Fr. Nicolaus de Stephanis eiuſdē loci. *Die 12. Iul.*

Frater. Hieronymus Cortonus Vicarius generalis Prouinciæ ſenarum, & Piſarum Ord. S. P. Auguſtini, Huic Vicario commendatum habet Fratrem Angelum Volaterranum, virtutibus, & bonis moribus ardētiſſimè incumbere cupientem, ad hoc vt in Congregatione recipiatur. *Die 7. Septemb.*

Magiſter Pater Baſilius, qui ſupra, declaratur Prefectus ſuper negocio iam peracto pro acquiſitione, ac ſecuritate poſſeſſionis capiendæ Loci ſancti Martini Senarum *Die 14. ſeptembris.*

Promptè acceptatur, & ſub Diſciplina Reu. Patris Magiſtri Auguſtini Pedemontani aſſignatur Iliceto. *Die 29. ſeptembris.*

Sacræ Theologię Lector Felix Pratenſis genere Hebręus à Gabriele Veneto Generali Ord. ad Adrianum VI. sum. Pontificem in Hiſpania commorantem mittitur, vt Gabrielis, & Ordinis negocia grauiſſima cum Pontifice obiret.

Felix Pratenſis à Generali Magiſter Theolog. creatur authoritate Pontificia;

Sub iſto Vicario Bernardo vnitum fuit Congregationi Monaſterium Sancti Martini Senarum, tradente D. Alberto de Bertinis, diſponente Fratre Hieronymo II. Bonſignorio, qui ſupra.

Adrianus 6. hanc incorporationem validam, & ratam habet ſuo Diplomate. *Die 2. Februraii.*

1529 66 Reu. Pater Fr. Gregorius Simonis Antonij de Senſarijs Senenſis. *Die 11. Apr.*

Erat Præſes Capituli, in quo fuit electus.

Pater Fr. Gabriel de Humidis ſen. Procurator Generalis.

Determinarunt Patres Diffinitorij per Decretum relinquendam eſſe curam Monaſterij Monialium S. Mariæ Magdalenæ, & caſu quo aliter iudicaret Reuediſſ. Generalis, multa ſtatuunt pro bono regimine prædicti Monaſt. *Die 18. Aprilis.*

Gabriel Generalis Ord. minimè aſſenſum præbet, quoad deſerendam Curam

Mona-

Monaſterij S. Mariæ Magdalenæ, mandat bene decreta edita pro Reformatione Monaſterij, proponenda eſſe publicè cunctis monialibus habentibus vocem in Capitulo, & ſi ab eis eſſent recepta, & approbata, publicãda eſſe. *Die 7. Maii.*

Prædictæ Moniales de conſenſu Dom. Fabij de Petrucciis, & Dom. Firmani de Bichis, & multorum de conſanguineis, eaſdem Diffinitiones, capitulariter congregatæ approbarunt, & receperunt, & publicis ſubſcriptionibus denuo ſe Curæ Ilicetanorum ſubdiderunt. *Die 30. Maii.*

Confirmantur per P. Generalem Decreta quoad moderationem prædicti Monaſterij S. Mariæ Magdalenæ. *Die 11. Iunii.*

Denuo confirmat eadẽ Decreta P. Generalis, & ad inſtantiſſimas preces prædictarum Reuerendarum Monialium declarat, & mandat curam, & gubernium earum attinere ad Vicarium generalem Congregationis pro tẽpore. *Die 11. Iunii.*

Idem Generalis denuo ſtatuit ſub cura Ilicetanorum prædictas Moniales. *Die 12. Nouembris.*

Item hoc idem mandat, & vult. *Die 23. Nouembris.*

Magiſter Pater Antonius Zerra Tantuccius Senen. Ilicet. ſacri Collegij Theologorum Senenſium Decanus acclamatus, Fratrem Ioannem Germanum Heidebergẽſem Auguſtinianum, ſacra Laurea Doctoratus ſolemni ritu, & pompa condecorat in Aula Archiepiſcopali, maximo comitatu à Cœnobio Sancti Martini diſcedens. *Die 1. Auguſti.*

1525 Intrant Ilicetani in corporalem poſſeſſionẽ loci ſanctæ Mariæ de Lilio apud Volſinios, mediante Fratre Andrea senenſi. *Die 10. Iunii.*

Simul, & poſſeſſio capitur ab Ilicetanis Monaſterij ſanctiſs. Annunciationis apud Ciuitatem s. Miniatis, Operante Religioſiſſimo Viro probo, ac integerrimo Nicolao de Stephanis, germine glorioſo ſuæ Patriæ. *Die 17. Aug.*

1526 67 Magiſter Pater Fr. Baſilius Monaldus, qui ſupra. *Die 15. Aprilis.*

Erat Præſes Capituli, in quo fuit acclamatus Vicarius Generalis.

Magiſter Pater Fr. Felix de Prato Procurator Generalis Congregationis.

Cura Monaſterij s. Mariæ Magdal. relinquitur liberè, ac ſponte à patribus Diffinitorij, quam determinationẽ Vicarius Generalis notam facit per ſuas Epiſtolas Monialibus. *Die 13. Aprilis.*

Sub tutelâ, & regimine noſtræ Congregationis accipiuntur Moniales ſanctæ Monicæ Senarum. *Die 20. Martii.*

1528 Hic Baſilius Vir vtiq; doctiſſimus exarauit Tractatum ſuper ſeptem Pſalmos, ſed humilitatis gratia apponere titulum, aut gradum Doctoratus minimè voluit circũferri ſub nomine Fr. Baſilij Gottæ, Typis tamen traditur.

1528 68 Reuerendus Pater Fr. Aegidius de Sancto Geminiano. *Die 26. Aprilis.*

Magiſter Pater Fr. Felix, à Prato, qui ſupra Procurator Generalis.

Hunc Felicem fuiſſe illum, qui edidit explanationem in lib. Iob. & Pſalteriũ ex Hæbreo ad Verbum translatum, approbatumq; per ſummum Pontific. Leonem Decimum, excuſum Venetijs Anno 1515. Die 5. Septem. non eſt, qui poſſit dubitare, cum ex monumentis Monaſterij S. Annæ extrà Pratenſem Ciuitatem ſatis apertè hauriatur.

1529 Don. Angelus Pauli Presbiter de S. Miniato ſponte Beneficium quoddam Tituli ſancti Stephani, & ſanctæ Luciæ cum cura Animarũ, Monaſterio ss. Annunciationis dat, & donat. *Die 12. Maii.*

1530 69 Reuer. Pater. Fr. Bernardus Monaldus Sen. qui ſupra. *Die 1. Maii.*

Magiſter Pater Fr. Aurelius Margattus à S. Geminiano Procurator Generalis.

1532 70 Reu. P. Fr. Aurelius Franciſci de Ficarellis de Sancto Geminiano. *Die 14. Apr.*

Magiſter

Magiſter Pater Fr. Aurelius Margattus, qui ſupra, Procurator Generalis; Obijt iſte Vicarius General. Senis vix inchoato munere nempe. *Die* 10. *Aug.* Efficitur Rector pro defuncto Vicario.

1532 71 Reu. Pater Fr. Saluator Petri Pauli Georgij, de Giorgis alias de Viticcis Sen. Eligitur à Patribus, ad quos ſpectabat electio vſq; ad ſtatutum tempus Capituli. *Die* 21. *Auguſti*.

Pater Fr. Nicolaus Collenſis Procurator Generalis.

1534 72 Reuer. Pater Fr. Syluester de Malingegnis Collenſis. *Die* 19. *Aprilis*. Hic antea fuerat conſtitutus à Saluatore prædicto de conſenſu totius Capituli in Rectorem Congregationis comet Saluatore ſponte recedente à Regimine.

Pater Fr. Innocentius Squarcialupus Florentinus Procurator Generalis.

Leo Papa X. omnes Indulgentias, etiam plenarias conceſſas Religioni extendit ad omnes Fratres, & Moniales exiſtentes ſub Cura Vicarij Generalis Cõgregationis, temporarias verò ad omnes Chriſti fideles vtriuſq; ſexus viſitantes Eccleſias Congregationis, quacumq; ſuſpenſione minimè comprehenſa, etiam ob fabricam Baſillcæ Principis Apoſtolorum de Vrbe. *Die* 23. *Martii*.

1535 Prima iaciuntur fundamenta inſignis Eccleſiæ ſancti Martini Senarum noſtræ Congregationi vnitæ, vbi iam erat Palatium, altiſſimaq; Turris Dominorum Cinugorum, eo in loco etiam (vt per longam continuamq; traditionem habemus) in quo Diu. Martinus Turonenſis Epiſcopus ad vitam vnum ex tribus reuocauit defunctum: in cuius facti memoriá conſtructa fuit Eccleſia antiqua, iam penè vetuſtate collapſa, reſeruatis tamen antiq; Eccleſiæ aliquibus veſtigijs, vt videre eſt, Priore Petro Paulo de Viticcis senenſi, qui ſupra.

1536 73 Reuer. Pater Fr. Bernardus Monaldus sen. qui ſupra. *Die* 30. *Aprilis*. Erat hic Præſes Capituli, in quo fuit electus.

Beatus Pater Fr. Paraclitus à S. Angelo Procurator Generalis.

Admodum Reuerendi Patres Prouinciales Prouinciæ Senarum, & Piſarum, non poſſunt recipere Fratres noſtræ Congregationis abſq; conſenſu Vicarij Generalis, & è contra. Id ſtrictè præcipit Gabriel Venetus Generalis Ordinis. *Die* 10. *Octobris*.

1538 74 Reuer. Pater. Fr. Saluator Viticcius Senenſis. *Die* 5. *Maii*. Hic Vicarius etiam in hoc Capitulo functus eſt officio Præſidentis.

Beatus Pater Fr. Paraclitus de Binis, qui ſupra, Procurator Generalis.

Communitas Ciuitatis Leoniſſæ mittit Epiſtolas Vicario Generali Congregationis rogando, vt poſſeſſionem Cœnobij S. AEgidij ſumeret. *Die* 11. *Iulii*.

Subſtituitur locum tenens in ditione Florentina Reuer. P. Fr. Saluator Collenſis, qui ſupra, cum omnimoda authoritate in ſpiritualibus, & temporalibus, id petentibus Patribus Vocalibus eiuſdem ditionis Florentinæ. *Die* 14. *Octobris*.

1539 Hieronymus Scripandus Vicarius Apoſtolicus, Epiſtolas ad Ilicetanos mittit, per quas confitetur ſe aliquando manſiſſe in noſtra Congregatione precipuè Iliceti tempore Nouitiatus, & ibi apprehendiſſe in omnibus bonos mores Religionis. *Die* 24. *Ianuarii*.

1540 75 Reuer. Pater Fr. Innocentius Bernardini de Squarcialupis Florentinus. *Die* 11. *Aprilis*.

Pater Fr. Bernardus de Rimbottis Miniatenſis Procurator Generalis Congregationis.

1542 76 Reu. P. Fr. Lactantius Piccolomineus Sen. qui ſupra. *Die* 23. *Aprilis*.

Reu.

Reuer. Pater Fr. Petrus de Ficarellis à S. Geminiano Procurator Generalis Congregationis.

Fundatur societas sancti Sebastiani apud Cœnobium sanctæ Annæ extra Pratum. *Die 6. Ianuarii.*

Moniales sancti Michaelis de Prato constituuntur sub Cura Congregationis nostræ à Domino Cardinali Sanctorum quatuor. *Die 22. Aprilis.*

Multis rationibus persuasos habet Patres Ilicetanos, Generalis Seripandus, vt velint accedere ad Capitulum Generale totius Ordinis. *Die 10. Martii.*

1544 77 Reu. Pater. Fr. Mattheus de Neruccis à S. Geminiano. *Die 28. Aprilis.*
Hic fuit Præses in Capitulo, in quo fuit electus Vicarius Generalis.

Reuer. Pater Fr. Raphael Senensis Procurator Generalis Congregationis.

Plurimum insudauit pro manutentione studij in Congregatione Logicæ, Philosophiæ, ac Theologiæ.

Prorogatur tempus Capituli ex mandato Pauli IV. Papæ atteſtante Nicolao S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali sanctæ Mariæ in Via lata Protectore Ord. vſq; quo videbitur Generalis Ordinis. *Die 21. Martij.*

1546 78 Reu. P. Magiſt. Fr. Fabianus Ianuenſis. *Die 11. Maii.*
Deputatur Vicarius Generalis per litteras patentes Reuerendiſs. Patris Hieronymi Seripandi. *Die 19. Maii.*

Onus accipit adiunctis Brunecto Leoniſſano Priore Iliceti, & Innocentio Squarcialupo Florentino, qui nomine potiuntur Commiſſarij Generalis.

1546 79 Reu. Pater Fr. Brunectus de Iudicibus à Leoniſſa. *Die 10. Iunii.*
Hic fuit electus in Capitulo congregato de more, ſed non tempore conſueto, ſtante ſupradicta prorogatione. Præſidente eodem Magiſtro Fabiano.

Defecit Brunectus in munere, inſtante Republica Senarum, accuſatus quòd recepiſſet Iliceti Rebelles Reipublicæ, & deputatur Rector Congregat.

1546 80 Reu. Pater Fr. Bernardus Monaldus, qui ſupra.
Hic erat Prior eodem tempore Monaſterij Iliceti.

Pater Fr. Stephanus de Plumbino Procurator Generalis.

Paulus Papa III. concedit facultatem Hieronymo Seripando Generali Ordin. & Cardinali Præſidenti Concilij Tridentini, vt poſſet per vnum commiſſarium viſitare noſtram Congregationem. *Die 26. Martii.*

1547 81 Reu. Pater. Fr. Ioannes Petrus de S. Geminiano.
Expleuit iſte menſes Brunecti ſupradicti.

1548 82 Reu. P. Fr. Marianus de Turchis Senenſis. *Die 15. Aprilis.*
Iſte in gratiam Domini Archiepiſcopi Senarum fuit Præceptor quoad mores, & etiam quoad litteraturam Reuerendorum Monachorum Ciſtercienſium.

Reu. Fr. Stephanus, qui ſupra confirmatur Procurator Generalis Congregat.

1549 Reu. Pater Fr. Stephanus Carrotius de Plumbino, & Pater Fr. Deſiderius Senenſis ſpecialiter conſtituuntur Viſitatores Generales totius Congregat.

1550 83 Reuer. P. Fr. Iulius Antonij Philippi de Senis. *Die 20. Aprilis.*
Fuit iſte etiam *Præſes* Capituli, in quo Patres Vocales eum in Vicarium Generalem acclamarunt.

Pater Fr. Sigiſmundus de Senis Procurator Generalis Congregationis.

1551 Iulius Papa III. mandat omnibus Congregationibus, etiam de Obſeruantia, vt in Poſterum obſeruent Conſtitutiones Ordinis æditas in Capitulo Generali Romæ celebrato Anno 1543. Et Recineti Ann. 1547. in Vrbe impreſsas. hoc An.

Debent omnes Congregationes intra terminum vnius menſis petere con-

 firmatio-

firmationem omnium, quæ gesta sunt in Capitulis à Priore Generali pro tẽpore; Qui Prior Generalis infra terminum decem dierum à die petitionis, debet procedere ad confirmandum vel negandum, & si negauerit, debet exprimere causam quare noluit, cum deuolutione ad Eminentissimum Protectorem pro expeditione causæ.

Decernit Pontifex prædictus Dominum Cardinalem pro tempore Iudicem Controuersiarum, quæ in diem possunt oriri inter Priorem Generalem Ordinis, & Vicarios generales Congregationum, remota omni appellatione.

Declarat tandem in fine Bullæ, ea omnia contenta in Constitutionibus Ordinis Priuilegijs Congregationum Iliceti, & Galliæ Cisalpinæ non posse repugnare. *Die* 30. *Ianuarii*.

Conficitur publicum Instrumentum pro concordia seruanda inter Congregationem Lombardiæ, ac Iliceti, & inter Reuerendissimum Patrem Priorem generalem coram Dom. Cardinali Marcello Ceruino Protectore Ord.

Quod quidẽ Instrumentũ cõmune est virtute constitutionis Innocentij VIII. supra enunciatæ, *Ilicetanæ* Congregationi. Transumptum siue exemplar reperitur in Bullario Ord. pag. 219. confectum. *Die* 27. *Februarii*.

1552 84 Reu. P. Fr. Stephanus Camozzius Plumbinensis. *Die* 1. *Maii*.

Pater *Fr.* Hieronymus de Bonsignoris Senensis Procurator generalis.

1554 85 Reu. P. F. Stephanus Camozzius, qui supra, iterũ regiminis munus sequitur.

Ob bellorum Senensium turbines non fuit coacta synodus Iliceti, Idcirco *Pater* Generalis Christophorus Patauinus, ex Indulto Pontificio constituit in Rectorem Congregationis Vnum aliquem ex arbitrio, & hic fuit.

1555 86 Reu. Pater Fr. Lactantius *Piccolomineus* senensis pro tota congregatione. *Die* 7. *Maii*.

Item constituit duos alios Patres, vnum in Ditione Senensi, alterum in Florentina, pro senensi fuit pronunciatus.

Reuer. Pater Fr. Tiberius Piccolomineus senensis.

Pro Florentina verò.

Reuer. Pater Fr. Stephanus de Plumbino.

Cardinalis Ceruinus, qui postea Marcellus II. Pont. epistolas ad Ilicetanos mittit, multa statuendo pro bono regimine Congregationis, & hoc egit prædictus Dom. Cardinalis tamquã Protector Ordinis. *Die* 23. *Octobris*.

Paulus Papa IV. concedit Petro Pacieco Hispano Cardinali Protectori Ord. vt pro vna vice tantùm possit nominare vnum, ex duobus Patribus sibi præsentandis, aut proponendis per Procuratores, & Agentes Congregationis in Vicarium Generalem eiusdem Congregat. & hoc quia congregari nequiuerant ob dictorum Bellorum turbines.

Item absoluit Omnes Patres Ilicetanos à quovis excõmunicationis vinculo, & ab alijs censuris, & pœnis, impartiendo prædicto Domino Protectori facultatem dispensandi cum eis super irregularitate quauis, per eos quomodolibet contracta.

Electionem Prioris Ilicetani Monasterij perpetuis futuris temporibus pertinere vult ad Patres Vocales dicti Monast. confirmationem verò tempore Capituli, siue Cong. Intermediæ ad Vicarium Generalem, & Diffinitores Congregationis.

Possunt ijdem Patres Vocales eumdem Priorem denuo eligere, aut confirmare sed arbitrio prædictorum Vicarij Generalis, & Diffinitorum est confirmãda, vel infirmanda electio, siue confirmatio.

Si electio dicti Prioris pendente biennio quauis ex causa vacet, noui Prioris electio itidẽ pertineat ad dictos Patres Vocales Monasterij Iliceti, confirmatio

firmatio verò huiuſmodi electionis ad ipſum ſolum Vicarium Generalem pertineat, cum clauſula derogatoria ſi ſecus ſuper his à quocumque, quauis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, addita etiã pœna excommunicationis contra &c. *Die* 21. *Septembris*.

1556 87 Reuer. P. Fr. Sigibertus Delphinus senen. *Die* 19. *Aprilis*.

Hic eligitur in Capitulo Generali celebrato in Monaſterio ſancti Antonij ad Lacus Ambroſianos.

Pater Fr. Deſiderius Senenſis Procurator Generalis Congregationis.

Vnitur Congreg. noſtræ Monaſterium S. AEgidij de Leoniſſa conſtructum à fundamentis, magnis impenſis, à Fratre Manfredo Ilicetano, quem iſte Vicarius in Priorem dicti monaſterij deputat. *Die* 19. *Ianuarii*.

Marianus Turchius vocatur à Reuerendiſſimo Priore Generali Romam ad grauiſſima negocia Religionis, & Congregationis peragenda, quum Vicarius Generalis ſupradictus Procuratorem Generalem declarat cum omnimoda facultate pro quouis negocio procurando & obtinendo ad fauorem Congregat. *Die* 10. *Nouembris*.

1557 Magiſter Fr. Chriſtophorus Patauinus Generalis Ordin. aliquã condidit Decreta pro bono regimine Congregationis, & ad euellenda mala, ſi aliqua eſſent intruſa tempore Belli. *Die* 22. *Nouembris*.

In Regeſtis Congregationis nec verbum quidem habemus de quodam Chriſtophoro à Fabriano, quem Pater Herrera ponit ad hæc tempora reformatorem Congregationis noſtræ.

1558 88 Reu. P. Fr. Iacobus de Neruccis à S. Geminiano. *Die* 24. *Aprilis*.

Pater Fr. Sigibertus Delphinus, qui ſupra, Procurator Generalis Congregationis in Curia Romana.

Magiſter Fr. Felix Pratenſis, de quo ſupra, diem ſuum propè centenarius Obijt Romæ, & in Templo D. P. Auguſtini iacet. *Die* 5. *Nouembris*.

Comitia Generalia totius Ordinis habita ſunt Venetijs quibus interfuit iſte Vicarius quo abſente Congregationem moderatus eſt tamquam Rector.

1559 89 Magiſter P. Fr. Fortunatus Papienſis.

1560 90 Reu. P. Fr. Marianus Turchius Sen. qui ſupra. *Die* 18. *Aprilis*.

Pater Fr. Io: Baptiſta Burgheſius Sen. Procurat. Gener. Congreg.

Pius IV. ſum. Pont. concedit Indulgentiam plenariam viſitantibus in diebus Annunciat. B. Mariæ, & per totam octauam noſtras Eccleſ. *Die* 3. *Sept.*

1562 91 Baccalaureus P. Fr. Seraphinus Incontrius Volateranus. *Die* 13. *Aprilis*.

Hic vulgò dicebatur Iſdraelita, quia Iudæa de gente erat, ad fidẽ Chriſti conuerſus, mirabile factu, vir probus, ac Religioſus integerrimus euaſit.

Erat Præſes Capituli, in quo fuit electus:

Bacc. P. Fr. Gratianus à Monte Fullonico Procurator Generalis Congregat.

Vnitur ſocietati noſtrę Locus ſancti Blaſij de Stabio prope Vrbẽ. *Die* 13. *Ap.*

1564 92 Bacc. P. F. Gratianus Chigiottus à Monte fullonico, qui ſupra. *Die* 20. *Ap.*

Pater Fr. Hieronymus Bonſignorius Sen. Procurator Generalis.

Magiſter Chriſtophorus Patauinus Generalis Ordinis confirmat incorporationem Domus S. Blaſij de Stabio, de quo ſupra. *Die* 22. *Maii*.

Gratianus iſte, cum Mediolano, vbi Generale totius Ordinis Eremitarum Capitulum celebratum fuit, remearet, & dum Iliceti laſſus itinere conquieſceret, improuiſa lacrymabiliq; morte prçuenitur. *Die* 2. *Iulii*.

Cui ſubrogatur à Reuerendiſſimo Generali Ord. in Rectorem Congregationis cum omnimoda authoritate.

1564 93 Magiſter P. Fr. Vmbertus de Monte S. Sabini.

Huic etiam additur tanquam adiutor in tribulationibus.

1564 94 Reuer. Pater Fr. Petrus Franciſcus Pientinus à Senis.
At ſiceti Congregatis senioribus Patribus Congregationis, de communi omnium conſenſu præſente Reuerendiſſimo Patre Generali totius Ordinis electus fuit Vicarius Generalis.

1564 95 Reu. P. Fr Io: Baptiſta Burgheſius, qui ſupra. *Die* 24. *Auguſti.*
Pater Fr. Brunectus de Leoniſſa Procurator Generalis Congregationis.
Huius Burgheſij curæ, petente Illuſtriſſimo Dom. Antiſtite Senarum, traditur Monaſterium Monialium S. Nicolai eiuſdem Ciuitatis.
Da eodem Burgheſio in Regeſtis Reuerendiſſimi Thadæi Peruſini hæc verba habentur: Fratri Io: Baptiſtæ Burgheſio viro probo, & ſanctitate Inſigni, commiſſimus, vt aliquando viſitare poſſit ſororē ſuam Monialem Senis in Monaſterio ſanctæ Marthæ.

1566 96 Reuer. P. Fr. Petrus Franciſcus Pientinus. *Die* 28. *Aprilis.*
Pater Fr. Hieronymus Bonſignorius Sen. Procurator Generalis.
Hic Petrus Franciſcus fuit etiam Præpoſitus Eccleſiæ S. Ioannis de Caſtiglione Piſcariæ, ibiq; Inſignia Præpoſituræ ſuſcepit, nempe Annulum, & Biretum.
Auctor fuit Inſignis Bibliothecæ Cœnobij S. Martini Senarum.
Pius V. Sanctiſſimus Pontifex confirmat cunctas Indulgentias conceſſas à predeceſſoribus ſuis Eccleſijs noſtræ Congregationis. *Die*

1568 97 Reu. P. Fr. Athanaſius Iulianij Marchucci à Monte ſullonico. *Die* 1. *Maii.*
Pater Fr. Tiberius Piccolomineus Senenſis Procurator Generalis.

1570 98 Reu. Pater Fr. Marianus Turchius senenſis. *Die* 9. *Aprilis.*
Pater Fr. Innocentius de Caſtilione Piſcariæ Procurator Generalis.
Sub hoc Magiſtratu Vexilliſer, & Priores Ciuitatis Collenſis dono dant noſtræ Congregationi Monaſterium s. Mariæ Gratiarum extra mœnia ipſius Ciuitatis.
Deſeruerunt Patres Diffinitores noſtræ Congregationis Hoſpitalem domum s. Sebaſtiani de Binis apud Florentiam ſponte. *Die ſupradicta.*

1572 99 Reuer. Pater Fr. Archāgelus Dominici Lolli a Monte ſullonico. *Die* 19. *Ap.*
Hic efficitur etiam Viſitator Generalis pro tota Congregatione adiuncto ſecundo, nempe Magiſtro Fr. Vincentio Florentino tunc temporis Priore Monaſterij S. Auguſtini senarum.
Magiſter Pater Fr. Saluator Bindus senenſis Procurator Generalis.
Vnitur Congregationi noſtræ Monaſterium ſanctæ Mariæ Gratiarum de quo ſupra inita poſſeſſione. *Die* 19. *Aprilis.*
Aurelius Margattus de s. Geminiano iam in Religione ad Magiſterij Gradū euectus, ingreditur Collegium Excellentiſſimorum P. P. Theologorum Senenſium. *Die* 25. *Septembris.*

1574 100 Reuer. P. F. Io: Baptiſta Sen. nuncupatus Fonteblanda. *Die* 25. *Aprilis.*
Magiſter P. Fr. Angelus Collenſis Procurator Generalis Congregationis.

1576 101 Magiſter Pater Fr. Aurelius Auguſtini Margattus, qui ſupra. *Die* 5. *Maii.*
Pater Fr. Iacobus Geminianenſis Procurator Generalis.
Magiſter Thadæus Peruſinus Generalis Ordinis multa Decreta condidit ad mores ſpectantia, itemq; voluit illos, qui fuerint Laurea Magiſtrali inſigniti, potiri omnibus Priuilegijs, & gratijs conſuetis, non obſtantibus determinationibus Congregationis. *Die* 16. *Aprilis.*
Ex Memoriali Hieronymi Bonſignorij. pag. 46.
Magiſter P. Fr. Saluator Bindus Senenſis inter sacros Almi Collegij Theologos Senarum, iam in Religione Magiſter creatus, aggregatus fuit. *Die* 29. *Decembris.*

Magiſter

1578 | 102 Magiſter P. Fr. Saluator Bindus, qui ſupra. *Die* 13. *Aprilis*.
Pater Fr. Innocentius à Caſtilione *Procurator Generalis*.
Magiſter P. Fr. Angelus Collenſis, qui ſupra, incorporatur Collegio sacrarum P. P. Theologorum Senarum. *Die*
Circa hæc tempora accidit illud mirabile factum: conſtruebatur Odzi reſtudineam tegnem Eccleſiæ S. Martini Senarum nimiæ altitudinis, caſu è Pôte, fracto cantheriolo cecidit quidam iuuenis operarius, accurrunt ſtatim omnes alij operarij, ſimul & Fratres Monaſterij cum *Priore* Petro Francisco *Picchino*, aſpiciant iuuenem viuum, quem iam mortuum putabant, interrogant quomodo ſe haberet, reſpondit hilari animo, vultuq; rectè quidem: nil enim mali paſſus ſum; Nobiliſſimas quidam Eques Equi Album inſidens ſagmarium, me ſuſtinuit, ne allideret ad petram. De D. Martino Turonenſi Antiſtite intelige, ex inueterata, continuaq. Patrum conſpicuorum traditione.

1580 | 103 Reuer. Pater Fr. Fulgentius Picchinenſis à Colle Vallis Elſæ. *Die* 17. *April.*
Pater Fr. AEgidius *Piccolomineus* Senenſis *Procurator Generalis*.

1582 | 104 Reuer. Pater Fr. Io: Baptiſta Burgheſius, qui ſupra, *Die* 29. *Aprilis*.
Barc. *P.* Fr. Seraphin Incontrius Volater. Procurator Generalis.
Gregorius XIII. *Pont.* max concedit viſitantibus omnibus sabbatis totius anni Eccleſias noſtras in forma conſueta Indulgentiam plenariam, & hoc in perpetuum. *Die* 25. *Ianuarii*.

1584 | 105 Magiſter Pater Fr. Aurelius Margattus, qui ſupra, *Die* 18. *Aprilis*.

1585 | Magiſter P. Fr. Patritius Luſitanus *Pratenſis* Procurator Generalis.
Sub hoc Magiſtratu Sixtus V. Pont. max. concedit cedente Ioanne Conſecto Congregationi noſtræ Domum s. Stephani ad Portam Ferream Florentiæ, cuius Eccleſia vnà cum cæteris illis 12. quas erexit Carolus Magnus Imperator in Prioratus: Ingrediuntur Ilicetani. *Die* 7. *Octobris*.
Iterum aſſumitur negocium vnionis noſtræ Congregationis cum illa Galliæ Ciſalpinæ de Obſeruantia.

1586 | 106 Magiſter P. Fr. Saluator Bindus senenſis. *Die* 26. *Aprilis*.
Pater Fr. Michael de Carolis senenſis Procurator Generalis.
Sixtus V. ſummus *Pont.* dat Eccleſiæ sanctæ Mariæ de *Populo* in Vrbe omnes, & ſingulas Indulgentias quas habet Eccleſia s. Sebaſtiani extra maros, quæ Indulgentiæ ſunt etiam in Eccleſijs Congregationis noſtræ per communicationem virtute Diplomatis Innocentij *VIII.* ſupra citati Datur Bulla Sixti. *Die* 15. *Martii*.

1588 | 107 Reuer. Pater Fr. Marcus Gauorranus Collenſis. *Die* 1. *Maii*.
Pater Fr. Matthias Crocchus à Monte fullonico *Procurator Generalis*.
Poſſidebat hiſce temporibus Congregatio Ilicetana Monaſterium *Pitorij*, cui titulus erat ss. Annunciatæ.

1590 | 108 Reuer. P. Fr. Ioannes Bartholomæi de Ricciantis Fighinenſis. *Die* 13. *Maii*.
Procurator Generalis in hoc Capitulo deſideratur.

1592 | 109 Magiſter P. Fr. Ioſeph de *Fontijs* senenſis. *Die* 18. *Aprilis*.

1594 | Hic iam in Religione Magiſtri Laurea condecoratus, poſtea aſcriptus fuit ſeu (vt aiunt) incorporatus in Almo Collegio PP. Theologorum senenſ. *Die* 31. *Martii*.

1598 | 110 Reuer. P. Fr. Hippolytus *Panalfutius* Senenſis. *Die* 1. *Maii*.
Ilicetі Gymnaſium pro Logica, *Philoſophia*, & Theologia ſub hoc magiſtratu conſtituitur.
In hoc Capitulo prima vice leguntur litteræ patentes, & publicæ Magiſtri Andreæ à Fiuizzano Generalis Ordinis, ſed per eas ſeruatur ordo Congregationis

gregationis circa Præsidem comitiorũ: declaratur enim primus Diffinitorũ ex superstitibus præteriti Capituli.

1596 111 Bacc. Pater Fr. Thomas de Carpijs Iliceranus. *Die 4. Maii.*

Leguntur secunda vice litteræ prædicti Generalis ante recognitionem Patris Præsidentis, per quas non habita ratione antiquioris Diffinitoris, sublato ordine hactenus modo seruato, imò contaminato iure, non contradicentibus Patribus, suo arbitrio nominauit idẽ Gener. Viram sibi bene visum, & de corpore Congregationis, & fuit Reu. P. Fr. Andreas Fullonicensis ab Iliceto Gymnasij sancti Spiritus de Florentia Regens. Hæ litteræ datæ fuerunt. *Die 19. Aprilis.*

Item per has litteras idem Generalis proposuit Patribus electoribus Magistrũ Fr. Aurelium à S. Geminiano. Magistrum Patritium Pratensem Lusitanũ, & Baccalaureum Thomam de Carpijs Iliceranij Gymnasij Regentem, vt vnum ex istis tribus sibi ipsis in Vicarium Generalem eligerent, & electus fuit (acquiescentibus Patribus nouitati) tertius nominatus, qui fuit ille Thomas de Carpijs.

Accipiuntur Constitutiones Ordinis sponte, & liberè ad manum in obseruandæ, editæ in Capitulo Generali Romæ habito. Anno 1543.

1598 112 Reu. P. Fr. Archangelus Lollius de Montefullonico. *Die 31. Maii.*

1600 113 Bacc. P. Fr. Nicolaus Crudelius à Campiglia Ilicet. *Die 23. Aprilis.*

1602 114 Bacc. P. Fr. Athanasius Pacinus Belfortensis Ilicet. *Die 28. Aprilis.*

1604 115 Reu. P. Fr. Ioannes Ricciantus Pnighinensis à S. Geminiano, qui supra; *Die 26. Aprilis.*

Hic non absoluto officio, nec etiam pro primo anno moritur Senis. *Die 29. Septembris.*

Vocatur ad regimen Congregationis tanquam Rector.

1604 116 Bacc. Pater Fr. Athanasius, qui supra.

Clemens Papa VIII. confirmat Priuilegia Congregationis Iliceti, datq; modum visitandi eamdem Congregationem, & aliam Galliæ Cisalpinæ eiusdẽ Ordin. per P. Priorem Generalem. *Die 13. Iunii.*

Idem Summus Pontifex constituit Nouitiatum pro tota Congregatione in Cœnobio Iliceti, & præscribit numerum familiæ nempe sacerdotum decem, Nouitiorum Octo, & Laycorum seruientium quinq; *Die*

Item per aliud Breue apertius declarat modum visitandi prædictas Congregationes per Reuerendiss. P. Priorem Generalem.

In primis confirmat ea, quæ decreuit de hac Visitatione, & de modo Visitandi dictas duas Congregationes Innocentius Papa VIII.

Confirmat etiam Instrumentum super eadem visitatione celebratũ, & euulgatum demandante Iulio III. & à Patribus communiter receptum corã Cardinali Ceruino Protectore Ordinis.

Declarat Priorem Generalem, quoties ei placuerit, simul cum vno ex Visitatoribus, vel cum Vicario Generali eiusdem societatis, & non per alium, vnam aut plures domos, ac ipsam societatem visitare posse.

Item Priorem Generalem in Congregationibus prædictis Iliceti, & Galliæ Cisalpinæ, tamquam Caput, & Gubernatorem habendum esse.

Vicarij Generales, Visitatores, Priores prædictarum Congregationum Reuerendissimo Generali Ordinis debent omnem obbedientiam præstare, vt proprio superiori.

Prior Generalis potest non solum visitare loca, Domos, sed & personas, quæ debent subiacere correctionibus, & pœnis iuxta Constitutiones Ordinis iniungendis.

In

In Visitatione facienda per Generalem Ordinis, Vicarij Generales, siue Visitatores debent habere suffragium consultiuum, sed non debent interuenire scrutinio, aut examini secreto habendo per Priorem Generalem visitantem.

Patres Assistentes dum Generali Visitanti assistunt, & comitantur, locum debent habere ante, & supra Vicarios Generales Congregat. & omnes alios.

Ante mensem complendum à principio Visitationis, tenetur Prior Generalis intimare Visitationem & si ille, qui fuit constitutus ire cum eo pro Congregatione, recusauerit ire, potest vocare Priorem propinquiorem, vel Supprioré, quibus etiam recusantibus, potest sine eorum interuentu visitare.

Præcipit sub pœna indignationis s. Sedis obseruantiã prędictoru. *Die* 22. *Decẽb.*

1605 117 Baccal. P. Fr. Vitus de Ruberis Pratensis. *Die* 14. *Maii*.

1606 Paulus *Papa* V. Felic. Rec. moderando Constitutionem Clementis VIII. de modo visitandi Congregationes Ilicetì, & Lombardiæ per *Priorem* Generalem, mandat semel tantùm licere Generali durante eius Officio, illas Visitare seclusis Monasterij minoribus. *Die* 13. *Februarii*.

1607 118 Magister P. Fr. Camillus de Noccis *Florentinus*, ex Vrbe Senarum.

Sub isto Religionem ingreditur huius Operis humilis scriptor, antea Volunius Hieronymus, Marij, Lardiccij nuncupatus. Die D. Taronensi Episcopo Martino dicata. 11. *Nouembris*.

1609 119 Baccal. P. Fr. Angelicus de Vecchis Senensis. *Die* 9. *Maii*.

Prædictus Volunius sub hoc Magistratu, per manus huius Præsulis sacro Religionis habitu Eremiticæ spontè Anno ætatis suæ XI. induitur, & Ambrosios dicitur. *Die* 14. *Iunii*

1611 120 Magister *P.* Fr. Stephanus Vgurgerius Sen. *Die* 24. *Aprilis*.

Magister P. Fr. Saluator de Bindis tertium Decanus eligitur Almi Collegij Theologorum Senensium. *Die* 29. *Septembris*.

1613 121 Baccal. *Pater* Fr. Bartholomæus Tinaccius à S. Geminiano, *Die* 28. *Apr.*

1615 122 Baccal. *Pater* Fr. *Gratianus* à S. Geminiano, *Die* 9. *Maii*.

1617 123 Bacc. *P.* Fr. Riccardus Antoninus a s. Antonio, ad Lacus Ambrosianos. *Die* 17. *Aprilis*.

Dono denuò accipiunt Ilicetani ex liberalitate Dominorum de Anguillariâ locum s. Blasij prope stabulum, & illius ineunt *Possessionem*, sed breui tempore retinent, cedentes illum Cœnobio s. Augustini in Vrbe Roma.

1619 124 Baccal. *P.* Fr. Desiderius de Familia Monachiensi à Monte Fullonico Ilicetanus. *Die* 21. *Aprilis*.

Communitas s. Mariæ in Monte, dominij Magnorum Hetruriæ Ducum, Diœcesis Lucẽsis, per litteras ad Capitulum nostrum Generale missas, offert Cõgregationi nostræ locum seù Ecclesiam sancti Sebastiani.

Item apud Castrum Sughereti Massanæ Diœcesis, acquiritur Ecclesiæ s. Thomæ in loco, qui dicitur Beluedere, & ibidem Vicarius præficitur Baccalaureus *Pater* Anselmus *Puppensis*.

1621 125 Baccal. P. Fr. Niccolaus de Broccolis à s. Geminiano, *Die* 3. *Maii*.

Gregorius XV. Pont. Max. confirmat omnes gratias, immunitates, & priuilegia à suis Predecessoribus Congregationi Ilicetanæ, & Lombardiæ, omniaq; pacta, & Conuentiones stabilitas inter *Priorem* Generalem, & dictas Congregationes.

Addendo, & declarando Generalem semel in sexennio, durante officio posse visitare Societates secumq; conducere octo tantùm Religiosos, comprehensis in hoc numero etiam *Patribus* Assistentibus, cum totidẽ Equis.

Item hanc Visitationem non posse inchoari, inconsulto D. Protectore Cardinali pro tempore.

gregationis circa Præſidem comitiorũ: declaratur enim primus Diffinitorũ ex ſuperſtitibus præteriti Capituli.

1596 111 Bacc. Pater Fr. Thomas de Carpijs Ilicetanus. *Die* 4. *Maii*.

Leguntur ſecunda vice litteræ prædicti Generalis ante recognitionem Patris Præſidentis, per quas non habita ratione antiquioris Diffinitoris, ſublato ordine hactenus obſeruato, imò contaminato iure, non contradicentibus Patribus, ſuo arbitrio nominauit idē Gener. Virum ſibi bene viſum, & ſi de corpore Congregationis, & fuit Reu. P. Fr. Andreas Fullonicenſis ab Iliceto Gymnaſij ſancti Spiritus de Florentia Regens. Hæ litteræ datæ fuerunt. *Die* 19. *Aprilis*.

Item per has litteras idem Generalis propoſuit Patribus electoribus Magiſtrũ Fr. Aurelium à S. Geminiano, Magiſtrum Patritium Pratenſem Luſitanũ, & Baccalaureum Thomam de Carpijs Ilicetanij Gymnaſij Regentem, vt vnum ex iſtis tribus ſibi ipſis in Vicarium Generalem eligerent, & electus fuit (acquieſcentibus Patribus nouitati) tertius nominatus, qui fuit ille Thomas de Carpijs.

Accipiuntur Conſtitutiones Ordinis ſponte, & liberè ad tanquam in obſeruandæ, editæ in Capitulo Generali Romæ habito. Anno 1543.

1598 112 Reu. P. Fr. Archangelus Lollius de Monteſullonico. *Die* 31. *Maii*.

1600 113 Bacc. P. Fr. Nicolaus Crudelius à Campiglia Ilicet. *Die* 23. *Aprilis*.

1602 114 Bacc. P. Fr. Athanaſius Pacinus Belfortenſis Ilicet. *Die* 28. *Aprilis*.

1604 115 Reu. P. Fr. Ioannes Ricciantus Phighinenſis à S. Geminiano, qui ſupra. *Die* 26. *Aprilis*.

Hic non abſoluto officio, nec etiam pro primo anno moritur Senis. *Die* 29. *Septembris*.

Vocatur ad regimen Congregationis tanquam Rector.

1604 116 Bacc. Pater Fr. Athanaſius, qui ſupra.

Clemens Papa VIII. confirmat Priuilegia Congregationis Ilicetì, datq; mõdum viſitandi eamdem Congregationem, & aliam Galliæ Ciſalpinæ eiuſdē Ordin. per P. Priorem Generalem. *Die* 13. *Iunii*.

Idem Summus Pontifex conſtituit Nouitiatum pro tota Congregatione in Cœnobio Ilicetì, & præſcribit numerum fratrum ne pe ſacerdotum decem, Nouitiorum Octo, & Laycorum ſeruientium quinq; *Die*

Item per aliud Breue apertius declarat modum viſitandi prædictas Congregationes per Reuerendiſs. P. Priorem Generalem.

In primis confirmat ea, quæ decreuit de hac Viſitatione, & de modo Viſitandi dictas duas Congregationes Innocentius Papa VIII.

Confirmat etiam Inſtrumentum ſuper eadem viſitatione celebratũ, & euulgatum demandante Iulio III. & à Patribus communiter receptum corã Cardinali Ceruino Protectore Ordinis.

Declarat Priorem Generalem, quoties ei placuerit, ſimul cum vno ex Viſitatoribus, vel cum Vicario Generali eiuſdem ſocietatis, & non per aliam, vnam aut plures domos, ac ipſam ſocietatem viſitare poſſe.

Item Priorem Generalem in Congregationibus prædictis Ilicetì, & Galliæ Ciſalpinæ, tamquam Caput, & Gubernatorem habendum eſſe.

Vicarij Generales, Viſitatores, Priores præfatarum Congregationum Reuerendiſſimo Generali Ordinis debent omnem obbedientiam præſtare, vt proprio ſuperiori.

Prior Generalis poteſt non ſolùm viſitare loca, Domos, ſed & perſonas, quæ debent ſubiacere correctionibus, & pœnis iuxta Conſtitutiones Ordinis iniungendis.

In

In Viſitatione facienda per Generalem Ordinis, Vicarij Generales, ſiue Viſitatores debent habere ſuffragium conſultiuum, ſed non debent interuenire ſcrutinio, aut examini ſecreto habendo per Priorem Generalem viſitantem.

Patres Aſſiſtentes dum Generali Viſitanti aſſiſtunt, & comitantur, locum debent habere ante, & ſupra Vicarios Generales Congregat. & omnes alios.

Ante menſem complendum à principio Viſitationis, tenetur Prior Generalis intimare Viſitationem & ſi ille, qui fuit conſtitutus ire cum eo pro Congregatione, recuſauerit ire, poteſt vocare Priorem propinquiorem, vel Suppriorē, quibus etiam recuſantibus, poteſt ſine eorum interuentu viſitare.

Præcipit ſub pœna indignationis ſ. ſedis obſeruantiã prędictorũ. *Die* 22. *Decēb.*

1605 117 Baccal. P. Fr. Vitus de Ruberis Pratenſis. *Die* 14. *Maii*.

1606 Paulus *Papa* V. Felic. Rec. moderando Conſtitutionem Clementis VIII. de modo viſitandi Congregationes Ilicetì, & Lombardiæ per *Priorem* Generalem, mandat ſemel tantùm licere Generali durante eius Officio, illas Viſitare ſeclusis Monaſterij minoribus. *Die* 13. *Februarii*.

1607 118 Magiſter P. Fr. Camillus de Noccis Florentinus, ex Vrbe Senarum.

Sub iſto Religionem ingreditur huius Operis humilis ſcriptor, antea Volunius Hieronymi, Marij, Lardiccij nuncupatus. Die D. Taronenſi Epiſcopo Martino dicata. 11. *Nouembris*.

1609 119 Baccal. P. Fr. Angelicus de Vecchis Senenſis. *Die* 9. *Maii*.

Prædictus Volunius ſub hoc Magiſtratu, per manus huius Præſulis ſacro Religionis habitu Frenniticæ ſponte Anno ætatis ſuę XI. induitur, & Ambroſius dicitur. *Die* 14. *Iunii*

1611 120 Magiſter *P.* Fr. Stephanus Vgurgerius Sen. *Die* 24. *Aprilis*.

Magiſter P. Fr. Saluator de Bindis tertium Decanus eligitur Almi Collegij Theologorum Senenſium. *Die* 29. *Septembris*.

1613 121 Baccal. *Pater* Fr. Bartholomæus Tinaccius à S. Geminiano, *Die* 28. *Apr.*

1615 122 Baccal. *Pater* Fr. Gratianus à S. Geminiano, *Die* 9. *Maii*.

1617 123 Bacc. *P.* Fr. Riccardus Antoninus a s. Antonio, ad Lacus Ambroſianos. *Die* 17. *Aprilis*.

Dono denuò accipiunt Ilicetani ex liberalitate Dominorum de Anguillaria locum s. Blaſij prope ſtabium, & illius ineunt *Poſſeſſionem*, ſed breui tempore retinent, cedentes illum Cœnobio s. Auguſtini in Vrbe Roma.

1619 124 Baccal. *P.* Fr. Deſiderius de Familia Monachienſi à Monte Fullonico Ilicetanus. *Die* 21. *Aprilis*.

Communitas s. Mariæ in Monte, dominij Magnorum Hetrurię Ducum, Diœceſis Lucēſis, per litteras ad Capitulum noſtrum Generale miſſas, offert Cōgregationi noſtræ locum ſeu Eccleſiam ſancti Sebaſtiani.

Item apud Caſtrum Sughereti Maſſanæ Diœceſis, acquiritur Eccleſiæ s. Thomæ in loco, qui dicitur Beluedere, & ibidem Vicarius pręficitur Baccalaureus *Pater* Anſelmus *Puppenſis*.

1621 125 Baccal. P. Fr. Niccolaus de Broccolis à s. Geminiano, *Die* 3. *Maii*.

Gregorius XV. Pont. Max. confirmat omnes gratias, immunitates, & priuilegia à ſuis Predeceſſoribus Congregationi Ilicetanæ, & Lombardiæ, omniaq; pacta, & Conuentiones ſtabilitas inter *Priorem* Generalem, & dictas Congregationes.

Addendo, & declarando Generalem ſemel in ſexennio, durante officio poſſe viſitare Societates ſecumq; conducere octo tantùm Religioſos, comprehenſis in hoc numero etiam *Patribus* Aſſiſtentibus, cum totidē Equis.

Item hanc Viſitationem non poſſe inchoari, inconſulto D. Protectore Cardinali pro tempore.

Fratres Congregationum, Priorem Generalem tamquam eorum caput debent recipere, nec non octo Fratres prædictos, quos secum duxerit, & honorifice tractare.

Item Vicarium seu Visitatorem quorum alter, qui debet pergere cum Patre Reuerendissimo Visitante, in scrutinio vel examine secreto Religiosorum Congregationum per dictũ Priorem Generalem habẽdo ac in cæteris actibus Visitationis, suffragium tam consultiuum quàm decisiuum habeat, sicuti habent Prior Generalis, & Assistentes. *Die* 12. *Februarii*.

1623 126 Baccal. *P.* Fr. Syluius Puccinus à s. Miniato, *Die* 9. *Maii*.

1625 127 Baccal. P. Fr. Cælestinus Roccha à s. Geminiano. *Die* 19. *Aprilis*.

Communitas Castri *Plani* in Monte Amiate tradit locum Ilicetanis procurante Marcellino Altesio, consensum præbente Serenissimo Magno Hetruriæ Duce, quem Deus &c. sed renuit Episcopus Diæcesanus.

Ad Gradum Doctoratus capessendum vocatur Romam Baccal. *P.* Fr. Lucas Mannuccius *Pratensis* ibiq; Laurea insignitur. *Die* 19. *Septembris*.

1627 128 Reu. *P.* Mag. Fr. Lucas Mannuccius, qui supra. *Die* 23. *Aprilis*.

Oppidum Arcis Albineæ donat Fratri Ambrosio Landuccio s. Theol. Bacc. ibidem concionanti Eremum s. Christophori, non vulgari copia nemorum adiuncta, sed non aditur possessio ob distantiam Loci. *Die* 5. *Apr.*

1629 129 Baccal. P. Fr. Nicolaus Broccolus, qui supra. *Die* 20. *Maii*.

Hic comploratus ab omnibus obijt non dum completo primo Anno sui muneris, & Rector Congregationis habetur.

1629 Reu. *P.* Magist. Fr. Lucas Mannuccius, qui supra. *Die* 13. *Ianuarii*.

1630 130 Baccal. Fr. Ambrosius Landuccius Senensis. *Die* 19. *Aprilis*.

1631 Vrbanus VIII. *Pont.* Max. æter. record. prædictam Bullam Greg. XV. sic amplificatam, vt dictum est, confirmat. *Die* 15. *Iunii*.

Pestis per Hetruriam vagans Monasteria s. Annæ extra *Prat*ũ, & sancti Augustini de s. Geminiano inuasit, multi perierunt Religiosi, vno tantùm superstite præsertim in dicto Cœnobio s. Augustini.

1622 131 Baccal. *P.* Fr. Vincentius Querratius Florentinus. *Die* 1. *Maii*.

Idem sum. *Pontifex* Vrbanus F. R. Omnia *Priuilegia*, & *Pacta* pro Visitatione Congregationum inita confirmat.

Addendo Priorem Generalem pro tempore minimè posse visitare Congregationem Ilicetanam, & Galliæ Cisalpinæ, nisi seruatis omnibus contentis, & expressis in litteris Greg. XV. *Die* 14. *Decemb.*

Idem *Pontifex* Max. per Breue dat. apud sanctam Mariam Maiorem impartitur facultatem Ambrosio Landuccio Senensi, vt possit insigna Magistralia sumere *Pont.* anno 10. *Die* 28. *Septemb.*

1634 132 Bacc. P. Fr. Augustinus Crocchius à Monte Fullonico Ilicet. *Die* 7. *Maii*.

Vocantur Ilicetani disponente Ambrosio Landuccio, qui supra ad possessionem Loci s. Christophori de Sassetta in Montibus Auerniæ, sed paulò post, illum sub sui curam redegit Reuerendissimus *Prior* Generalis Ord. Hierouymus à Corneto.

1636 Magister Fr. Ambrosius Landuccius Senen. qui supra, Laurea Doctoratus, ac Magisterij Romæ iam insignitus, inter Theologos sacri Collegij Senarum aggregatur. *Die* 25. *Martii*.

1636 133 Magist. Fr. Ambrosius Landuccius Senensis, qui supra. *Die* 12. *Aprilis*.

Sub isto Perillustris Familia de Bartholomæis Florentina, manum liberalissimam porrigente Dom. Antonio Maria, inchoatum est opus pro constructione Ecclesiæ, ac Domus D. Stephani ad *Portam* Ferream Florẽtiæ.

Quod Opus adhuc magnificentissimè proseguitur, terminata iam illa

parte

parte Chori cum Apſide ad Aram maiorem Doctiſſimus ac Pijſſimus D. Hieronymus eiuſdem Familiæ Bartholomææ partus pręclariſſimus.

1638 134 Reu. P. Mag. Fr. Gregorius Stagius à *Petra ſancta*, *Die* 25. *Aprilis*.

Hic nominatus fuit à Magiſtro Hippolyto Montio Generali ad tempus arbitrarium virtute Decreti extorti à s. Congr. Epiſcop. & Rꝛg. *Die.* 5. *Martii*

Prædictus Mag. Ambroſius Landuccius conſtituitur Procurator Generalis in Curia Romana, qui reclamans nomine totius Congregationis apud ſanctam Sedem, remiſſus fuit ad eandem ſacram Congregationem Regular.

Quæ viſis videndis, plurieſq; partibus auditis, è medio ſublatis difficultatibus, dictam deputationem firmat, reducendo illam ad biennium tantùm.

Hæc etiam, quæ ſequuntur ſtatuit eadem ſacra Cõgregatio per idem Decretũ.

Futura Capitula celebrari debere, habita ratione Priuilegiorum noſtræ Congreg. quæ quidem Priuilegia vult remanere in ſuo robore.

Priorem Generalem in perpetuum ſeruare debere Decretu Clementis VIII; euulgatum ſuper electione Patris Præſidentis Capituli. *Die* 1. *Aprilis* *Anno* 1601. cuius virtute Præſes Capituli celebrandi, deſumendus eſt è corpore Congregaonis.

Priorem Monaſterij s Stephani de Florentia deputatum, vt ſupra, à Generali ad tempus ſibi bene viſum, & qui non erat de corpore Congreg. mandat durare tantùm per biennium, & ſi aliqua ex cauſa contigiſſet remoueri infra biennium, vnum aliquẽ ex numero Patrum Congregationis illi muneri ſubrogari à Vicario Generali Congregationis debere.

Si aliquem ex Fratribus Cõngreg. Prior Gener. ſiue Congregationem viſitando, ſeu alio modo, erraſſe compererit, eum punire poſſe, intra tamen Monaſteria Cõgregationis.

Magiſtrum Landuccium ſubijci debere iuſſis Reuerendiſs. Prioris Generalis, nempe vt iret Recinetum ad onus Prædicationis ſubeundum, ad mentem tamen & beneplacitum Eminentiſſimi Domini Cardinalis Protectoris Ioãnis Baptiſtæ Pallottæ. *Die* 3. *Septembris*.

Qui D. Cardinalis ſtatim, completo munere Prædicationis tempore Adientus, per dictum Magiſtrum Ambroſium Landuccium, illum reſcittit ad ſuam Congregationem per litteras. *Die* 19 *Decembris*.

Officium verò Vicariatus huius Gregorij Stagij à Petra ſancta Prouinciæ Piſarum, terminat tamquam Rector conſtitutus ab Eminentiſſimo Cardinale Pallotto virtute alterius Decreti eiuſdem s. Congr. Regul. *Die* 23. *Octob.*

1639 135 Reu. Mag. P. Fr. Paulus Lachinus Piſaurenſis.

Fuit hic poſtea in Capitulo Generali Romæ celebrato omnium electorum Patrum applauſu deputatus in Procuratorem Generalem in Curia pro toto Ord. *Die* 23. *Maii*. *Anno* 1649.

1640 136 Reuer. P. Mag. Fr. Philippus Vicecomes Mediolanenſis.

Sumit officium iſte nominatus ab eodem Cardinali Pallotto Protectore, virtute Brevis Sanctiſs. D. Vrbani VIII. *Die* 6. *Auguſti*.

Aſſumitur poſtea hic in eodem Capitulo Generali, de quo ſupra immediatè, vnanimi conſenſu in Priorem Gener. totius Ord. & optimè gubernat.

1642 137 Reuer. P. Mag. Fr. Chriſtophorus Brunellus de Monte Ilcinio.

Præficitur ex Decreto prædictæ ſacræ Congregationis. *Die* 10. *Maii*.

1643 Magiſter P. Fr. Lucas Mannuccius Pratenſis, qui ſupra, ab Eccellentiſs. Dom. Duce Mirandulæ in Theologum nominatur, eidemque præcipuã ſuæ ditionis negocia præſertim apud Sereniſſimos Magnum Ducem Hetruriæ, Reſpublicã Venetam, & Ducem Mantuæ commendantur. *Die* 22. *Auguſti*.

1644 138 Reu. P. Fr. Chriſtophorus Brunellus, qui ſupra.

Confirmatur pro tertio anno, per Decret. eiuſdem s. Cong. *Die* 18. *Martii*.
Confirmatio verò, ſiue propalatio Decreti ſucceſſit. *Die* 4. *Aprilis*.

1645 Baccal. P. Fr. Stephanus Nerius à s. Leonardo, iam in Theol. conſtitutus & Decemb. 1644. eligitur in Conſultorem s. Officij Sen. *Die* 12. *Febr.*

Redijt tandem poſt multos caſus, multaq; diſcrimina rerum ius eligendi Vicarium Generalem ad Patres Ilicetanos in Iuſtria, labore, ac ſudore prædicti Ambroſij Landucci Procuratoris, ad hoc ſpecialiter deputati.

A quibus Patribus Iliceti congregatis capitulariter ſub vno Præſidente itidem ex corpore Congregationis, aſſumitur ad gubernium.

1645 139 Baccal. P. Fr. Petrus Baldus Collenſis. *Die* 6. *Maii*.

Plurimum etiam inſudarunt pro libertate Congregationis Bacc. P. Fr. Stephanus Horius, qui ſupra Fr. Dorotheus Spinellius Ilicetanus, & Auguſtinianus Theodoſius itidem Ilicetanus, ſummos labores ferentes præcipuè in Curia Romana per plures menſes.

Pro conſeruanda, deperditaq; iterum recuperanda libertate, brachium potenter extenderunt præcipuè Sereniſſimus Magnus Dux Hetruriæ, & eius Fratres Matthias, & Leopoldus Principes, quos Deus diu ſemperq; incolumes ſeruet.

In Curia verò benignè ſubſtinuerunt, ne caderet Congregatio, Eminentiſſimi D. Cardinales multi, præcipuè Ioannes Baptiſta Pallottus Ordinis Protector Vigilantiſſimus, & Petrus Maria Burgheſius ſtrenuus ſuorum Concium defenſor.

Mag. Fr. Ambroſius Landuccius, qui ſupra, deputatur in Conſultorē s. Officij Senarum. *Die* 29. *Maii*.

Idem Ambroſius Landuccius in Capitulo Generali Romæ habito eligitur in Priorem Collegij s Auguſtini de Vrbe. *Die* 4. *Iunii*.

Eodem tempore Baccal. P. Angelus Vitellius Congreg. Ilicetanę, & Monaſterij s. Martini Senarum Alumnus, & filius, his titulis Confrater Ambroſij Landuccij, pro Priore deputatur in almo Cœnobio Papienſi, ubi corpus ſanctiſſimi Patris Auguſtini iacet, ſicuti & Romæ apud ſacras AEdes Auguſtinianas, Oſſa s. Matris Monicæ coluntur: & ita eadem tempeſtate duorum Ilicetanorum, & Confratrum Senenſium curæ, Pignora Sacra Sanctorum Noſtrorum Parentum demandantur.

Laurea Doctorali condecorantur Romæ Baccalaurei Theodorus Ferronius à ſancto Geminiano, & Stephanus Nerius à ſancto Leonardo, qui etiam Stephanus Senior Cœnobij Ilicetani efficitur, alter verò s. Stephani de Florentia. *Die* 13. *Ianuarii*.

Ad Baccalaureatum ex priuilegio aſſumitur Fr. Dorotheus, qui ſupra recuſante ſimilem gradum acceptare prædicto Auguſtino Theodoſio.

Ab Arte Propolarum accipitur pro Congregatione per Ambroſium Landuccium Eccleſia s. Mariæ conceptæ abſq; labe apud Montē Pietatis in Vrbe Roma, firmatis hinc inde aliquibus pactis, ſed ſanctiſſimo D. Innocentio X. non placuit præſtare conſenſum, & ſi ènixixe rogato, adiuuante Domino Cardinali Protectore.

Eccleſia s. Martini Senarum multorum ſanctorum, ac ſanctarum ſacris Reliquijs conſpicuis ditatur, clauſis elegantiſſimis Capſulis.

1647 140 Baccal. P. Fr. Octauianus Lapuccius de *Prato*. *Die* 13. *Maii*.

1649 141 Reuer. Mag. Fr. Theodorus Ferronius, à s. Geminiano. *Die* 25. *Aprilis*.

Hic à ſuprema s. Officij Congreg. Conſultor apud Reuerendiſs. Patrem Inquiſitorem Florentiæ deputatur.

Multa eleganter ſcripſit, & exarauit, typiſq; tradidit.

Ambro-

1650 Ambroſius Landuccius, qui ſupra, in Monaſterio s. Mariæ de Monte Carmelo senis in Decanum Almi Collegij PP. Theolog. eligitur. *Die 29. Sept.*

Idem Ambroſius per litteras Patentes Theologus declaratur Sereniſſimi Principis Matthiæ ab Hetruria Magni Ducis Germani. *Die 3. Nouemb.*

1651 142 Magiſt. P. Fr. Stephanus, qui ſupra. *Die 29. Aprilis.*

Fuerunt connumerati in Collegio Patrum Theologorum Senenſi tres Patres Baccalaurei noſtræ Congreg. s. Fabritius Landuccius, Hiacinthus de Aciaria, & Angelus Vitellius Senenſes. *Die 1. Auguſti.*

Dum Magiſter Fr. Ambroſius Landuccius præeſt Collegio Excellentiſſimorum Patrum Theologorum tamquam Decanus, comet Præſidente, ad hoc á Patribus ſpecialiter deputato, vná cum alijs duobus Patribus s. D. Hieronymo de Choris Inſignis Collegiatæ in Prouenzano Canonico, & Iſidoro Vgurgerio sacri Ord. Prædicatorum, in Senenſi Vniuerſitate sac. Theologiæ publico Profeſſore, ſanctiones, & Decreta eiuſdem Collegij reformantur, typiſq; traduntur, & publicatur per ſupradictum Fabricium Landuccium Procancellarium Collegij. *Die 30. Septembris.*

Bibliotheca Martiniana Senis reducitur in elegantiorem formam, nouaq; librorum copia, & ſupellectile augetur, & ditatur.

1652 Ex vi Conſtitutionis Innocentij X. ſummi Pontif. quæ Conſtitutio incipit Inſtaurandæ &c. ſupprimuntur duo ex noſtris Monaſterijs nempe s. Mariæ de Monte Specchio, & sanctæ Mariæ Gratiarum Ciuitatis Collenſis.

1653 143 Magiſt. Fr. Ambroſius Landuccius Senenſis, qui ſupra, tertiùm Vicarius Generalis eligitur. *Die 2. Maii.*

Ipſe eſt ille, qui hæc, quo potuit ſtylo exarauit, Typiſq; tradidit poſt aliquá alia humillima Opera, iam impreſſa, quæ ſunt.

Sacra Ilicetana Propago in duobus Tabulis æreis magnis inciſa, impreſſaque Senis Anno 1629. *Menſe Decembris.*

Sacra Ilicetana Syllua, Vulgari Sermone conſcripta, Senis luci tradita. *An.* 1633

Hiſtoria Beati Iacobi Piccolominei Senen. Eremitæ Ilicetani. *Senis An.* 1635

Origo Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Populo in Vrbe Italica lingua impreſſa. Romæ. *Anno* 1646.

Reſtant imprimenda, Deo dante, ea quæ ſequuntur, videlicet.

Attributa Mariana, ad numerum dierum, quos in humanis peregit eadem Beata Virgo, nempe 16271. duobus Voluminibus concluſa.

Sacra Corona Beatæ Mariæ Virginis Stellarum duodecim contexta, per quá Mariam ſine macula conceptam fuiſſe oſtenditur.

Officia propria ſecundum ſtilum s. Romanæ Eccleſiæ digeſta ſub ritu maiorum ſolemnitatum, ſcilicet Beati Thomæ de Villa Noua Archiepiſcopi Valentini, & B. Claræ á Montefalco Ord. Erem. s. Auguſtini.

Geſta B. Nicolai de Mariſcottis Senen. Ilicetani 14. Capitulis diuiſa, vulgari calamo exarata.

Sacra Ilicetana Sylua, quinque clauſa Capitulis ideſt Origo sacri Ilicetani Cœnobij, & Congregationis de Ilceto, additis Elogijs pro his, qui ſáctè & piè vtrobiq; germinarunt, materná lingua conſcripta.

Explanatio ſuper Antiph. *Aue Regina Cœlorum. Aue etc.* Et ſuper alia Antiph. Ord. Eremit. propria, quæ etiam incipit. *Aue Reg. Cœl. M. Reg. An. etc.* Quindecim Diſcurſus Prædicabiles complectens, Patria lingua dictata.

1654 Supradicta duo Monaſteria ſuppreſſa, ingenti labore, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia protegẽtibus Sereniſſimis Principibus Hetruriæ, multiſque Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Principibus Cardinalibus, præſertim Fabio Chiſio, Congregationis noſtræ Benefactore, ac Pro-

rectore munificentiſſimo, annuentibus Illuſtriſſimis, ac Reuerendiſſimis D. D. Aſcanio Piccolomineo de Aragona Archiepiſcopo vigilantiſſimo Senarũ, & Iacobo Bonaccurſio Epiſcopo Collenſi recuperantur,

Monaſterium Beatiſſimæ Virginis Gratiarum extrà Mœnia Ciuitatis Collenſis Vallis Elſæ, magno Ciuium cõcurſu, pioque apparatu, recedente Presbytero Sæculari, denuo ingrediuntur Religioſi Ilicetani. *Die 26. Iunii.*

Ad Cœnobium s. Mariæ de Monte Speculo ſub ditione ſpirituali, & etiam ſub Principatu temporali D. Archiepiſcopi Senarum, in agro eiuſdem Ciuitatis, collegialiter redeunt, acclamantibus Populis, ac plaudentibus incolis loci, ac circumſtantibus, Ilicetani Patres. *Die 5. Iulii.*

Deus Optimus Maximus, pro ſua pietate dignetur huic Vicario Generali, licet indigno, aſſiſtere, vt cuncta rectè agat ad vtilitatem Almæ Congregationis Ilicetanæ, & ad Gloriam ipſius Dei.

DEIPARAE VIRGINI GRATIAS.

PRO ADM. RR. PP. VICARIORVM GENERALIVM SERIE.

Fr. Andreas à S. Nicolao Congregationis Excalciatorum Hiſpaniæ Ord. Erem. S. Auguſtini.

Laudibus egregijs iſtius fama per orbem
It quoque iam Syluas, perſonat, atq; volat;
Clara Patrum series ipſam dum tanta coronat,
Seu cingit potius; quò fuga certa lupis
Agmine pervigili fuit, ac erit omne per æuum,
Deſuper auxilium Numine dante ſuum.

ELOGIA

ELOGIA
ILLVSTRIVM VIRORVM
QVI
IN SACRA EREMO,
ET
CONGREGATIONE ILICETANA
IN TVSCIA
Ordin. Erem. S. P. AVGVSTINI,

Fructificarunt ſuauitatem odoris, nempe Beatitudinem.

Cum Adnotationibus ad eadem Elogia

De Diuo Patente AVGVSTINO Loci Fundatore.

Sanctus P. AVGVSTINVS Tagaſtenſis Patricius, Hipponæ Antiſtes, Eccleſiarum Præceptor, Fidei Propugnaculum, Hæreſum Fulmen, Hæreticorum Malleus, Magiſter Doctorum, Vitæ Sanctitate colendus, paulo poſt à Baptiſmate pullulaſcentem Ilicetanam hanc inuiſens Eremum, eam ſibi delicium elegit, ac optimis, ſanctiſq; firmauit inſtitutis.
Anno CCCLXXXVIII.

ADNOTATIO.

TItulos, quibus in anteriori Elogio aſſectus eſt Magnus Pater Auguſtinus, elicimus ex multis Scriptoribus, & ſacris Doctoribus, præcipuè ex Chronicis Ioſephi Pamphili Veronenſis Auguſtiniani Epiſcopi Signini, & ex Præfatione, quæ canitur in Miſſa propria eiuſdem S. Doctoris, ibiq; hos, & alios reperies benigne Lector. De tranſitu autem D. P. Auguſtini poſt Baptiſmi gratiam per Tuſciæ ſacras Eremos, & præſertim per Ilicetanam videre poteris M. S. Commentaria Ilicetanæ Bibliothecæ, ſeu Archiuij, ſcilicet Fr. Hieronymum de Bonſignoris Ilicetanum, qui ſcribere cæpit Anno 1514. Fratrem Bernardum Monaldum, cuius M. S. Beatorum Vitæ, initium habuerunt

buerunt An. 1547. Fratrem Athanaſium Fullonicenſem, his non admodum poſteriorem, ſcripſit namque Ann. ferè 1571.

De hoc eodem tranſitu agunt inter alios ſine ambiguitate Martinus Papa V. æternæ recor. In ſermone Ad Fratres Auguſtinianos de Translatione Corporis S. M. Monicæ apud nos pag. 15. vbi ſic ait. *Quo medio tempore Auguſtinum ferunt ſanctorum hominum conſilia quæſiuiſſe, quorum præcipuè in Tuſcia multi fuiſſe Cœnobitæ dicuntur, hodieq; apparent apud Poſteros illorum colloquiorum veſtigia. In his vos adhuc frequentibus conſortiis habitaſtis. At nos cum ex Florentia Romã venimus, quædam vidimus in Agro Senenſi, nec ſine magna huius recordationis voluptate per Fratres illos tranſiimus, tamquam adhuc vetuſtiſſimarum cellularum, ac ſpeluncarum veſtigia ſpectaremus.* Poſtilla verò Marginalis appoſitur his, *ſcilicet, Martinus Papa 5. Eremos Senenſis Agri adiuit, atq; commendauit,* & quòd hoc intelligatur de Iliceto noſtro,& non de Cœnobio Centũ Cellarũ, aliàs Sanctiſſimę Trinitatis clarum eſt, cum Cœnobium prædictum Centũ Cellarũ in Agro Romano ſeu Eccleſiaſtico, & non in Senenſi reperiatur: quidquid dicat Cornelius Lancillottus in vita S. Patris Auguſtini cap. 8. pag. 139.& Marquez O ig. FF. Erem. cap. 8. pag. 129. & Herr. Reſp. Pac. pag. 227. at hoc apertè declarat Ioãnes Bildominus Iſtoria senn. m. s. apud nos pag. 104. vbi ſic ait *Anno 1429. àdi 20. Septemb. Entrò Papa Mart. per lo piano del Lago, e per Lecceto, e poi vène per Treſſa per cagione della Peſte.*

Franciſcus Rappius Presbiter Secularis Senenſis, Lima Spirit. pag. 32. p. 2. ait. *Potiamo tener per certo, che quelli, che prima abitauano tale luogo* (loquitur de Iliceto) *haueſſero principio da eſſo Diuo Agoſtino, e queſto ſi conferma ancora perche, etc.*

AEgidius Card. In Panegyrico Ilicet. apud Bonſignorum pag. 10. & Marcuccij pag. 22. ſcribit *In perquirenda loci antiquitate,* (*nempe Iliceti*) *initium à D. Auguſtino tradita, inuenit in Hetruriæ ora.*

Iugurta Tommaſius p. p. Hiſt. sen. pag. 5. diſſe *Si ſa molto bene, che quel Gran Dottore s. Agoſtino, fu al Monaſterio di s. Lucia in Val di Roſia, et à quello di s. Saluatore à Selua, hora detto di Lecceto 2. miglia vicino à Siena.*

Picturæ etiam in Clauſtro Beatorum Iliceti appoſitæ ab An. 1442. demonſtrant aduentum magni Doctoris cum s. Parente Monica, & cæteris ſocijs, quos ſecum Mediolano adduxit.

Conſpiciuntur veſtigia ſacelli erecti in eiuſdem aduentu à parte ſeptentrionali inter ingreſſum Cœnobij, & Ciuitatem Senarum, vbi ſculpta in marmorea tabula ſupra quadam vetuſtiſſima porta, iſta leguntur verba.

Hic vbi iam primum Ilicetanum Domicilium uſq; sub An. 388. erectum fuerat S. P. Auguſtinus aliquandiù permanſit.

Intra Templum ſupra Oſtiũ ad Imaginem S. P. Auguſtini ibi depictã, *Magnus P. Aug. hanc Ilicet. Eremum viſit ſanctiſq; firmauit inſtitutis An. ferè 388.*

Intra verò aditum, maioris viridarij communter ab habitatoribus *Prouintia* appellatum contra Portam itidem ſub Imagine Diui parentis, hæc habemus S. *P. Auguſtinus Tagaſtenſis Patricius, Hipponæ Epiſcopus, Eccleſiæ Doctor Pater, ac Paſtor noſter inclytus, poſt Baptiſmum Romam petens, per Hetruriæ deſerta proficiſcens, ad Eremitas in hac Sylua commorantes, cupidè deſiexit, quos in vnum hic congregatos, optimis firmauit inſtitutis. Anno ferè 388.*

Et ſi quis obijciat, Sanctiſs. Parentem Auguſtinum in lib. confeſſ. vel alibi, nullam prorſus mentionem facere de hoc tranſitu; reſpondemus cauſam fuiſſe, tum quia hoc noſtrum Monaſterium tunc temporis non habebat nomen proprium, tum etiam quia vt ipſemet s. Doctor fatetur, multa in albo reliquit, vt de principalioribus meliùs ageret, quare nec etiam ſermonem facit de tranſitu per Montes Piſanos, & ſi hoc Lippis & tonſoribus, ac toto Cœlo pateat.

BEatus Blasius Longæuam ducens vitam, etiam D. Antony exemplis, & Sanctiss. Præceptoris Augustini institui metuit; Porrò morum candore suorum à Zenobio quodam Romano Tribuno, per S. Mart. & Episcopum Aretinum Donatum dudum lustrali fonte perfuso An. 11. Damasi Papæ, & Valentiniani Imperatoris Anno 1. humanæ salut. 368. Vallasprense Cœnobium, latiori donatus est agro, vbi iacet, & colitur, obijt post acceptã Reg. à D.P. August. An. CCCLXXXIX.

ADNOTATIO.

QVæ hìc de B. Blasio traduntur decerpsimus ex quodam Instrumento, siuè Tabulis Vallasprensis Monasterij confectis; conscriptisq; per Iulium quendam Iudicẽ Ordinarium, & publicum Notarium, vhum ex Valentiniani Imperatoris Ministris, scribentem donationem S. Iuæ Funiani, quæ Vallasprense circuit Cœnobium, donatæ prædicto B. Blasio à Zenobio quodam Romano Tribuno, dudum recens ad fidẽ Christi conuerso. Huiusmodi Tabulæ accuratè asseruantur in Capsa Scripturarum prædicti Monasterij, sunt enim visu admirabiles, cum tantam redoleant antiquitatem. Exemplar verò in autentica forma in libro Priuil. Collegij Iliceti. pag. 152. De hoc Instrumento agit diffusè Tommasius lib. 1. Hist. sen. ad quem remittimus Lectorem. Ab hoc Zenobio Tribuno, vt dicitur, profecta est Prosapia sanctissimi Antistitis Zenobij Florentini, & si in præsentiarũ de Hieronymis nuncupetur, cui sententiæ cũ adhæreat Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Franciscus Nerlius Archiepiscopus Florent, Vir cuncta rum virtutum genere ornatissimus, etiam & nos assentimus.

Reliquiæ huius nostri B. Blasij, vnà cum multis alijs præsertim Sanctissimi Loci Protectoris Antonij, in Ecclesia Vallasprensi, magno populorum concursu coluntur. Ex his s. Reliquijs ne è aliqua ex b. achio s. Antonij ad Ecclesiam s. Martini sen. superiorius annuentibus translatæ fuere, vbi sæpe fidelium pietat. exponuntur.

De hoc Beato fit verbum in vita B. Ioannis Chilij, impressa Coloniæ An. 1641. pag. 30. Doctiss. Herrera Alph. August. pag. 674. p. p. & pag. 291. & 423. 2. p. ponit Monasteriũ hoc, pro alio eidem D. Antonio dicato, constructo apud Lacus Ambrosianos, Herreræ per relationem scribenti libentissimè parcendum est.

Bullam Innocentij Papæ III. de qua agunt B. Iordanus de Saxonia lib. p. de Vitis Fratrũ cap. 14. pag. 304 Et Ambrosius Coranus in suis Chronicis pag. 9. & Seripandus in Comment. constanter affirmamus fuisse primam à s. Sede Ordini nostro concessam, & confirmantem eidem Ordini Hoc Monasterium Vallasprense, illudque redigentem sub protectione Apostolica. Bulla incipit. *Solet annuere Sedes Apostol. etc. Dat. Lateran. 12. Cal. Iunis 1198.* Primum exemplar est in Archiuio Iliceti.

Illud de Opima putamus corruptũ vocabulũ, & corrigendũ de Vuopini, Villa Agri Sen. In Porticu ad dexteram intrantis idm legebatur modo vetustate corrosa, hæc Iscriptio.

Addebat Christi bis septem lustra trecentis
Annis mendaces Roma perosa Deos.
Sceptra Valentinianus habebat Cæsariaq;
Damasus in Petri sede locatus erat.
Cũ Sanctũ hoc Blasius deserte cultor Eremi
Diue tibi Antoni sponte dicauit opus
Sub tali anno dura Principe latus vtroq;
Per quartum nonas Maius agebat iter.
Id pius Antistes Donatus parte sacrauit
Vt puro hic Sanctus . . . . . .

Intra Ecclesiam solutæ orationis breuioribus verbis, hæc cuncta explanantur: Has sacras ædes D. Antonio dicatas, Blasius Eremita construxit, sanctusque Donatus, consacrauit. D. Damaso Sum. Pont. & Valentiniano Imperatore, anno 370.

De

3 De B. IACOBO PICCOLOMINEO Sen.

BEatum Iacobum, cuius nobilitatem Picolominei ſatis offendit agnomen, humi cubantem, crudis veſcentem, vina abhorrentem, cilicinis veſtientem, in oratione Dei pernoctantem, corpus cædentem, ſignis radiantem, puſillum in terra, magnum in Cœlo, quò per manus Angelorum fuit aſportatus, vbi ſine fine exultat, accepta corona immarceſcibili.

Die 4. Februarij. An. MLXXIV.

ADNOTATIO.

BEatum Iacobum, vetuſtiſſimum Ilicetanorum lumẽ, plurimum laudant Card. AEgidius Viterb. in Paneg. M. S. qui aſſeruatur Romę in Bibliotheca Angel. Originale verò in Archiuio Ilicet, de quo ſupra in prima adnotat., ibi hæc habentur. *Quid Fratrẽ Iacobum dixerim, Ciuem Primariæ nobilitatis, humi cubantem, crudis veſcentem, vina fugientẽ, cilicina indumenta, non lanea induentem.* Rappius Presbyter Senen. Lima ſpirit. pag. 33. Magiſter Pater Stephanus Vgurgerius Ilicet. Orat. B. Ioann. Incontri excuſa Senis Anno 1592. Apud Bonettos. Simplicianus Bonon. Lib. Centur. pag. 36. AEgidius Marconius AEſinas in Indice Sanctorum, & Sanctarum, & Beatorum Ord. ſub Litt. I. Ioſeph Signinus Epiſcopus in Chron. Ord. pag. 66. Hieronymus Bonſignorius Ilicet. in Memor. manuſcripto pag. 11. Athanaſius Marcuccius à Monte Fulionico in alio Memoriali manuſcripto pag. 24. Magiſter Fr. Camillus de Talentis, ſiue de Nocęis in enarratione Beatorum, Columna prima, Author Vitæ B. Ioannis Chiſi pag. 31. Card. Hieronymus Seripandus Neapol. Ord. s. Auguſt. in Elenco ſanctorum, & Beatorum Ord. pag. 16. Cruſenius tertia parte cap. 31 pag. 163. Simplicianus Sanmartinus Hiſt. Sanctorum Ord. D. Auguſt. edita anno 1641. pag. 440. Realdus cum Imagine Tabulis æreis ſtemma Herorum. Franciſcus Modius Orig. Ord. Eccleſiaſticorum in Indice. Herrera Alphab. Auguſt. prima parte pag. 179. Paſinus lib. 3. Iconum. Aloyſius Torellus Centuria 3. pag. 28. de eodem quoq; fusè agitur.

In quodam Inſtrumento, *ſacri Horrori Leccetani* nuncupato, condito Ilicęti ſub fide ſpectabilis Viri D. Vincentij Caſini Ciuis Sen. Imperiali auctoritate Notarij, exarato per Mag. Fr. Gregorium de Fulgineo Auguſtinianum, in caſu quando multa corpora Beatorum inuenta, & detecta fuere, cum maiorem Aram in commodiorem formã reduceretur, Anno 1630. et poſtea pęalo dato Senis Anno 1636. ſub anſpicijs Illuſtriſſimi Equitis D. Perſij Falconcinij Volaterranei M. Ducis Hetr à ſecretis.

Iacet Corpus Venerabile huius B. Plumbea Arca concluſum in inſigni Metropolit. Eccleſia Senarum, sub Altari *Deiparæ* Virgini Senenſium Patronæ dicato. Remittimus benęuolum Lectorem ad noſtram Hiſtoriam Typis Senis datam Anno 1635. confectam rogatu multorum Illuſtrium virorum, ea occaſione quãdo inuenta fuere eius Oſſa, dũ Excelſus Senatus Populuſq; Senenſis grati erga ſuã Tutelarem munificentiſs. pijſſimamque Mariam Deiparam, pro gratiarum actione cogitant in meliorem formam reducere predictũ Altare, liberati potenter, & non ſine miraculo ab eadem Dei ſacratiſſima Matre à communi Lue, quæ totam ferè Puſciam ditè deuaſtauit Anno ſupradicto, percuſſis etiam aliquibus intra Ciuitatem.

Hęc Hiſtoria Italica Lingua exarata à Nicolao Fantinio Senis Publico Typographo Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſimo Dom. D. Aſcanio Piccolomineo de Aragona, ſapientiſſimo, Integerrimo, ac Vigilantiſſimo Senarum Archiepiſcopo data, & dicata fuit, cuius Hiſtoriæ vnum exemplar in membrana impreſſum intra vitreã ac pulã ſimul cum noſtri Beati ſacris pignoribus, in eadem Publea Capſa, eodemq; in loco, in quo inuenta fuit, reſtituitur.

4 De B. ANTONIO ALEXANDRINO Sen.

BEatus Antonius Alexandrinorum ſuorum claritatem axpernatus inq; clariorem vitæ rationem præcipueq; iugem cœleſtium contemplationem, arcanorum traductus, nonnunquam ſuperato corporeo molis pondere, abſtractus à terra inſublimi pendere viſus eſt, qua dulcedine perfuſus, ne momento abijs, ſe diuelli paſſus eſt, translatus tandem ad immortalem gloriam. Anno à Virgineo partu. M. C. LX.

ADNOTATIO.

HVius viri Sanctiſsimi Vita commemoratur à Beato Philippo Agazzario, cuius ſcripta modo nõ exſtant ob naufragium Gener. Mariani Genezzanenſis Ilicet., in quo magnus ille Liber Geſtorum Patrum, ac Beatorum Ilicet. periere apud Puteolum, & quicquid reliquum erat monumenti apud maiores noſtros, conſumptum fuit igne inprædatione noſtri Cœnobij, in vltima Senarum obſidione.

De eodem agitur in Enarratione Beatorum Ilicet. excuſa bis Senis Ann. 1613. & 1623. per Magiſt. P. Camillum Noccium apud Lucam Bonettũ. Magiſt. F. Stephanus Vgurgerius in Orat. B. Io: de Incontris Senis impreſſa Ann. 1592. Card. AEgid. Viterb. in ſuo Ilicet. Panegyrico m. s. F. Athanaſius Marcuccius in Cõment. ſuis m. s. pag. 24. F. Hieronymus Bonſignorius in ſuo Memor. pag. 11. Mag. Gregorius de Fulginio Sacri Horrori Ilicet. Card. Seripandus in Elencho Sanctorum, ac Beatorum Ordinis, Romæ prælo dato Ann. 1551. Alphonſus de Oroſco in Chronicis Ord. Hieronymus Romanus Cent. 11. pag. 87, Vita B. Io: Chiſij pag. 31. Rappius Lima ſpirit. pag. 32. Torellus Bonon. pag. 329. qui cum Hieronymo Romano æquinoctium admittit, quo ad Ann. in quo mortuus eſt Alexandrinus noſter, ſicut æquinoctium facit Herrera ſumendo hunc pro alio Antonio à Montecchio, tribuendo ei cognomen Cerretanorum.

Alexandrinorum namque, & Cerretanorum Familiæ, & ſi in Ciuit. Senen. nobiliſſimæ, tamen minimè vnitæ, nec quoad cognomen, nec quoad Stemmata, imò Alexandrina iam penitùs extincta eſt, vno tantum viro ſuperſtite in præſentiarum; viget quidẽ oletque nobilitate, cunctarumque virtutum ſplendore Cerretana, quæ vnà eſt cum Bandinellia, ex qua tanquam ex equo Troiano quàmplures Heroes prodiere, inter quos Alexander III. Max. Pont., & Nicolatius noſter, de quo infra, & ſi nobis non adeſſet illa regula *Laudа poſt vitã, magnifica poſt conſummationem*, multi modo viuentes ex hac progenie ſummis laudibus eſſent extollendi.

Sed vt ad rem noſtram redeamus, Antonius, de quo agimus, eſt valde diuerſus ab Antonio à Montecchio, qui nec etiam eſt ex prædicta Familia Cerretania, aut Bandinellia: ſed & ſi vir ingenuus, ac religioſiſs. probatiſſimæ vitæ, attamen non claro ſanguine, ſed obſcuro loco natus, de quo habebimus ſermonẽ infra, Eleog. 40. Familia Cerretania præciſè conſiderata, tantùm noſtræ Religionis dedit Nicolaum Cerretanium, & prout vna eſt cum Bandinellia B. Nicolatium.

Antonius hic Alexandrinus procul eſt ab Antonio à Montecchio Ann. 497., & à Nicolao Cerretanio Ann. 236., de quo etiam infra conficietur Eleg. ſuo loco: non mirum tamen ſi Herrera, & Torellus aſſecla eius hæc protulerint, quia diſtant à Codicibus, in quibus hæc veritas apparet, quantùm Alexandrinus eſt longè tractu temporis ab Antonio de Montecchio, & Nicolao Cerretanio.

De BEATO LATINO Sen.

BEatus Latinus ex Senioribus Ilicetì Syluestribus, cum illo enim Virorum Seraphicus Dux Magnus Franciscus vixisse fertur, inter Ilices hic latitans, Deo paruit, & hominibus: pro illo vitæ asperitatem in delicijs habens, mors non timuit, pro his autem nec viuere recusauit, quo communes sentiret ærumnas, & referret cum tentatione proueniu n, cuius nunc ubertate potitur. Obijt Anno salutis. M. CC. X.

ADNOTATIO.

NOn desunt, qui Beatum hunc Latinum tum scriptis, tum typis non celebrent; inter quos, vidimus Card. Seripandum in Elencho iam citato pag. 56. Athanasium Fallonicensem pag. 29. Camillum Noccium in prædicta Relatione num. 6. Stephanum Vgurgerium in Oratione iã citata, AEgidium Marconium in Indice Beatorum, ac Sanctorum Ord. lit. L. Simplicianum Bonon. pag. 39. Episcopum Signinum in Chronicis Ord. pag. 134. Marlionem Limæ spiritualis 2. par. pag. 32,, Gregorium Fulgineum, sacri Horrori Leccetani.

Card. AEgid. Viterb. in Paneg. superiùs citato, cuius exemplaria extant in *Archilio* Ilicet. in Bibliotheca *Angelica* de Vrb. in membrana exarata; ac etiam in lib. : : Epistolarum eiusdem AEgidij collectarum persapientis. Virum Fratrem Seraphinum de Ferris, quæ reperiuntur in eadem Bibliotheca, & apud Hieronymum Bonsignorium lib. Comentariorum pag. 10.; & apud Marcuccium pag. . , in quo Paneg. de nostro B. Latino, hæc leguntur verba *Quid Fr. Antonium? qui? Fr. Latinum senensem utrinquè, et utrinquè dispari statu sanctimonia pari, alterum perpetuis precibus, alterum Fratrum haritat usque ad vitæ discrimen seruientem*, illa quæ apponuntur verba *Fr. Antonii*, de *Alexandrino*, de quo in præterito Elog., intelligenda sunt; qui Latinam præcessit ann. 50.

Venerabilis *Alphonsus* de Orosco in Chronicis *Augustinianis*, Latinum virum valdè deditum silentio, & contemplationi prædicat, & a claustrali reclusione commendat.

Hieronymus Romanus Conturia 11. pag. 85. pœnitentia, & sanctitate clarum eum declarat, sed Hieronymus errat, aut errare eum facit Typographus, ponendo Latinum ad ann. 1448.

Pasinus libro Herorum sub Imagine nostri Beati, hæc verba excitauit. *Latinus Senensis, Religione perinsignis in Galorum patriam aduolauit.*

Magister accuratissimus Herrera *Alph. August.* 2 par. pag. 3 hæc formauit verba *B. Latinus Senen. eremiticam Augustini institutionem amplexus sacrarum Ilicum priscas ædes splendore sanctitatis illustrauit*, verba equidem grauissima, & huius viri meritis consona *Auth.* tantę existimationis digna; tantum vacillant circa an. in quo obit, ponendo ad an. 1191.

Torellus Cent. 2. pag. 146. qui & si dicat falsum esse, hunc Beatum posse dici de Congregatione Ilicet., hoc vtique conceditur; Congreg. enim Ilicet. illa tempestate, in qua floruit iste Vir Dei, nondum erat fundata; at nobis sufficit, Latinum esse alumnum nostri *Almi* Cœnobij Ilicetani antiquiore tempore constituti; non nocet ergo.

Quòd aliquando vixerit Latinus Ilicęti cum D. Seraphico Francisco, vltra quod correspondet tempori, apertè videbimus in sequentis Elogij adnotatione.

6 De B. ANTONIO PATRITIO Sen.

A Spiritu Sancto in deſertum Ilicet. ducitur Antonius Puellulus nobiliſs. Parentum relictis opibus ad ſalubrem Relig. ſtatum anheans habitu indui voluit, inde aulſus, ad Montemcianum miſſus, ibi ſe pietatis præbuit argumentum, recte didiciſſe viam eternæ Patriæ oſtendens: poſt eius obitum per multa ſæcula in ſignum virginitatis, quam ſemper cuſtodiuit, annuatim ex eius ore lilium candidũ germinabat, dum ipſe æternis fruebatur delicijs: obyt. Anno M. CC. XXX.

ADNOTATIO.

DE Antonio noſtro, bene adimpletum eſt dictum illud Spiritus Sancti. *Iuſtus germinabit ſicut lilium. Oſeæ cap. 14.*

Prædictum Oppidum Montisciani in Ditionẽ Sen. quod hac noſtra ætate ſub Marchionatu Illuſtriſs. Familiæ Comitũ Ilcium degit, decẽ millibus paſſuum diſtat à Cœnobio Ilicet. dignum fuit his perfrui Dei magnalibus, ibiq; corporis ergaſtulo in cæleſtem libertatem euolauit, ſepultuſq; ſub Templi ſubgrundijs, vbi cæteri Religioſi ſepeliebãtur, & ſemel in anno (mirabile factum) ex eius ore oriebatur lilium.

Id quod Religioſos pios Monaſterij, & Populum induxit ad exhumandas Sacras exuuias, & intra Eccleſiam erponẽdas, vbi crebreſcente miraculorũ fama, poſtea in Altari eiuſdem nomini erecto, locatæ fuere, ibiq; in præſentiarum magno Populorum concurſu coluntur integræ, ac ſi nunc ab Anima relictæ eſſent, & palam conſpiciuntur; vſq; nunc in loco, in quo iacuit, quĩ eſt viridarium, naſcuntur lilia, quæ ob reuerentiam, & memoriam Beati à fidelibus euelluntur, & conſeruantur.

Inſuper magno apparatu bis in anno oſtenduntur Populorum affluentium pietati. ſcilicet in die S. Petri Apoſtoli, cui dicata eſt Eccleſia, & vltima Dominica Aprilis, quæ huius Beati propria eſt feſtiuitas, nihil tamen certi habemus an iſta ſit dies, in qua ad ſydera euolauit eius Anima, vel in quã tranſlatum fuit eius venerabile corpus, quod antequam detegatur populo, à circunſtantibus cantatur Hymnus, Verſiculus, Antiphona, & Oratio propria in eius Laudes, ſicut, & pro Matut. duo Antiph. propriæ, & etiam in mane eiuſdem feſtiuitatis Miſſa canitur ſub ritu vnius Confeſſ. ſimplicis.

Prædictus Hymnus, Antiphona, Verſiculus, & Oratio, ad immortalem noſtri Beati memoriam in lucem dantur à ſolertiſſ. Herrera Alph. Aug. p. p. pag. 9. in Elogio de eodem confecto. Hymnus Incipit. *Alme Confeſſor ſupplicet Antoni, et Antiph. Almum diem recolimus celebritate annua Antoni etc. Orem. Deus cuius maieſtatem per Vniuerſum mundum creaturæ tuæ vndiq; mirabilem proteſtatur, largire ſupplicibus tuis, vt meritis, et interceſſione Beatiſſimi Antonii Confeſſoris tui, de præſenti miſeria ad æternæ Beatitudinis gaudia feliciter tranſeamus. Per Chriſtum etc.*

Sub nomine, & Inuocatione huius Beati intra Clauſtra prædicti Monaſterij, eſt erecta Societas Laycorum, qui in, vt vulgo dicunt, Stendardo, deferunt Imaginem Beati, ex vna parte, ex altera D. P. Auguſtini.

Eius etiam Imago, non ſolùm in prædicto Altari, ſed multæ æreſculptæ circũferuntur.

De eodem Beato Antonio agunt omnes noſtri Scriptores præſertim ſupra citati. Ioz Biſdominus in Hiſt. m. s. Sen. pag. 22. de eo ait. *In detto An.* nempe 1286. *Hauiamo B. Pietro, che Santificò in Valle di Roſia, e B. Autoniò, che il corpo è à Monte Giano tutti Cittad. Saneſi.* Magiſt. Philippus de Bondelmontijs ſeruita in Cathal Hominum Illuſtrium Senen. de eode ait. *Antonio Patritii Agoſtin. huomo di ſantiſſima vita*

In Arca in qua ſeruatur Beati Corpus, duab' clauibus clauſa, vna apud Priorẽ Societatis, altera apud Priorem Monaſterij, à qua plurima vota fideliũ pendent, ibi ſunt appoſita ſequentia. *Hic iacet Corpus B. Antonii de Patritiis Senen.*

De

De BEATO PETRO Sen.

BEatus Petrus ita in Religionis vinea fructificauit, vt fructum suum benè dederit tẽpore suo, adeò ab vrbanis abhorruit frequentioribus discordys, adeò mundo vale dixit, vt apud omnes Sancti glorioso honoraretur nomine. Belli, Famis, Pestis, aliorumq; diuinorum prædictione supplicio-rum adeò suos exterruit Ciues, vt de ipso tremebundi consuetè dicerent. Vtinam Sanctus bona nobis enunciet, vnde, & eorum ad Deum conuersio, etiam ipsius ad Cœlum felicissima reuersio profecta est. Die 25. Decembris. Anno M.XXXIV.

ADNOTATIO.

OB Huius sancti Viri virtutes, & merita, multi scriptores elaborarunt, vnanimiter B. Petrum admirabilem prędicando propter prædictionem præcipuè veracissimam calamitatum, quæ Reipublicæ Senensi euenturæ erant.

De eodem præsertim agunt hi, qui in superioribus Adnotationibus' sunt citati. Inter recentiores autem habemus Marcellinum Altesium Elog. m. s. apud nostram Syluam Ilicet. par. p. pag. 119. & Raphaelem Pasinum Venetum Augustinianum in suo pulcherrimo lib. m. s. qui peculiari diligentia seruatur sub duplici claue in Bibliotheca Angelica in Vrbe apud Monasterium s. Augustini, quã Bibliothecã pijs, magnisque sumptibus fundauit Magister Fr. Angelus Rocca Camertes sacrarij Põtificij Præfectus, & Episcopus Hipponensis, Vir vtique doctissimus, & inter Augustinianos Heroes meritò numerandus, ab Authore sumens prædictã Bibliothecã Angelicæ cognomen. Sed ad nostra redeamus, in hoc Pasini lib. 3. Iconum sub Imagine huius Beati leguntur hæc verba: *Petrus Eremita ad recuperandam Hierusalem Christianos Principes, sua sanctitate excitauit.* Id quo Pasinus, vt ipsemet testatus est, extraxit ab AEgidio Card. in Historia m. s. quæ reperitur Romæ in prædicta Bibliotheca Angelica, sub titulo *Historia viginti Seculorum.* Quæ & si sit dignissima visu, nunquam tamen visa nisi ab paucis, quia ipsa minimè lumen vidit, sicut & Opus Pasinij. Iterũ ad nostra.

At nos de hac excitatione ad recuperandã sanctã Ciuitatem apud nostros Scriptores nil inuenire potuimus, adhibita etiam non vulgari diligentia, tamen hoc credendum est ob eximium huius Beati viri zelum erga Religionem Christianam, & his Authoribus testibus omni exceptione maioribus.

Insuper habemus Franciscum Modium de Origine Ordinum Ecclesiasticorum in Indice, Realdum, vt supra, Petrus Mairon in suo Patriarchatu cum Imagine, AEgidium Viterbiensem in Panegyrico de Laudibus Iliceti apud Bonsignorium pag. 13. & Marcuccium pag. 30. Qui Marcuccius pag. 24. hæc ait. *Fr. Pietro da Siena per Cognome il Santo attendeua di continuo alle contemplationi, et haueua spirito di Profetia, le cose future, come se presenti fussero: profetaua, talche di lui era in prouerbio, Dio vogli che il Santo ci annuntii bene.* Herrera 2. p. alph. pag. 243. refert verba propria AEgidiana in Panegirico, quæ sunt, *Quis audeat recensere Fr. Petrum senen. cognomine sanctum, quem adeò tam fixè vacasse diuinis sebus aiunt, vt ne momentum à diuinis flecteret aciem? Quis vnquam etc.* & miratur Herrera aruisse fœcundã illam Sanctorum segetem in nostra Eremo: at si ita est, tristamur, sed vtinam: hoc tantũ ibi.

In quodam Catalogo Beatorum posito in principio Commentariorum Hieronymi de Bonsignoris pro rebus Ilicetanis, hic vir Beatus Petrus dicitur exclusus ex familia Nobilissima Salimbenia, qua ratione ducti nos in nostra Arbore Ilicetana hoc Cognomen ei tribuimus, aliam verò strictiorem rationem minimè reperimus.

De

BEatus Petrus, tanto deflebat Chriſtum Crucifixum ploratu, vt nemo vnquam non lacrimantem aſpexerit. risus perpetuus, ſeuerus, acerrimuſq; extitit aduerſarius: obijcientibus autem illa verba. Hilarem à Deo diligi datorem, ſe hilarem eſſe lacrymarum datorem reſpondebat, vnde etiam Lacrymantis cognomen vbiq; adeptus eſt, ad Patriam tandem exultationis transyt. Anno M. CC. XXXII.

ADNOTATIO.

OPpidum Roſia, in quo ortus eſt Petrus quinque miliarijs a Cœnobio Ilicet. diſtat, in ipſo ex honeſtis naſcitur Parentibus Petrus, cuius Sanctitatē teſtantur, præter alios, qui agunt de Beato Iacobo Piccolomineo, Andreas Gelſominus Cortonenſis olim Procurator Genetalis pro toto Ordine Auguſtiniano in Curia Romana, poſtea Epiſcopus Aſculanus in ſuo Theſauro Deuotionis Ba. M. V. pag. 171. Realdus in Stem. Sacrorum Heroum cum Imagine. Simplician. in ſanmartini | à 3. 441. Fr. Gregorius Fulginas Sacri Horrori Leccetani. Paſinus Venetus cum figura lib. 3. Iconum. Cruſenius Monaſticon Auguſtin. 3. par. cap. 13. Aloyſius Torellus Cent. 2. pag. 215. Author Vitæ B. Io: de Chilijs cap. 5. pag. 30. agitur de eodem à Beato Philippo Agazzario vti referunt multi ex noſtris in illo volumine rerum Ilicetanarum, tum maximè deſiderato, tum deperdito: tamen, Deo diſponente, non periit cum eo omnino memoria huius Dei ſerui: plurimum debemus Bernardo Monaldo, qui aliqua fragmenta huius diuini ſcriptoris Agazzarij collegit, in vnumque redegit volumen, in quo conſcripſit Geſta aliquorum Beatorum; ex noſtris ab eodem Agazzario exarata, ſed (proh dolor) hoc volumen etiam ab inuida manu ſunt mutilatum; in eo tamen teſtat in principio memoria huius Beati.

De eodem AEgidius Card. in prædicto Paneg. hęc reliquit. *Porrò Petrum alterum nemo non miretur ſi de Valle Roſiæ dicebatur, vnde Roſcius cognominari ſolitus, is tanto fletu Crucifixū deflebat, vt nemo vnquam non lacrymantem viderit. Riſus, locorumque acerrimus aduerſarius ſemper extitit. Qui ſiquis accuſaſſet triſtitiam, vtiquidam, qui illud Apoſtoli obiicierunt, datorem à Deo hilarem adamari, reſpondebat. Hilarem eſſe lacrymarum datorem etc.* Hæc AEgidius inter alia, quæ breuitatis gratia relinquimus, quæ referuntur à Hieronymo Boſſignorio in ſuo mem. pag. 11. & à Marcuccio pag. 30. in ſuis adnorationibus; qui Marcuccius eodem in loco pag. 24. de hoc noſtro Beato, hæc habet verba *Fr. Pietro da Roſia, chiamato il Roſſo non ſi tegià mai ſenza lacrime: e però eſſendoli da certi rinfacciato quel detto. Hilarem datorem diligit Deus. Riſpondeua eſſere allegro dator di lagrime, ſoggiongendo, absurdum eſſe, attendere il ſeruo à piaceri quando che il ſuo Signore era affiſſo alla Croce.* Sciebat etiam Petrus lacrymas verſuras eſſe in gaudium, iuxta illud. *Euntes ibant, et flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem, venient cum exultatione portantes manipulos ſuos Pſalm.* circa hæc verba AEgidiana relata, vt dictum eſt, dicere-mus, ſi liceret, ideo de Rubeis appellari Petrū, non quia oriundus à Roſia, ſed à cognomine, cum hæc Familia de Roſſi, adhuc in dicto Oppido reperiatur.

Habuit Patriam communem cum hoc noſtro Beato ſanctiſs. ille Pont. Romanus Lucius III. qui vti habemus in Chronicis antiquioribus noſtræ Ciuitatis Senenſis pag. 20. Anno ſalut. 118. ortum habuit apud Oppidum Roſiam veterem, quod etiam hiſce temporibus à Roſia, quæ nunc extat, parum diſtat: Roſia eſt in loco amœniſſimo; ſed ab aeris intemperie deturpatur, vno miliario ab ea ſurgit vena aquæ, ab aliquibus non ſine prodigio reputata, ac celebrata, à qua oritur fluuius, qui dicitur Roſia. Manipulum, & ſtolam immortalitatis adeptus eſt Iliceti, ibiq; in Clauſtro Beatorum nuncupato iacet.

De

9 De B. NICOLATIO BANDINELLIO Sen.

BEatus Nicolatius Senenſis ingenua, antiquiſſimaque Bandinelliorũ Familia digreſſus, nè leui ſaltem fædare poſſet famine mentem, ad Ilicũ ſacra ſe contulit Antra, vbi alimentum animi ſilentium adeo coluit, vt non niſi neceſſitate vrgente loqui ſit auditus. Audiens quidẽ ipſe ſapiſſime Angelorum concentus, quorũ conſortio vt plurimum fruens in terra, raptus vſq; ad Cælum, arcana Dei videbat, eo refulſit ſæculo, quò Beatiſs. Franciſcus cùm Ilicetanis egit, obijt Die 4. Apr. An. 1218. vel M. CC. L.

ADNOTATIO.

NIcolatius ex eodem ſtipite, ex quo Alexander *III*. Sum. Pont. F. R. natus habuit Patrem Aldobrandinũ, vt ex fœcundiſſ. Arbore Familiæ Bandinelliæ conijcimus.

Hic antiquiſſimum Ilicetani Cæli eſt Sydus, de quo admodum ob temporum iniuriã pauca reperiuntur, tanguntur tamen vt ſublimia ab omnibus authoribus, qui agunt de B. Latino, quos in præcedenti Adnotatione citauimus, præter quos Iſidorus Vgurgerius ſacri Ord. Prædic. publicus Theologiæ Lector, doctiſſ. de Vitis prælo tradendis ſanctorum ac Beat. Sen. in Claſſe Auguſtiniana num. 1. Io. Baptiſta Ferrarius ſen. Illuſtriſs. Societ. Iesu Auctor grauiſs. ſolertiſs. cuius Elogia ſanctorum, ac Beatorũ ſuæ Patriæ, ingenti deſiderio expectantur, inter ea Nicolatij præconia perſonat.

Pamphilus pag. 66. Nicolaus Cruſenius 3. parte cap. 21. pag. 163. Alteſius Elog. m. s. agunt de Nicolatio, diſcriminantur verò inter ſe ipſos quoad annum in quo obijt, at nos ſententiam nunc ſequimur Altesij, qui ponit ad annum 1250. Die 4. April.

Præ manibus. n. habuimus Inſtrumentum, non haud longè ab his temporibus repertũ in Archiuio Ilicetano, per quod Rainerius et Orgerius q. Guidi Comitis de Pari, donant D. Nicolatio Priori Eremitorij S. Mariæ de Monte Specchio pro ſe ſuiſq; Fratribus quoddam Territorium. *Anno* 1228. *Die* 10. *Auguſti*.

Illud verbũ *Domino* ſatis conueniebat *Nicolatio*, quippe ex Pontificia Familia, Pontificiq; Alexandro III. coniunctiſſimo, aut quia prædictis Comitibus affinitate ſanguinis propinquo, quibus & ſi clarum Cognomen Bandinelliorum non tribuatur, fortaſſe hoc accidit ob diuiſionem, quæ euenit poſt mortem dicti Pontificis huius Proſapiæ in Bandinelliam, Paparoniam, & Cerretaniam An. circiter 1200.

Quòd S. Franciſcus inter Ilicetanos vixerit, prætermiſſis alijs dictis, & rationibus, quas poſuimus in Sylua Ilicet. materna lingua exarata, hæc duo ſingularia luci tradimus. B. Philip. Agazarius, qui poſt Nicolatium An. 103. Relig. ingreditur, in vita B. Bandini ait. *Vdii dauli antiqui Frati etc. et etiam diceuano, che habitò con loro il glorioſo Miſſer* S. *Franceſco*, *etc.* loquitur de Ilicet. Io. de Biſdominis Hiſt. ſen. pag. 23, inquit, *s. Franceſco ſtè molti di cò Romitani di s. Saluatore à Selua di Lago, detta Lecceto*.

Huius Beati Nicolatij Imagines reperiuntur depictæ annis ab hinc 250. in Clauſtro Beatorum Ilicetì, infra locum qui dicitur Capitulum, & Ianuam, qua uiridarium petitur cum digito indice ad os, virtutem, qua enituit, ſilentij indicans; quarum Imaginum, vna in actu contemplationis ponitur, altera inter Angelos repræſentat Nicolatium commorantem, atque ſedentem. Apud eiuſdem Illuſtriſsimam Familiam quam plurimæ Imagines ſunt tùm depictæ, tùm inciſæ eo modo, vt ſupra dictũ eſt.

Scriptores, *Nicolatius*, interpretãtur Niccolaccius: ac ſic vocari voluerit ob humilitatẽ.

De hoc Beato expectantur geſta ſcripta ab Illuſtriſſimo D. Volumnio Bãdinellio Magni Hetruriæ Principis morum Directore, digna Authoris nomine circumferenda.

De

BEatus Bandinus præclarum Scottorum Germen, B. Nicolatium Bandinellium Præceptorem, priſcumq; Ilicetanorũ decus vincere, quàm imitari maluit, indicta enim ſibi Silenty horà, ſilentium ne ſolueret, lumentũ à fure ſurreptum ſiluit, quo ſilentio furi, furtoq; Ilicum egredi ſeptis prohibuit, imo furtum, & furem miti flagello reprehendit, cuius facti magnitudinẽ diuturna illuſtriq; Ilicetani Cœnobij gubernatione exornauit. Quieuit tamen Die 11. Martij. Anno M. CC. LXXVI.

ADNOTATIO.

BEati Bandini Scotti glorioſa facinora recenſentur præcipuè à Bernardo Monaldio in Vitis Beatorum Iliceti exaratis An. 1544. à Marcellino Alteſio in ſuis Elogijs. Aliorum ſcriptorum aliqua dicta in medium aſſeramus. AEgidius Card. Viterbienſis in Pulcherrimo ſuo Panegirico pro Iliceto hæc protulit. *Mitto Fratris Bandini de Balſettis ſilentium, qui Fratrem Nicolatium vincere, quam imitari maluit. Hic cũ abduci Aſellum à fure conſpicaretur ne ſilentii legem inſtitutam labefactaret, nec abduci prohibuit, nec vlli abducentem indicauit: ſed Templum ingreſſus, prece, et lacrymis cauſam apud Deum egit; Victorq; effectus eſt, nam furtum, et fur immoti ſtetere, nec vnquam ex Ilices prodiere, donec, re diuina confecta, fur furtum reſtituit, venia impetrata.* Hæc AEgidius Card. quæ verba relata ſunt à Marcuccio Fulloniceſi mem. pag. 30. & pag. 24. hęc ponit: *Fr. Bandino Balsetti fiorì in queſto luogo, per lo chè trouo per compre fatte da lui per questo Romitorio, per laſſiti, è donagioni fatte per cauſa ſua nel 1222. è lo trouo Priore nel 1227. 1232. 1234. 1244. 1266. 1268. è nel 1270.*

Poſtea proſequitur referendo verba B. Philippi de Agazzaria; innuentia diuum Franciſcum fuiſſe Iliceti, & fundationem Illuſtriſſ. Cœnobij S. Auguſtini Senarum per Patres Ilicet. nec non furtum Aſelli ſutrepti; etiam & retulit Bonſignorius pag. 11.; & pag. 6. refert etiam ipſe furtum Aſelli: Ioannes de Biſdominis agit de eodem pag. 32. ſed non concordat cum noſtris ſcriptoribus quoad annum, aſſerens, hunc floruiſſe An. 1186. Omneſq; alij ſcriptores ex noſtris de eodem habent ſermonem.

Accedunt Authores prælo excuſi, videlicet Ioſeph Veronenſis Epiſcopus Signinus pag. 66. Andreas Cortonenſis epiſcopus Aſculanus in ſuo Theſauro pag. 154. Lima ſpiritualis pag. 33. Stephanus Vgurgerius in Oratione 3. de B. Io: Incõtrio, relatio Beatorum Ilicet. in folio. Simplicianus Bonon. lib. Centuratorum pag. 37. AEgidius Marconius in ſuo Indice. Herrera Alphabet. p.p. pag. . Torellus bene mugiens pag. 155. Raphael Paſinus cum Imag. & Elog. Et alij omnes Scriptores noſtri:

Quod cum hoc moratus ſit ſanctiſſimus Patriarcha Franciſcus iam vidimus in Chronologia Superiori pag. . & videbimus in adnotation. pro B. Nicolatio Bandinellio.

Simul etiam vidimus Bandinum hunc noſtrum fuiſſe Fundatorem prædicti Monaſterij S. Auguſtini in ſuperioribus Chronologijs; ad quæ redeat curioſus lector.

Multùm profuit iſte Beatus Monaſterio Ilicet. & in ſpiritualibus, & Temporalibus, apparent in lib. Contractuum prædicti Monaſterij multa bona immobilia, titulo emptionis, & donationis acquiſita; à pag. vſq; ad pag.

Eugenius IV. in ſuis Diplomatibus ſummopere, & pluries laudat integritatem; & geſta huius B. Viri, vt videre eſt in Archiuio, & in lib. magno Priuilegiorum Ilicetis Nobiliſſ. & Antiquiſſ. inter maiores Senen. eſt Familia de Scottis vnà cum Balſettis.

De

II. De B. BRVNETTO ROSSI Pratenſi.

BEatus Brunettus, moribus candidus, cognomine Rubeus, 30. Annos natus Romanas aſpernatus Aulas, Romæ Eremitico tectus eſt habitu. Pratum in Patria Tuſcia reuertitur: vtq; candidior fieret, Montis Maioris ergaſtulum non erubuit, quod poſt An. xv. Ciuium precibus relinquens, in D. Annæ commodius Cœnobium, à ſe conſtructum, ſe recepit, vbi reliquum vitæ curſum candidiſſimè abſoluit. Die 11. Martij, ætat. 75. Anno M. CC. XCVIII.

ADNOTATIO.

HVius B. Viri Pater vocabatur Damianus, cui oritur hic filius An. 1221. Habitū Eremiticum ſumpſit An. 1252. Habuit ſocios inſeparabiles Fratrem Ioſephum de Benuenutis Florentinum, & Guidonē de Rubeis Brunetti Patreulem, Viros Religioſiſſimos, qui cum Brunetto plurimùm inſudarunt pro erectione Loci, primò poſt reditum ad Patriam, annuente Alexandro III. Summ. Pont. in Monte Maiori, volente Dom. Gherardino Plebano S. Donati, vbi manſerunt An. 15. poſtea extra mœnia. An. 1269. S. Annæ, & Vincentij, cuius loci Eccleſiam conſecrauit D. Io: Epiſc. Florent. An 1272. Die 20. Martii.

Beati Brunetti geſta, & ſi breuius, quàm par eſt, habentur in Diarijs, nec non commentarijs Monaſterij noſtri Pratenſis, ex quibus hæc antea ſcripta fideliter per P. F. Vitum de Rubeis Pratenſem, & Congreg. noſtræ Vicarium Gener. elicita ſunt, iam ad nos tranſmiſſa, ac per nos ipſos, dum prædictum Monaſterium viſitaremus, præſentibus Adm. R. P. Mag. Luca Mannuccio, de quo ſupra, olim præceptore noſtro dulciſſimo, & Bacc. P. Octauiano de Lapuccis, de quo etiam ſupra, eiuſdē Domus Alumnis præclariſſimis, poſtea fideliter comparata cum ſuo Originali.

Extant etiam in Archiuio prædictæ olim Terræ Prati, nunc propter eiuſdem Terræ nobilitatem, & vrbanitatem Ciuium, multiplicitatem Monaſteriorum vtriuſq; ſexus, cunctarum diuitiarum affluentium copiam, & præcipuè Cathedralis Eccleſiæ, in qua colitur Mariæ Deiparæ Sacratiſſimum Cingulum, venuſtatem, ac maieſtatem, meritò non multò ante inter Ciuitates, feliciſſimæ ditionis ſereniſſimæ Hetruriæ Principum, ſic volente Sereniſs. Magno Duce, numerata eſt.

Extant, inquam, in eiuſdem Ciuitatis Archiuio Commentaria nonnulla, præcipuè circa conſtructionem Monaſterij D. Annæ, ſed ad manus noſtras minimè peruenere: habuimus nihilominus autentica ſcripta, quæ ſeruantur apud noſtram ſyluam Illuſtr. m. s. p. 2. pag. 9. 15. 16. & 17. nobis miſſa, corroborataq; authoritate aliquorum nobiliſſimorum Virorum prædictæ Ciuitatis, per quæ certiores reddimur Brunettum noſtrum Beati titulo debere condecorari, eiuſdemq; Beati ſparſim cum eodem titulo multas reperiri publicè, & priuatim Venerabiles Imagines.

In *Prædicta* Eccleſia S. Annæ immediatè ſupra Portā contra Altare maius à parte intra apparet Venerabilis huius Viri Imago, ſub qua, hæc verba. *B. Brunettus de Rubeis Pratenſis Or. Er. S. Auguſt. An. 1269. hunc locum fundauit, ibiq; Vitæ ſanctitate. An. ætat. ſuæ 75. 1298. Die 11. Martii Regnum Cœli ſibi comparauit.* In eadem Eccleſia alia antiquiſſima, imago, ſimul & in Refectorio reſpicitur.

Agunt de eodem Fulginas loco, vt ſupra. Herrera Alph. p. p. pag. 93., & 2. p. pag. 297. Torellus pag. 168. Coſmus Cicogninus Volumine Hominū Illuſtrium Pratenſium.

De

Himeræ in Sicilia oritur Auguſtinus. Hic à conſilys fuit Manfredi Regis Neapolit. diuinitus ad Relig. Eremit. vocatus, ibi eximia eius humilitas, donum, ſapientiæ minimè occultare valuit, vt in Reformatorem Sacrarũ Auguſtinienſium Legum non eligeretur, deinde in Pœnitentiarium Confeſſarium, ac Sacriſtam trium Sum. Pont. poſtea in ſui Ord. Gener. quo munere relicto apud Cœnob. S. Leonardi. obyt. An. M.CCC.IX.

ADNOTATIO.

DE prædicto Cœnobio s. Leonardi de Lacu aliqua ſeruantur explananda in ſequenti Adnotatione, in præſenti tantùm dicimus in Eccleſia eiuſdem Cœnobij adhuc extare Oratorium vbi mortuus eſt, hic Seruus Dei, & continuæ Orationi vacabat, ibiq; adhuc, magna populorum caterua accurrit, præſertim, qui renibus laborant. Ibique moritur, at poſtea Venerabile eius Corpus translatum Senas apud Monaſterium s. Auguſtini (quia tunc temporis Congregntioni Ilicetanæ addictum Cœnobium s. Martini) minimè erat, ſtabat enim pro Ilicero prædictum Monaſterium S. Auguſtini Senarum, Præſule hoc inſtantiſſimè depoſcente, vt immune redderetur trebreſcente bello. Quidquid dicat Ferrarius Seruita in ſuo Catal. de quo infra.

In Eccleſiam prædicti Monaſterij S. Auguſtini omnibus honoribus percolitur, ac cerimonijs, quæ Sanctis tribuuntur, apud Altare proprium eidem dicatum.

Fundator extitit cuiuſdam Religionis apud magnum Xenodochium S. Mariæ de Scala Senenſe, quæ vſq; ad hæc noſtra tempora viguit, in quo Xenodochio multæ Imagines huius Beati, Sanctitatis nomine condecoratæ reſeruantur.

Fuit annumeratus inter ſodales Sanctiſs. Societatis B. Mariæ ſub dicto Xenodochio.

Clemens de Oſimo Gener. Ord. voluit vt Sacris initiaretur, illumq; in ſocium aſſumit.

Bonifacius VIII. eo depoſcẽte, multa Priuil. Ordini conceſſit, vt in Bullario Ord. pag. 72.

Aliqui volunt Auguſt. habuiſſe Ciuitatem Panormi Patriam ex Gente Terminorum, aſſerentes ibidem extare Palatium eiuſdem Familiæ. Alij verò Interamne in Vmbria, ibiq; reperiri vſq; in hodiernum diem familian. Nouellorum, inter Primates.

Sed noſter Auguſtinus Patriam habuit Senas in Tuſcia, vnde nobilis Pater eius expulſus, conceſſit in Siciliam, ibi hunc habuit filium, hoc colligimus ex eius geſtis m. s. apud nos, cuſtoditis cũ alijs in noſtra noua Biblioth. Martiniana ſub † grado 7. n. 15

Ideo Nouellus appellatur, quaſi alter Auguſtinus Aphricanus P. ſanctiſs. Ord. Fundator.

Apud Himerã, ſiue Thermen in Sicilia cuſtoditur vnus ex eius digitis magna religione.

Eius Icon cum miraculis circumpoſitis in Tabula Antiqua apud Eccleſiam S. P. Auguſtini, ſupra marmoreum ſepulcrum, vbi conditæ ſũt ſacræ eius Reliquiæ, conſpicitur

Agunt de eodem Beato Omnes Authores, & ſcriptores Ord. noſtri, & Congregationis, & hi ſequentes exteri. Octauius Caietanus. Sacratiſs. Societatis Ieſu, de ſanctis Siciliæ, Martyrologium vetuſtiſsimum, itidem de ſanctis eiuſdem Regionis, Abrham Bzouius Illuſtriſs. & Sãctiſs. Ord. Prædicatorum, in Annalibus poſt Baron: circa *An.* 1309. Iacobus *Accaſciana* Panormitanus, Philippus Ferrarius Alexandrinus Seruita lib. qui dicitur Cathalogus ss. Italiæ impreſſus an. 1625. ſub his verbis *16. Maii Thermis Himeræ in Sicilia Depoſitio B. Auguſt. Nouelli Ord. Erem.* in Adnotatione. *Auguſtini Nouelli ex Martyrol. Siculo claruit ſub Friderico II. Imperat. circa An. ſal. 1290. de eo B. Iordanus in Vit. Fratrum pag.* 288. Et alij quã plurimi.

Vide ſuperius in Chronol. p. pag. 20.

13 De B. CONO, siue BONO Sen.

IN palæstram humilitatis à B. Augustino Nouello Bonus adductus, sub hà-bitu Eremitico, cuius vestigia sedulò sequens, socius fit inseparabilis, illi in præcipuis oneribus ferendis, cooperandoq; præsertim in illa Religiosorũ institutione apud Zenodochium S. Mariæ de Scala Senarum, sub Regula D. P. Augustini, dato habitu Joanni Ptolomæo Rectori eiusdem domus, tandem Magistrum prosequitur in cœlum. An. M. CCC. XII.

ANNOTATIO.

DE hoc fidelissimo Socio B. Augustini, agunt Magist. Fr. AEgidius AEsinas in suo Indice Beatorum, & Sanctorum Ordin. D. P. Augustini sub litt. C. vocans eum B. Conam hunc sequuti sumus, In nostra Arbore Ilicetana sub Titulo. *Sacræ Ilicetanæ Propago*. æreis tabulis excusa An. 1629. & *In Sacra Leccetana Silua* frutto 13.

Nunc verò amplectentes maiorem partem, & adhærentes communiori opinioni, putamus, quando aliqui scriptores dicunt B. Conum esse dicendum, & corrigendum huiusmodi dictum, & scribendum fore pro B. Cono, B. Bonum.

Reu. P. Fr. Timotheus Riccius Senensis Ilicet. Inuestigator accuratissimus Venerabilium Antiquitatum, ad nostram Congreg. attinensium, clarum monimentũ de hoc B. Viro reliquit in folio m. s. quod nos sepissime vidimus affixum apud Ianuam à parte interiori sacrarij prædictæ Ecclesiæ S. Leonardi: Magist. P. Aloysius Torellus Centur. 2. pag. 161. sequitur *Antiquiores* Authores, & præsertim Beatum Iordanum de Saxonia lib. 2. Tractatu de modo corrigendi Fratres Eremit. cap. 7. Qui Iordanus assignat B. Augustino per antonomasiam Nouello in Socium Fr. Bonum, qui propter innocentiam morum, & existimationem præfuit Principalioribus Cœnobij Prouinciæ Senarum, nempe s. Barbaræ de s. Flora, s. Luciæ Vallis Rosiæ, & Vallisasperæ.

Hinc Herreras alph. p. p. pag. 92. ait *Vener. Bonus de Senis re, et nomine Bonus, vir satis Vener, et prudens, etc.* asserensquè, non sine commendatione, Bonum gubernasse varias Tusciæ Eremos, addens Beatum Augustinum ab eo plurimùm amatum fuisse, & vera de eius humilitate, morum grauitate, & suauitate eloquiorum valde delectatum, & si sub humilitatis velo altè latens, quem tandem secutus est ad Cœlum, vbi assistunt veluti duæ Oliuæ, e duo Candelabra lucentia ante Dominum Dominatorem, nunquam ab inuicem separati. Alph. p. 2. pag. 353.

Benignus Lector poterit redire ad ea, quæ diximus de his duobus Dei Seruis in Cronolog. pag. 20. et etiam de Monasterio s. Leonardi pag. 18. et alibi, quibus pro hoc Monasterio placeat, vt addamus illud constructum fuisse á quodam Benedicto Monacho circa An. 1068. quid quid dicat Herrera Alph. pag. 33. p. 2. & postea fuit munitum à Populo s. Columbæ, vt ibi posset defendi ab incursionibus inimicorum.

Habemus in Regestis Gener. Augustini Romani pag. 139. præceptum factum Ilicetanis vt deberent tempore guerræ (ita legitur) semper recipere in prædicto Monasterio s. Leonardi homines, & mulieres dicti communis s. Columbæ, quia magnis sumptibus, & laboribus ab eis constructum fuit. Die 18. Martij 1424.

Fuit insuper ditatum à Nobili Viro Bonganno de Gallis, & à Riccadonna eius vxore, qui erant Domini Villæ Arnani simul, & Lacus, & Loci An. 1233.

Sub protectione sanctæ Sedis fuit receptum à Lucio II. Anastasio IV. Alexãdro III. Lucio III. Vrbano III. Gregorio VIII. Clemente III. Alexandro IV. & Innocentio III.

In hoc Monasterio S. Leonardi, in quo obijt B. Bonus conduntur eius Ossa.

De

14 De B. IOANNE INCONTRIO Sen.

BEatum Joannem ex Illuſtri Incontriorum proſapia, quindecim annorum puerum in Ilicetanum adſcitur cœtum: victus auſteritate perterritum profectionem molientem, pomario iam egreſſum, ſaltum ingreßum, diuinæ Paſtoris apparitione, fulgidiſſima, lateris oſtenſione ſaluator errantem velut Ouiculam ad Religionis caulas reduxit. Moritur Anno ætatis ſuæ 65. die 4. Aprilis, ſalutis verò M. CCC. XXXIX.

ADNOTATIO.

SEmper maximo cultu Patres Ilicetani hunc Dei ſeruum Beatiſſimum proſecuti ſunt, modò erigendo Altaria, modò Eccleſias, ſiue Oratoria, vti accidit An. 1439. eodē in loco, vbi Chriſtus ei Paſtoris forma apparuit, modò etiā cum Imaginibus, ſequētes deuotionem, ſeu obſequium populorum, & ſi Ilicetani non egerunt cauſam in Curia apud ſanctam ſedem Apoſtolicam pro eiuſdem Viri Dei Beatificatione: ſimplicitas, & paupertas eorum fuit cauſa: quare immeritò ab aliquibus reprehendantur tanquam negligentes, & ſi reprehenſione digni videantur, negligētia totius Religionis (ſi ita loqui fas eſt) eos excuſabat; debebat enim tota Religio currere, laborare, & omnem curam impendere, vt ſicut ab Antiquioribus etiam Authoribus, & Scriptoribus, a pietate fidelium, à communi fama per tot ſęcula, vti Beatus colitur, ita vt per Decretum Pontificium, vt talis haberetur, hic Incontrius: fuit namq; & eſt vnus ex inſignioribus ſyderibus Auguſtiniani Cæli, totam Religionem illuſtrando, idcirco ad totam Religionem cauſa eiuſdem Beatificationis attinebat.

Huius Beati Geſta collaudant, ſcribuntq; Senenſes, inter quos Hieronymus Bonſignorius pag. 67. Athanaſius Fullonicenſis pag. 23. Io: Biſdominus Hiſt. Sen, pag. 32. Bernardus Monaldus eius facta conſcripſit, Honorius Martinus à S. Cruce Vallis Arni in ſuis m. s. Paſinus cum Imagine, Alteſius Elog. m. s. Card. AEgid. in Paneg. Ilicet. hęc protulit. *Offert mihi ſe diuinus Puer, vt conſtet nullius iſthic ætatis genus non mirificè profeciſſe; Age tam elegātiſſime Puer omnis exiguę gratia hac diuina amicitia maximè clariſſime, illuſtriſſime. Accipite bonæ ſpei adoleſcentes, adoleſcentis etc.* Proſequitur poſtea diffusè receſsionem à Cœnobio, & conuerſionem ad idem.

Inter excuſa, Chronica Ord. Epiſc. Signini pag. 72. Epiſc. Aſculanus pag. 250. vſq; ad 253. Lima ſpiritualis pag. 32. Vgurgerius Oratione integra vtiq; longa, & elegantiſſima, Relatio Beatorum Ilicet. Talenti, Marconus in Indice Sanctorum, & Beatorū Ord. Simplicianus Bononienſis lib. Centurat. Cardinalis Seripandus in Elencho ſanctorum, & ſanctarum Ord. ad An. 1331. Herrera Alph. pag. 371. Simplicianus Sanmartinus pag. 437. Torellus. Cent. 2. pag. 209. & alij exteri multi.

Multum profuit etiam Ilicet. Domui temporaliter, vt videre eſt in Archiuio eiuſdem Domi, & in lib. qui vulgò dicitur *Campione de Contratti*.

Prædictum Sacellum, de quo ſupra huius Beati Nomini dicatum, poſtea fuit perfectū, & in meliorem formam redactum, atq; Sacrificio Altaris aptatum, dum nos Cœnobio illi ſacratiſsimo, meritis quamuis imparibus, præeſſemus An. 1629.

Eiuſdem Venerabiles Imagines conſpiciuntur in Præcipuis Eccleſijs, non tantùm Cōgregationis, ſed & Relig. fuerunt multoties excuſę Laminis AEreis pręſertim An. 1600. quæ per totam circumferuntur Europam.

Redeat Lector, ſi placet, ad ea quæ diximus in Chronol. Priorum.

15 De B. ELIA MELIORATO Praten.

BEatus Elias Melioratorum Pratenſium origine nobilis, inq; meliorem D. Auguſtini cooptatus familiam, ita Deiparæ placuit Virgini, vt ipſo illius in Ara Sacrum faciente, aſtantiumq; pluribus lue laborantibus, eiuſdem Virginis Imago Aſſumptionẽ referens, iunctis ad pectus manibus cum prius eſſet, eadem poſtea velut placata in amplexum eaſdẽ ſeparauerit, & peſtem exulare coegerit. Obyt An. M. CCC. XXXXVIII.

ADNOTATIO.

PRæclara B. Eliæ geſta rudi quidem calamo deſignantur à Fratre Athanaſio Marcuccio Fullonicenſi accuratiſſimo scriptore, vbicumq; poneretur venerabilium Antiquitatum: inquocumq; enim Monaſterio ſteterit, eiuſdem Monaſterij Cómentaria conſcripſit, quæ in præſentiarum, Deo dante, permanent.

Hic cum An. 1560. 62. 63. & 64. Domũ S. Annæ Pratenſis Ciuitatis moderaretur, diffusè antiqua monimenta ad eãdem Domum attinentia collegit, in vnumq; grandẽ concluſit Codicem, quem nos dum ibidem Philoſophiæ incumbentes agebamus, ſæpiſſime non vulgari animi voloptate, vidimus, & perlegimus.

Extant etiam apud noſtram Ilicet. Sylvam p. 2. pag. 15. publicæ Tabulæ: quæ extractæ ſunt à dicto Memoriali Marcuccij, & ab alijs monimentis prædicti Monaſterij S. Annæ, ex quibus non ſolum ea quæ dicuntur in præſenti Elogio & Adnotat. ſed etiam in alio pro B. Brunetto, vt ſupra pag. 88. accepimus.

Elias habuit Patrem Lapum, qui vnus fuit ex nobilioribus ſuæ Patriæ exſciſus ex Meliorata Familia, hic habitu induitur in prædicto Monaſt. S. Annæ de Prato An. 1295.

Qui Elias poſtea ſacris initiatus, et vertente anno 1348: horribili illa peſtilentia, tam dirè totam Italiam deuaſtante, vti diffusè narrat Ioannes Boccaccius, et cæteri scriptores illius funeſtæ ætatis, in prædicto Monaſterio d familia degebat, & in die S. Crucis Menſis Maij sacrum faciens ad Altare B. Mariæ repente, vnus Vir, & duæ Mulieres tantùm ſternutando, aut obdormiendo perierunt, quod perſpiciens compatiendo Elias, Votum vouit ante sacram Imaginem Deiparæ, quæ eiuſdem in Cælum Aſſumptionem præſefert, iunctis manibus ad pectus, ſi abiret truculenta peſtis, ſe iturum ad loca sacra viſenda apud Hieroſolimam, voto emiſſo, expandit sacra Imago, cunctis circumſtantibus videntibus, manus, placatur Deus, fugatur peſtis, & ipſe ſoluit votum die 6. Menſ. prędicti recedendo, Hieruſalem verſus: prædicta Imago depicta fuit de mandato B. Brunetti Ruſſi, de quo ſupra. Elog. 11.

Hac graſſante peſtilentia perierunt omnes Religioſi Monaſterij, qui decem erant, quare quidam Nigius Presbyter sæcularis pietate ductus, ne in prædam verteretur latronibus, curã Monaſt. ſumpſit, qui poſtea ibidẽ die 28. Martij 1348. mortuus eſt.

Manebat tunc temporis D Ambaldus Epiſcopus Tuſcanellæ Presbyter Card. & Clementis *VI.* Legatus, à quò quidam Cignus de Altouitis Florent. tamquam rem derelictam impretauit Monaſterium (multa enim Cœnobia tunc temporis relicta fuere ob penuriam Religioſorum) perierunt enim, vt in ſupradictis Monimẽtis habemus, in tota Religione Auguſtiniana Quadraginta millia Religioſorum.

Redijt interim Elias, & Pratenſium auxilio ſuffultus, ab eodem Legato prædicti Cœnobij obtinet poſſeſſionem, quam magno populorũ applauſu capit die S. Marci Euãg. vbi tandem à laboribus ſuis quieuit an. ætatis 86.

Multæ *I*magines eiuſdem reperiuntur, multiq; scriptores de eo agunt, præcipuè ex recentioribus Herrera p.p. pag. 209. Torellus Cent. 22. cap. 27. pag. 212.

De

De B. VMBERTO ACCARISIO Sen.

Beatus Vmbertus Senenſis Nobili Accariſiorum Genere natus, non tantùm ab ſe excitatorum maieſtate AEdificiorum Iliceti, & Doctoratus gloria, qua Pariſiis redimitus eſt laurea celebratur, quantùm meritorum aggere, dicendiq; ardore Conciues, exteroſq; in ſui admirationem illexit. Numerum Beatorum adauxit Iliceti, vbi ſub marmoreo ſepulcruo ipſi extructo recond. eius Oſſa. Obijt Die 20. May. An. M. CCC. XXXXVIII.

ADNOTATIO.

Domus Accariſia, Armalei, & Rimbotta conſtituũt vnam nobiliſs. conſorteriam, vt volunt Senenſes ſcriptores, ex qua Vmbertus, cuius meminere Hi, Philippus Agazzarius, qui planè citatur, ſed non extat propter incendium poſtremi belli Senenſis. Athanaſius Fullonicenſis in Memoriali m. s. pag. 32. Hieronymus de Bonſignoris Memoriali m. s. pag. 14. de eo hæc habet. *Vi fu vno ſingolare, e dottiſſimo huomo, chiamato Maeſtro Vmberto delli Accarigi di detto luogo Profeſſo.* ideſt Iliceti, *e Maeſtro Parigino huomo di santa Vita, e di vna profonda Teologia, il quale etc.* Diaria itidem m. s. Ilicet. Alteſius nobile Elog. de hoc eodem doctiſs. Viro confecit, apud nos in noſtra Ilicet. Sylua p. p. pag. 95. Paſinus cùm Imag. lib. 3. Iconum. Belliſarius Bulgarinus Nob. Sen. rerum antiquarum ſcrutator inſignis Tractatu de Famil. Nobil. Sen. B. Paraclitus in Serie Profeſſorum Iliceti m. s. hæc protulit *F. Vmbertus de Accariſiis de Senis sacræ Theol. Profeſſor Pariſienſis, et Profeſſus Monaſterii Iliceti, Vir vtiq; bonus, ac doctiſſimus, floruit tempore illius S. Viri F. Nicolai de Tinis, tunc Prioris, de quo ſupra fecimus mentionem. Hic dimidiam partem Eccleſie superiorem Monaſterii parti alteri inferiori addidit. Dormitorium vetus cũ Sacrario teſtudineo, et Porticum ante Eccleſiam Lapideis fulcitum Columnis ædificauit, Cappellam cum Tabula maioris Altaris pinxit, Ciſternã cũ Clauſtri extruxit, muro Monaſterium cinxit, et An. D. 1348. in pace quieuit, ſepultus ante Gradus inferiores Altaris maioris, ſub marmoreo Lapide.*

Inter excuſos verò, Lima ſpirit. Senis prælo data per Nicolaum Simeonis, & Lucam de Binis die 13. Septemb. 1533. Epiſcopus Signinus Chron. Ord. pag. 135. Vgurgerius in Orat. pluries citata, Relatio Beatorum itidem citata, AEſinas in Indice, Lib. Cent. pag. 4. Seripandus in præcitato Elencho, Cruſenius pag. 51. Fulginas Hor. Lecc. Sanmartinus pag. 40. Iſid. Vgurg. Ord. Prædic. *Pompe Saneſi*, Tit. 14. pag. 366. Doctor. Alcibiades Lucarinus, *Impreſe*, par. 2. pag. 448. et alij multi.

Solertiſſimus Herrera laborat circa ann. in quo obierit Vmbertus, & referendo verba Paracliti à nobis ſuperius adamuſſim poſita, aſſerit migraſſe è uita ann. 1398. at Herrere ſolertia decipitur: nàm dum hæc ſcribimus, præmanibus habemus Codicem Paracliti, in quo aſſignatur eius Obitus ann. 1348. iuxta Inſcriptionem, quæ adhuc legitur in eius Tumulo, quo conſiderato, ſimul paupertate, ac ſimplicitate Fratrum illius temporis, certè colligitur quanta fuerit eiuſdem Vmberti exiſtimatio etiam viuentis.

In eodem Tumulo, hæc legitur Inſcriptio, quã & ſi ponat Herrera, attamen (prout poſſibile eſt) vt à faucibus edacis temporis eruamus, & nos ponimus.

Sis Vmberte Magiſter, Vermis, Tabes,
Hic quod eris, ſum corpore puluer,
Ex Achariſiis Illuſtris sanguinis ortus:
Sed mea mens sacro prædiues nectare, Diuo
Dogmate Pariſius cælum conſcendit amanũ
Obiit An. Dom. 1348. Die 20. Menſ. Maii.

Penè nihil differet ab ea, quam ponit Herrera, ſubſtantiam minimè mutans.

17 De B. IOANNE CHISIO Senen.

BEatus Ioannes prope Maceretũ ortus, inter Vallaſprenſes Erem. cogi voluit. Hic aliquando carnis titillatione vellicatus vrticarum inter puntiunculas ſe ſe volutabat; Tunica item egens, aliam à Crucifixo depoſcens, tres interim ab ignoto Viro donantur aurei, duros Sacræ Scripturæ nodos, & ſi nullius litteraturæ, facilè enodabat. Poſt ſex menſes ab obitu integer repertus eſt. Obyt Die 28. Octob. An. M. CCC. LXIII.

ADNOTATIO.

IOannes Patre Chiſio, Auo Antemio, Atauo Nanuccio Maciareti Regulo, prope idẽ Caſtrum oritur, in ipſo iuuentutis feruore, ſanctis Religioſorum Monaſterij D. Anronij Abb. Vallisaſperæ in maritimis Senarum moribus allectus ann. ætat. ſuæ 18 eorum conſortium non abhorruit, imò humiliter amplexatus eſt, vbi annis decem Sanctiſſ. moratus, inde Senas, poſtea Ticinum, & iterum Senas vocatur, ſemper in humili ſtatu Laycorum ſeruiens Religioni, præſertim, vt ſacriſta, rei ſacræ intentus.

Eiuſdem vidimus Commentariolum ſatis rudem, ac ſimplicem vernacula conſcripti lingua: ſed eò fidelior, ac verior cenſetur, cum illud diuinus ſcriptor Philippus de Agazzarijs Sen. huic Beato coetuus exarauerit, & poſtea conſcripſerit doctiſs. ac integerrimus Religioſus Magiſter Bernardus Monaldus Sen. An. 1543. Die 28. Decemb., Qui Commentariolus complectens, etiam geſta aliquorũ altiſſimi ſamulorum, diligentiſſimè cuſtoditur in Archiuio ſacri Cœnobij Ilicetani.

Huius Beati mentionem etiam faciunt Magiſt. Gregorius Fulginas, loco ſupracitato, *Alteſius* Elog. mſs. apud nos Sylua Ilicet. p. p. pag. 33. & ex recẽtioribus Herrera Alph. *Auguſt.* p. p. pag. 366. qui neſcimus quo fundamento dicat hunc B. *Ioannem* Chiſiũ neſciuiſſe legere, ſed fortaſſe ſe retractauit, aſſerendo poſtea eodem in loco, quòd in hora mortis ſibi Miſſale porrigi mandauerit, & Paſſionem Chriſti legendo, ad illa Lucæ verba. *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* animam emiſierit, de eodem agit Herrera 2. p. pag. 291. quẽ ſequitur Torellus Bonon. Cent. 3. pag. 246.

Prodijt in lucem Vita eiuſdem noſtri Beati elegantiſs. conſcripta à Patribus *Auguſtinien. Agrippinæ* Coloniæ An. 1641. D. Fabio Chiſio ibidem *Apoſtolica* Legatione fungenti, poſtea ad apicem Cardinalatus, virtute duce euecto, dicata.

Expectatur Elog. cum alijs pro Beatis Senen. Doctiſs. P. Io. Baptiſtæ Ferrarij Societ. Ieſu, quæ præclara fore demonſtrant eius opera iam Typis tradita.

Acquiſito loco Papiæ in Cælo aureo ann. 1327. Die 1. Febr. vt ibi conſtrueretur Monaſter. pro Religione, ſuperiores procurantes, vt ſpiritualiter, ſub ſtrictiori obſeruantia ædificaretur, cognita Ioannis ſanctitate, illic eũ de Familia deſtinarunt circa ann. 1338. vbi eius interceſſione miraculosè inueniuntur corpora ſanctorum Martyrum Vitalis, & *Agricolæ*: poſtea circa ann. 1363. reuertitur Senas, & peſtilentiali morbo percuſſus ſanctiſſimè occubuit, vt dictum eſt ſupra, ſacro habitu indutus genibus flexis, arcæ ſiue feretro incumbens, magno circundatus ſplendore.

Elapſis dieb' habuimus præ manibus publicas Tabulas membraneas, per quas D. *Angela Auguſtini* Chilij filia, & Vidua relicta à Chino nuncupato Paccia ciue senen. putamus legendum fore de Peccis, coram P. Prouintiali in Capitulo Monaſterij Sancti *Auguſt.* offert ſe, & ſua bona Domui Vallisaſperæ, ſub fide Guidi Franciſci *Azzolini*, Teſtibus Bartholomeo Fatij, & *Ambroſio* Venturinio, anno 1386. Qui *Auguſtinus* Pater huius D. *Angelæ*, erat Germanus noſtri B. Ioannis, cui *Angela* Nepos. huic illuſtriſſ. Familiæ plurimum tenetur Religio noſtra, ob ſingularia beneficia accepta.

De

BEatus Gulielmus Flete, ex vltimis etiam Angliæ finibus Ilicetanorum Sanctitatẽ odoratus, patriosq; exosus mores. Ilicetum properat, ibique magna vitæ innocentia in pyssimis ad suos, alioſq; transmittendis Epistolis, in audiendis B. Catharinæ Senensis Confessionibus, reliquam vitæ partem consumpsit, Prophetiæ gratia celebri, facet Ilicetí, vbi moritur. An. M. CCC. LXXX.

ADNOTATIO.

QVantæ fuerit Sanctitatis, ac doctrinæ B. Guilelmus Anglus comprobãt septem sibi a B. Cathatina Senenſi exaratæ, ac ttanſmiſſæ Epiſtolæ, quæ apud nos ſunt 30. 77. 136. 137. 138. 139. & 140.

In quarum prima, quæ incipit. *Cariſſimo figliuolo in Chriſto dolce Ieſu etc.* Reddit certiorem Guilelmum, Populum, & Senatum Florentinum rediſſe ad Obedientiam ſum. Pont. ac incepiſſe timere interdictum: quo non obſtante antea, volebant per vim Sacerdotes ſacrum facere, & addit *Onde vi prego per l Amor di Chriſto crociſiſſo, che voi, e Fr. Antonio Il Maeſtro, e Fr. Felice* (hi omnes erant Ilicetani) *e gli altri faciate ſpeciale Oratione, ſtringendo la diuina bontà, che per amor del ſuo ſangue mandi il Sole della ſua miſericordia, accioche toſto ſi faccia la pace etc.*

In ſecunda, quæ incipit. *Io Caterina ſerua, e ſchiaua di Ieſu Chriſto* Hortatur ad piè religioſe, ac sanctè viuendum, ad linguamque coercendum, ad euitanda ſcandala, & finem epiſtolæ, quam in longum protrahit, imponendo inquit. *E cosi vi prego, per amor di Chriſto crociſiſſo, voi e Fr. Antonio, e tutti gli altri, e maſſimamente voi, che vi ingegniate d'acquiſtare il vero lume, acciò ſiate nel uumero de perfetti.*

In tertia cuius principium eſt, *A voi diletiſſimo, e cariſſimo Padre, e figliuolo in Chriſto Ieſu.* Indicat, quomodo opera Fr. Iacobi Iudex Arboreæ eſt paratus ad præſtandum auxilium contra Infideles, ſimul & Ciuitas Ianuenſis toto conatu, & commendat ei Iuuenẽ quendam, qui Mattheus de Foreſtanis vnà cum Cittadinis, vt quãprimum ad habitum Relig. recipiatur, & concludit. *Confortate, e benedite Fr. Antonio cento migliaia di volte in Chriſto Ieſù, confortateui nella ſanta, e dolce dilettione di Dio.*

In quarta incipiente. *Cariſſimo figliuolo etc.* continentur omnia, vt in p. Dat. Floren.

In quinta, quæ eſt communis Fr. Antonio de Nizza, & incipit. *Io Caterina ſerua etc.* Hæc Epiſtola Romæ datur, per quam vocat Guilelmum, & Antonium, & cæteros Ilicetanos nomine Pont. ad præſtandum auxilium pro Reformat. Eccleſiæ, & concludit. *Vſcite dal Boſco, e venite ad entrar nel Campo della battaglia, e vi prego per l'amor di Ieſù Chriſto noſtro Redentore, che preſtamente veniate, e ſenza indugio alla richieſta, che il ſanto Padre vi fa etc.*

In ſexta, cuius exordium. *A voi Reuerendiſs. e Dilettiſs. Padre etc.* rogat eum vt ſubueniat neceſſitati Fr. Antonij, & finem imponit. *Pregar vi voglio, e vi coſtringo, che ſiate vnito, e trasformato in queſto Arbore di Ieſù Chriſto, Ieſù dolce, Ieſù amore.*

In vltima excitat eum ſic, *Amateui; amateui, toſto ſpero riuederui. etc.*

Præter noſtros Script. agunt de eo, D. Barthol. Cartuh. in Vita B. Petri Petroni pag. 198. P. Zouius Vita S. Cath. Sen. cap. 54. Lõbardellus de Stigm. eiuſdem V. Caſtel. de Mir. Apoſtaſiam Regni Anglicani prædixit, ait Pitræus: multas Epiſtolas reipub. Sen. miſit vt apud nos Syl. Ilic. p. p. pag. 200. vide Adnot. pro B. Antonio Gallo, ad quẽ &c.

De

19 De B. FELICE TANCREDO Sen.

Beatus Felix Ciuis, & Patricius Senen. ex Tancredorum Profapia genitus, re ipſa Felix, ingens enim operum ſuorum mole, ne tantillo hypocriſis fermento inficeretur, ſacras inter delituit Ilices, felicior tamen diutina D. Catharinæ Senenſis conſuetudine ac Epiſtolari conſultatione: felicissimus tandem cœlesti, quo perfruitur conſortio Beatorum. Die 22. Septembris An. M. CCC. LXXXVIII.

ANNOTATIO.

De B. Felice Tancredo plurima teſtimonia afferri poſſunt, ſed hæc tantùm tuliſſe ſufficiat, nempe Epiſtolam D. Catharinę, quam apud nos eſt Epiſtola 144. cuius exordium eſt. *Cariſſimo figliuolo in Chriſto dolce Iesù, Io Caterina ſerua, e schiaua de ſerui di Iesù Chriſto, ſcriuo à voi nel pretioſo ſangue ſuo, con deſiderio di vedervi fondato in vera, e perfetta humiltà. etc.* Per quam Epiſtolam piè, ac doctè extollit virtutem charitatis, & humilitatis, ſuadendo Felicem, vt vtramq; amplexaretur ſedulò, exhortaturq; eum præcisè, vt fidem, ſpem, & obedientiam ſectetur, & vt virtutes cunctas ſuorum Fratrum ſequatur, imitetur, & terminat Epiſtolam his verbis. *Non voglio, che alcuna pena habbiate, e di me penſiero alcuno non vi date, ma realmente l'onde del mare tempeſtoſe tutte ſi paſſano con vera humiltà, e carità fraterna, e cõ ſanta patienza, altro non vi dico, reſtate in pace, Iddio ſia sempre con voi.*

Ex qua Epiſtola colligitur, ſi accuratè legatur, qualis fuerit integritas huius Viri ſimul, & doctrina, & quam intima amicitia inter eum, & Catherinam.

Dicitur hic Beatus Vir Maſſanus, tum quia ſit ortus in Ciuitate Maſſæ in maritimis Senarum Antiquiſsima olimq; potentiſſima, opulentiſſimaquè: at quia, vt vult Celſus Cittadinus Antiquarius Senenſis, & Ciuis in ſuo Tractatu de Familijs nobilibus Senenſibus: Io: Baptiſta de Petruccis eiusdem Ciuitatis, (vti aiunt) Legum à ſecretis. Et Guilelmus Palmerius nobilis Senenſis, qui etiam ſtrenuè elaborauit pro inueſtiganda antiquitate, & origine omnium Familiarum Nobilium Sen. tum in præſentiarum exiſtentium, tum extinctarum, qui omnes, aſſerunt Nobilem Proſapiam Tancredorum ab eadem Ciuitate Maſſæ principium traxiſſe, ex Illuſtri ſanguine, poſtea inter Senenſes Primates aggregatam, Authore Petro Tancredo An. 1349. vt ait prædictus Celſus.

At nos habemus in Arbore dictæ Familię in authentica forma redacta, hanc proſapiã à multo tempore ante prædictum Petrum fuiſſe Nobilitati Senarum aſcitam, & inchoaſſe à Nobili Viro Tancredo, à quo cognomen Tancredorum An. 1227.

Hæc Proſapia ex ſententia plurimorum ſcriptorum Senen. abſolutum habuit Dominiũ Terræ Rubeę comitatus Senenſis, & Collis Vallis Elſæ.

Agunt de noſtro Felice. Relatio Beatorum Ilicet. Vgurgerius in prædicta Oratione, Fulginas Sacri Horrori Leccetani, Author Vitæ B. Chiſij pag. 36. Thomas de Herrera Alph. Aug. p. p. pag. 225. Iſidorus Vgurgerius Dominicanus, & Ioannes Baptiſta Ferrarius è ſociet. Ieſu in Operibus ſupra citatis.

Felix optimæ ſecutus eſt veſtigia B. Tancredi de Tancredis, qui Socius fuit Sanctiſsimi Patriarchæ Dominici inſeparabilis, de quo Lombardell in comment.

Qui ſicut cum Dominico tantę Religionis poſuit fundamenta illam Illuſtrando, ita Felix in Almo Ilicetano Collegio delitescens, illud Diſciplina Monaſtica ſtabiliuit, glorioſius reddidit,

De

20 De B. NICOLAO MARESCOTTO Sen.

Beatus Nicolaus Senenſis vetuſto Mareſcottorum Sanguine, Panis, ac Vini annona mirè aucta, Guidi à ſuſpendio diuturno extincti excitatione, Ilicetanorum AEdium ab excidio tuitione, capitis damnatorum abſolutione, abſentium vaticinio calamitatum, morumq; ſanctimonia vbiq; gentium tam præclarus, Iliceti, glorioſo tranſitu quieuit, An. ætat. ſuæ 89. Die 9. Februarij, ſalutis verò. M. CCC. LXXXXVII.

ADNOTATIO.

De B. Nicolai Mareſcotti admirabilibus geſtis, innumeri penè Authores tùm excuſi, tum m. s. agunt, inter quos habes, benigne Lector, Fr. Hieronymum Bonſignorii in ſuo memor. pag. 7. Athanaſium Fullonicenſem in ſuo itidem memor. pro rebus Ilicet. pag. 26. Bernardum Monaldium in Vitis Beatorum Ilicet. pag. 58. vbi per extenſum ponit cuncta, quæ geſta fuerunt per Nicolaum, primò inſcripta à B. Philippo Agazzario Senen. cuius originalia periere; vt pluries dictum eſt, à Monaldio tantum relata, Deo volente, ne tanta ſui ſerui magnalia in tenebris remanerent. Fr. Honorium Martini in Vitis B. Ilicet. in noſtra Martiniana Biblioth. ſeruatis ſub ſigno † Grad. 7. n. 15. Marcellinus Alteſius Nobile cecinit Elog. vt in noſtra Iliceti Sylua p. p. 4 pag. 51. ſq; ad pag. 55.

Io: de Biſdominis Hiſt. m: s. Sen: pag. 52. Ad ann. 1338. loquitur de hoc noſtro Beato. *In detto Anno, veduto che il Popolo di Siena nel Bene ſualiaua, B. Niccolò Tini Cittadino Saneſe, e nouello Frate di S. Saluadore à Selua di Lago, detto Lecceto, incominciò à pronuntiare il flagello di Dio, il onde che Anno per Anno, per inſino 1348. fu pronuntiato, e poi venne li fatti; come vdirete. etc.*

Sacrum Collegium Adm. Reuerendorum Patrum Religionis Ieſu, diem feſtum agens Canonizzationis Sanctiſſimi Præceptoris, ac Fundatoris Ignatij in ipſorū Eccleſia Senenſi, magnificentiſſimè ornata, de eorum more, multa Sanctorum, ac Beatorum Senenſiū ſimulacra expoſuerunt, inter quæ noſtri Beati Nicolai, ſub cuius ſtatua in Baſi, hæc verba poſuere. *Nicolaus de Mareſcottis Senenſis ſanctitate clarus, cum vndiq; mendicantes quæreret, quos reficeret, inuenit, in horreum poſt innumerabiles Elemoſinas, quantum in æſtate condiderat. In dolio quoque vini multum, cum ne multa quidem dolia ſuffectura fuiſſent. Qui etiam vnum Monaſterio oblatum, qui ſe ſuſpenderat, cum diem integrum precibus intentus fuiſſet, brachio apprehenſum, vitæ reſtituit. Chron. Ord. à Ioſeph. Epiſc. Signino Confecta pag. 87.*

Inter excuſos, habebis Relationem Beatorum Ilicet. bis prælo datā. Comentaria Ord. Cardinalis Seripandi pag. 67. Andream Epiſcopum Aſculanum in ſuo Theſauro B. Mariæ Virginis pag. 303. 304. & 305. Limam Spiritualem pag. 32. Iugurtham Thomaſium p. 2. Hiſt. Sen. pag. 278. Simplicianum Bononienſem in lib. Cent. AEgidium Marcopium in Indice, alioſq; inter antiquiores.

Ex recentioribus verò *Iſidorum* Vgurgerium ex Ord. Præd. Io: Baptiſtam Ferrariū Societatis Ieſu, inter eorum Elogia prælo tradenda. Herrerā, quem ſequitur pari paſſu Torell. In Alph. Aug. pag. 171. 2. p. diffusè de eodē agit, ad quē *Lect.* mittimus, quos videre poterit idem Lector apud vitam huius Beati, per nos exaratam, typiſq; tradendam quam primùm (Deo adiuuante) cap. vult, vbi ponuntur hi, & alij Authores.

Eiuſdem Vener. Imagines ſparſim per totam fere Europam viſuntur, venerantur, vt in eadem vita videre eſt, poſtremò Baccal. Fr. Fortunius Mareſcottus Ilicet. denuò eiuſdem B. Imag. Tabula AErea excudere fecit, & Lactantio de Lactantijs Pontificij Cubiculi Præfecto dicauit. Anno 1643

21 De B. IOANNE TANTVCCIO Sen.

BEatus Ioannes è Senensi ingenua Tantucciorum Familia cum doctrinæ celsitudine, cum gestorum præstantia, itinerum, ac laborum omnium Beatæ Catharinæ Senensis perpetuus comes, ac socius indiuiduus habitus est: Beati huius Viri integritas ipsius Sanctæ Catharinæ testimonio satis apertè declaratur, vt apud eandem, supra citatis Epistolis videre est: inter Beatos euolauit. Die 4. Octob. An. M. CCC. LXXXXI.

ANNOTATIO.

HVius B. Viri præstantia, & Doctrina, satis extollitur à Sanctissima, ac Doctissima Christi sponsa Catharina senensi, præcipuè in Epistola, quam eidem mittit, & est apud nos 134. cuius Epistolæ hic est Titulus. *A Maestro Giouanni Terzo dell' Ordine de Frati Eremitani di S. Agostino; Carissimo figliuolo in Christo dolce Iesù. Io Caterina serua, e schiaua de' serui di Iesù Christo, scrino à voi nel pretioso sangue suo con desiderio etc.* Retractat in eadem Epistola doctissimè, de Efficacia sanguinis Christi, nec non de Amore Dei erga suas Creaturas persuasum reddens Ioannem, vt virtute dicti sanguinis, se excitet ab Amore proprio, & creaturarum in Amorem Dei; & claudit Epistolam nimis longam, his verbis. *Mi scriueste che il figliuolo non poteua stare senza il latte, et il fuoco della mamma: Onde se n'hauerete volontà, non tardarete à venire per esso. Dite, che non vorreste offendere l'obedienza, venite per la licentia, e non l'offenderete, et ecci bisognò; perche Nani è partito per buona necessità; si che se potete venire l'hauerò molto caro. Raccomandateci al Baciliere, et à Fr. Antonio, et à Messer Matteo, et all'Abbate, et à tutti gli altri;*

Eadem Sanctissima Virgo agit de eodem in alia Epistola quam misit Gregorio XI sum. Pontifici, quæ est 7. inter eas, quas huic Pontifici misit, apud nos pag. 131. in quæ circa finem, hæc ait. *Li vostri figliuoli Maestro Giouanni, e Fr. Raimondo si raccomandano alla Santità vostra, Iesù Christo Crocifisso sia con voi etc.* Et in alia, quæ est 4. inter eas, quas Vrbano VI. Pont. scripsit excusatos habet Mag. Ioannē, & Fr. Bartholomæum Ilicetanos, quia Eremo egredi noluerunt, ac Religiosè renuerunt vocati à Pontifice, fidem tamen faciens de eorum promptitudine, & quod si præceperit in meritum obedientiæ, eos patatos ostendit ad parendū promptissimè en verba doctissimæ huius Virginis. *Questo dico à proposito di Maestro Giouanni, e Fr. Bartolomeo, i quali colla loro scrupolosa conscienza vi hanno dato dolore, e fattoui alterare, et essi perciò ne hanno hauuto grandissima pena, parendogli d'hauerla offesa.*

Item scribit aliam Epistolam, quæ est communis Fr. Raimundo, & Magistro Ioanni 3. & alijs socijs Auenioni commorantibus, vt videre est in eius ingenti Epistolarum volumine apud nos pag. 123.

Hic Mag. Ioannes fuit Doctor Vniuersitatis Cathabrigiæ, cuius opera, & industria plurimùm vsi sunt Ord. nostri Generales; pluries Ilicetum, & Congregationem nostram, & Prouinciam Senarum prouidè gubernauit, vt supra in nostris Chronologijs.

De eodem fit mentio in quodam Indice Beatorum in ipso Monaldi libro, in principio.

Item de eodem agunt omnes Scriptores Ilicetani, & Religionis præcipue Signinus Episcopus, Crusenius, Pasinus cum Imagine, Herrera, Torellus, & alij exteri.

Numeratur hic Vir inter Religiosiss. Confratres S. Mariæ sub Xenodochio de Scala. Dicitur 3. quia successit Io: Incontrio, & Io: Chisio quoad nomen, & virtutes.

De

22 De B. ANTONIO GALLO Nicenſi.

BEatus Antonius Nicenſis optimas ad Ilicetanas profectus Aedes, ea praſtitit doctrinâ, & virtutum celſitudine, vt B. Catharinæ Senenſis, & Vrbani VI. Papæ, ad eius improbiſſimi ſæculi turbines ſedandos, litteris, Nunciiſq; Romam accerſiretur. Quare pro Sancta Eccleſia, ad vitæ vſq; diſcrimen diutius, ac glorioſius exanlato labore, requieuit in Domino.

Anno M.CCC.LXXXXII.

ADNOTATIO.

IN huius Beati Antonij Nicenſis firmandam ſanctitatis, ſeu Beatitudinis opinionē maximè conferre cenſemus Epiſtolas 138. & 142. quas D. Catharina Senenſis ad eum (vt apud nos apparet) ceu ad Animi ſui conſulem miſit; quibus enixè cum cæteris Ilicetanis Patribus exhortatur, vt Ilicibus nemoreq; egrederentur reformandi gratia illius corrupti ſeculi mores; addendo perſuaſionis ad id efficiendum exemplum, & promptitudinem Fr. Andreæ Lucenſis, & Fr. Paulini Nolani vtriuſq; ægrotantis, & ſenio laborantis, quos magni Dei ſeruos appellat, qui iam Ilicetо egreſſi erant. hæ Epiſtolæ apud nos ſunt ad pag. 157. 159. & 160.

Prima incipit. *Cariſſimo figliuolo in Chriſto dolce Iesù, Io Caterina ſerua, e ſchiaua de ſerui di Iesù Chriſto, ſcriuo à voi nel pretioſo ſangue ſuo etc.* Et paulò poſt ſequitur. *Deſidero vederui concepire fame ſu la menſa della Croce all' honore di Dio, et alla ſalute dell' Anime, e riformatione della ſanta Chieſa, la quale hoggi vediamo in tanta neceſſità, che per ſouuenirla è da vſcire del Boſco, et abbandonare ſe medeſimo*, & paulo infra. *Auuedrommi adunque, ſe in verità haiute concepiuto amore alla reformatione della ſanta Chieſa, perciò che, ſe ſarà coſi in verità, venirete à ſeguire la volontà del Benefattore noſtro Sig. Iddio, e del Vicario ſuo: Vſcite dal Boſco, e venite ad entrare nel Campo della battaglia, ma ſe voi non farete queſto, vi bauerete à ſcordare della volōtà di Dio. E però vi prego per l' amor di Iesù Criſto noſtro Redentore, che preſtamēte veniate, e ſenza indugio alla richieſta, che il S. P. vi fa*; etc.

Secunda verò, eiuſdem verbis incipit, quibus antecedens, ſemper inſiſtendo vt, nemote egrederetur, increpando renitentiam Fr. Guilielmi, qui ſolitudinem amans, nemus deſerere renuebat, extollens Fr. Andreā Lucenſem, & Paulinum Nolanum, qui ſtatim ad nutum, & ſi infirmi Romam petierunt, & claudit Epiſtolam. *Pregoui voi et il Bacigliere, e gli altri ſerui di Dio, che preghiate l' humile Agnello, che mi facci andare per la via ſua, permanete nella ſanta, e dolce dilettione di Dio.*

Tertia incipit. *A voi dilettiſſimo, e cariſſimo Padre, e fratello in Chriſto Iesù. Io Caterina, ſerua, e ſchiaua, de ſerui di Iesù Chriſto etc.* Per quam inſtat, propriæ voluntati renuntiandum eſſe, & parendum mandatis. Epiſtolæ. *Coſi ſaremo priuati delle tenebre, et haueremo la luce Amen. Laudato Gieſu Chriſto, e Maria dolce.*

Redeat, benig. Lector ad ea, quæ diximus ſuprà in Adnotat. pro B. Guilelmo Anglo. In alia Epiſtola huius ſanctiſſ. Virg. ad Matronā 3. meminit, huius B. Antonij, cui plurimam ſalutem dicit, ita ſe gerit, in alijs Epiſt. miſſis F. Guilelm. & præcipuè in 2. ſic ait. *Conſortate, ò benedite Fr. Antonio cento migliaia di volte in Chriſto Iesù.*

De hoc B. Viro agit Aſſinas, ſub litt. A. pag. 15. in ſuo Indice; Vgurgerius in 3. Oratione, de qua ſupra facta eſt mentio. Relatio Beatorum Ilicetanorū. Alteſius in Elog. n. 5. in Indice. Authores Vitæ B. Io: Chiſij, Herrera, Torellus, & alij multi.

23 De B. NICOLAO CERRETANIO Sen.

VErè Ilicetum Sanctitatis Ilicium, traxit autem Nicolaum, qui relictis mundi pompis, & ſuorũ maiorum opibus, pro Chriſti amore paupertatẽ, & mendicitatẽ non abhorruit, hic ſimul diſcipulus, & Magiſt. in Relig. Palladio apparuit, euaſit ac Præceptor huius obſeruantiæ factus extrenuus, primũ meruit eſſe lapis angularis Ilicetanæ Reipub. poſt cuius confirmatũ exordium, præmiũ recepit Die 12. Maij An. M.CCC.LXXXXVI.

ADNOTATIO.

MVltis in Publicis Tabulis, quæ in Archiuio Ilicet. conſeruantur ſingulari diligentia, redactæ etiam in authenticam formam, conficienteſq; magnum Volumen ſtudio, ac labore M. Fr. Camilli de Noccis, ſeu de Talentis ex Oppido Abbatiæ S. Saluatoris Montisamiatę, ſecundùm verò Religionem Florentini, qui liber ſub vulgari nomine, *Campione de Contratti*, circunfertur, hic noſter B. Nicolaus oſtenditur habere in Patrẽ D. Franciſcũ Manentis de Cerretanis, id quod apparet præcipuè pag. 54.

Habitu Eremitico induitur Senis apud Cœnobium illud Illuſtriſſimum S. Auguſtini in Caſtellaccia S. Agatæ, cuius Cœnobij etiã filius ſecundùm Religionem, aut (vt aiũt) alumnus declaratur; at fragrans deſiderio ſolitariæ Vitæ Ilicetum noſtrũ petijt, ibiq; benignè recipitur, & adeo profecit, vt omnibus ſe redderet admirabilem, concepta præſertim apud Accolas de eo magna expectatione, ipſe autem nemini fraudem fecit, neminem teſellit, adeò vt non ſolum Ilicetanis clara appareret eius integritas, verùm etiam exteris, præcipuèq; B. Bartholomæo Veneto Gener. Ord. vigilantiſſ. qui Nicolai pietate, integritate, ac doctrina confiſus, per Patentes litteras (vt dictum eſt in Chronolog. Congreg. pag. 40. & 46.) in Vic. Gen. Monaſterij Ilicet. & poſtea aliorum Monaſter. inſtituit, & deputauit, ſicque euaſit Nicolaus Primus Vic. Gen. Congreg. Ilicetanæ de Obſeruantia in Tuſcia.

Omnes Scriptores Congreg. noſtræ ſingillatim cum Authoribus Relig. de eo agunt; inter Ilicetanos B. Paraclitus in Serie, de qua pluries, 1. loco de Nicolao diſſerendo ait *Fr. Nicolaus Franciſci de Senis tempore præfati Prioris F. Nicolai de Tinis An. D. 1348. die 25. Iulii habitum Relig. indutus ſub eodem Priore fecit profeſſionem, cuius opera, vel quo tempore è ſeculo migrauerit non inueni.*

Hic Paraclitus quidem ſcriptor ſolertiſſimus, at cum Ars ſit longa, Vita breuis, cuncta, quæ de B. Nicolao dici poſſunt, non valuit inuenire, præcipuè cum ei non licuerit ob diſtantiam, Archiuium Relig. Romæ reuoluere, & cum tempus conſumpſerit exactè gubernando modò Congregationem, modò Monaſteria eiuſdem Congregationis.

Quæ hic, & in ſuperioribus Chronol. diximus de hoc Beato, hauſimus ex dicto Archiuio Relig. præſertim ex Regeſtis Generalium, & ex Archiuio Congregat. & ex Memoriali Bonſignori pag. 17. & Marcucci pag. 10. vbi diffusè de hac materia agitur; inſuper habemus, ad quos mittimus candidiſſimum Lectorem noſtrum, Abbatem D. Ferdinandum Vgellium Florentinum ex ſacro Ord. Ciſtercienſium Doctiſſimum, accuratiſſimum Authorem in ſua Italia ſacra, ac opus ſanè conſpicuum, digniſſimũ, quod verè totam Italiam illuſtrauit, tomo 3. pag. 761. Morigiam pag. 553. omnes Authores antiquos, qui agunt de Orig. Relig. & Congregationum. Vide Io. Conſettũ Priuil. pag . Herreram Alph. p. 2. pag. 173. Torellum. Cent. 3. pag. 285. & alios.

De

BEatus Philippus Agazzarius, gloria ſuæ Gentis, tantumdem quantũ diuina iubente voce legerat, ſcripſeratq; patrauit innumera fere ad Eccleſiæ decorem, ac vtilitatem, vt vix quiſquam diuturno vitæ tractu percurrere ne aum noſſe ſufficeret, ſcripſit: his autem, cæterisq; virtutibus, quæ optimis, ſanctiſque Dei amicis competunt, ac tribuuntur, ornatus, glorioſo fine obdormiuit in Domino. Die 30. Octob. An. M. CCCC. XXII.

ADNOTATIO.

DE hoc loquitur Paraclitus Binus in ſerie Profeſſ. noſtri Monaſterij Ilicet, pag. 5. vbi hæc ait. *F. Philippus Sen. de nobili Stirpe de la Gazaia, licet quo die habitũ ſumpſerit, vel profeſſionem fecerit non inuenerim, fuit tamen Diſcipulus, et Nouitius prædicti F. Nicolai Prioris: Qui quantæ virtutis fuerit, innumera Librorum volumina, quæ ad Animarum communem vtilitatem multis annis propria manu tranſcripſit, et per varia loca diſperſa inueniuntur legentibus manifeſtat.*

Parcendum eſt dicto huius B. ſcriptoris aſſerentis non inueniſſe diem, in qua Philippus habitum ſumpſit, & profeſſionem emiſit: non omnia poſſumus omnes ſcire, ac videre. Reperitur apud noſtram Syluam Ilicet. p. p. pag. 1. quoddam Chirographum propria manu B. Philippi exaratũ, quodcaſu ad manus noſtras peruenit, & tanquam rem venerabilem, ne dicamus reliquiam cuſtodimus, per quod idẽ Philippus Leonardi Colæ (dicendum eſt Nicolai) de Agazzaria filius narrat, qualiter titulo donationis inter viuos, accipit pro Monaſterio Ilicet. à Nicolao Germano lepidiſſimo florenos aureos trecentos ex parte ſuæ hereditatis, ſub fide ſer. Galgani de Cerbonis, cuius virtute ſe declarat, & vult pleno iure reliqua pertinere ad Checcam, nempè Franciſcam Nepotem, dicti Nicolai Filiam.

Per idem Chirographum conſtat Philippum habitum Relig. ſumpſiſſe in die S. Syluestri Papæ An. 1353. per manus Fr. Michaelis de Cecchis, ſub Prioratu B. Nicolai Mateſcotti (contradicente totis viribus Matre eius) ex quo Chirographo deducitur Philippum vixiſſe in Religione An. 69. conficitur Chirographum die 1. Iulij An. 1414.

Huius Beati præconia m. s. extant apud Fr. Hieronymum Bonſignorium in ſuo Memoriali magno pag. 17. & alibi. Athanaſium, item in ſuo Memoriali pag. 32. & 33. de quo Athanaſius ſic ait. *Nel 1353 al dì di s. Silueſtro P. Filippo di Leonardo, di Cola di Caſa Agazzari nobil Saneſe riceuè l'habito per le mani di Fr. Michele Checchi da Siena eſiſtente Priore di queſto Eremo F. Niccolò Tini*, citat etiam ipſe Athanaſius prædictum Chirographum, & ſubdit. infra pag. 33. *Il quale di quanta bontà, e merito fuſſe, la Reuelatione fatta à lui per Oracolo della viua voce, che fu* (Legge, e ſcriue) *lo dimoſtra, atteſo che à commune vtilità dell'Anime fedeli di propria mano tanto ſcriſſe, che non baſteria l'età d'vn huomo à leggerlo, et io F. Atanaſio, che queſto ſcriuo al preſente, confeſſo ingenuamente hauer viſto auanti l'aſſedio di Siena tãti Libri ſcritti di ſua mano, che mi faceuan marauiglia, n'eran pieni tutti i noſtri Conuenti, e Camere de Frati etc.* Alteſium Elog. m. s. apud Siuã Ilic. p. p. pag. 93. & alij.

Vide Relat. Beat. Ilicet. Limam ſpirit. pag. 33. Vgurgerium, Gelſominum, Herreram, Torellum, Mozzagrugnum lib. 2. cap 8. pag. 170. Ferrarium, & alterum Vgurgeriũ, lib. 1. tit. 19. Philippus ſecutus eſt Fundat. Canon. Reg. moderatus eſt Monaſt. & Cõgreg. vt in Chronol. Scripſit penè infinita, ſed non reperiuntur, vt ſæpe dictum eſt.

De

25 De B. STEPHANO CIONIO Sen.

BEatus Stephanus, cum inter Ilicetanos Coremitas, ingentem ſibi virtutum collegerit ſupellectilē, Greg. XII. Papæ ope ſuffultus, æternā Canonicorum Regularium S. Saluatoris adhibitis aliquibus ex Ilicet. iecit fundamenta, cuius firmitudinem fundatoris felix exitus illuſtribus decoratus miraculis, & cellitas Relig. ſatis aperte cunctis declarat. Bononiæ moritur Die 28. Octobris An. M. CCCC. XXXIII.

ADNOTATIO.

BEatus Stephanus, cuius Pr. Ioannes de [illegible]nis, q[illegible]æ Proſapiain ſen Patria vſq; ſub An. circiter 1300. publicis hon[illegible]ribus [illegible]uebat[illegible] S[illegible]tephanus inquam triplici tuba extollitur, Ilicetanorum ſcilicet, aliorumquè ſcript[illegible]rum Religionis Auguſtinianæ, Canonicorum ſuorum, nec non aliorum, qui de Orig. Relig. agunt, qui omnes ſine hæſitatione, Authorem, & Fundatorem Canon. Reg. dicunt eſſe hunc noſtrum Beatum.

Verumtamen multi ex illis iniuriam irrogant prædictæ Congregat. Canonic. & ſocietati Ilicetanæ inſimul, appellantes, ex his duabus primā Congregationem Scopetinorum: nam potiùs, & veriùs Ilicetanā dicere deberent, dum ab Ilicetanis verē traxerit Orig. Ilicetiq; primùm ſit celebratum Capitulum Generale, & dum ibidem ſeruarentur omnia Priuilegia, quæ ſuper hac fundatione condita ſunt à ſancta ſede, neque audiendus eſt Io: Baptiſtā Sighius, de Orig. Canonic. cap. 5. lib. 3 pag. 38. & eo magis, vt puramus, Congregatio Canonicorum Ilicetanorum deberet dici, quia multi ex Ilicetanis Alumnis dicti Monaſterij, qui ſecuti fuerunt Stephanum Fundatorem, etiam illi ſucceſſerunt in Officium Generalatus, vti infra patebit.

Remittimus verò circa hæc benignum Lectorem, ad ea quæ diximus in alia noſtra Ilicet. Sylua, vulgari ſermone exarata cap. 3. Nobilißimæ, Illuſtriſſimęq; Fæminę Catharinæ de Freſcobaldis, nuptæ ſapientiſſimo viro Hieronymo de Bartholomæis, dicata.

Relictis igitur cunctis ſcriptoribus, qui ex abundantia cordis loqui poſſent, ideo tamquam ſuſpecti queunt haberi, inter alienos ab vtraq; Congregatione Ilicetana, & Canonica. Habemus ſanctiſſimum Antiſtitem Florentinum Antoninum 3. parte, D. Syluanum Razzū in Vitis ſanctorum Tuſciæ pag. 636. D. Sylueſtrum Marulum, Io. Baptiſtam Confectum Priuil. pag. 15. Academicum Officioſum, nempe Lucarinum ſenen. Ciuem vtriuſq; Iuris Doctorem *Impreſe* pag. Tom. Theol. Iſidorum Vgargerium, *Pompe Saneſi*, pag. 276. & 277. Morigiam Orig. Relig. pag. 267. cap. 40. & alios multos.

Prædictus tamen Syluester Marulus ſequens Penotum multa ſtulta, & abſurda videtur dicere, præſertim (pace nobili ſimæ Religionis Ciſtercienſis, ex qua fuit Marulus, ſic ex neceſſitate, & ad redimendā vexationem ſcribimus) in ſua Hiſtoria ſacra, ſub Titulo, *Mare Oceano omnium Religionum*. Loquens de hoc Fundatore, ad quam (ſi placet) pergat noſter Lector.

Sunt Aliqui etiam ex Congregatione Canon. qui negant Stephanum fuiſſe fundatorē, vocantes eum Propagatorem, ſeu Reſtauratorem, quod expreſſæ veritati repugnat, cum in dictis Diplomatibus conſtituatur omnino nouus habitus, nouæ Conſtitutiones, & etiam Titulus ſub Regula D. P. Auguſtini, vt in dictis Diplomatibus, in quibus minimè fit mentio alicuius Congreg. aliàs fundatæ: Originalia reperiuntur in Archiuio Ilicet. & in lib. Priuil. eiuſd. Monaſt. à pag. vſq; ad

De

INter has Ilices B. Stephani Iacobus secutus est vestigia, à quo in Socium assumptus, inseparabiliter eum sequitur præcipuè in erectione noui Canonicorum Instituti: postea sanctitate morum D. Bernardini Sen. inlectus, per eius manus, habitu Seraphico indutus palàm ostendit, se professum fuisse clausralẽ obseruantiam, eo in loco, vbi Magnus P. Franciscus eam didicerat, postea eundem S. Patrẽ, ad cælestia prosequitur. An. M. CCCC. XXXIV.

CAPVT SECVNDVM.

FRanciscus Modius de Orig. Ord. Eccles. est in sententia, hunc B. Iacobum, non tãtùm fuisse socium B. Stephani Cionij, sed etiam Fratrem Germanum.

Vidimus diligentissimè cunctos codices, cunctaq; monumenta Ilicea, sed nil pro hac re inuenimus; at benè habemus in publicis Tabulis illius temporis, necnon in Priuilegijs super erectione, & fundatione Congregationis Canon. Reg. editis, & à Greg. *XII.* summ. Pont. datis, Stephanum habuisse Patrem Ioannem, & hunc Iacobum Patrem habere Andream, perstant tamen esse Fratres, eo modo, quo vocantur Veterini, nempe quoad Matrem, nec etiam de hoc quid minimum argumentum, sine testimonium ex nostris scriptoribus haurire potuimus.

De hoc Iacobo ex certa scientia B. Stephani socio inseparabili sermonem faciunt omnes Authores, qui agunt de Stephano, sed longum esset omnes recensere, eo magis, quia de Iacobo etiam agunt scriptores Seraphicæ Religionis.

De eius Sociatu cum Stephano videnda est Executio Commissariorũ Apostolicorũ pro noua Cong. S. Saluat. quæ reperitur in Archiuio, & in lib. Priuil. Ilicet. vt dictũ est in præcedenti Adnot. quam etiam refert Io. Bapt. Signius de Ord. & statu Canon. lib. 2. cap. 8. pag. 160. in cuius prælatione hæc ait. *Commissarii igitur, quos dicunt, Apostolici Fr. Stephanum, et Fr. Iacobum Andreæ, quem Pater Comitem eius itineris ex sociis sibi delegerat 8. Calend. habitum vestiere etc.* intra executionem verò. *Nobis per Religiosos Viros Fr. Stephanum Ioannis, et Fr. Iacobum Andreæ, etc.* & Paulò inferius. *Nos igitur Antonius Episcopus, et Camerarius, ac Gabriel Senen. et Ioannes Ragusinus electi Commissarii præfati, cupientes voluntatem, et ordinationem d. D. N. Papæ nobis commissam adimplere, vt tenemur, ideirco prælibatos F. Stephanum, et F. Iacobum in præsentia nostra personaliter constitutos, etc.* D. Constantinus Ghinus Natal. Sanct. Canon. die 28. Octob. pag. 80. *Quapropter Lucam Ciuitatem illum* (loquitur de Stephano) *venire iubent, et si renitentem habitum Canonic. Reg. vnà cum eius socio Iacobum induit,* & infra: *sed ad suos stephanus, et Iacobus reuersi etc.* in fine verò *Eius nomen*, (loquitur itidem de Stephano) *in Tabulis Bononiensis Ecclesiæ inter Beatos appositum est vnà cum præcipuo socio Iacobo etc.* & sic de eisdem ferè semper loquuntur cuncti scriptores.

De eodem Iacobo tandem concludit Signius lib. 2. pag. 185. *Eo etiam sæuissimo turbine F. Iacobus Andreæ sæpè dictus haud nimio timore perterritus, qui socius, et collega ipsius R. P. Stephani fuerat, aut spe arctioris vitæ, ad Monasterium Ord. Minorũ prope Senas, quod de Capriola dicitur confugit, in quo deuotè perseuerans, tandem sanctiss. fine in Domino quieuit.*

Expectatur Historia Generalis sapientiss. & Reuerendiss. P. F. Lucæ Vuadinghi pro sacra Relig. Seraph. in qua fortasse de hoc B. Viro erit sermo perlongus.

De

27 De B. IOANNE SALIMBENIO Sen.

Bene ad Ilicetanum Collem ſaliens, relicto mundo, Ioannes, adeo ad perfectionem peruenit monaſticam, vt Eremiticæ, & Canonicæ Congregationis, Stephanum ſequens, ſtabile fundamentum eſſe potuerit: at primi ſtatus memor, quietis amator, Pontificio cum conſenſu ad eumdem redijt, & bene, gradatimque pri ſtalum perfectionis aſcendens, ad æternam tandem peruenit Patriam. Die 12. Junij. An. M. CCCC. XXXV.

ANNOTATIO.

OMnes Scriptores Congregationis noſtræ mentionem faciunt de hoc B. Ioanne de Salimbenis, quæ Familia inter Senenſes maiores, ſine diſcrimine numeratur. In primis Religioſiſs. Vir Fr. Hieronymus de Bonſignoris Sen. in ſuo magno Memoriali pro rebus Ilicet. pluribus in locis de eo agit præſertim pag. 20. & 21. vbi retulit nomina eorum Religioſorum, qui cum Stephano Ilicetо receſſerunt, nouoq; habitu Canonicali induuntur, interq; ponit *Fr. Gio: di Tofo Salimbeni da Siena.*

Item P. Athanaſius Marcuccius Fullonicenſis de eiſdem rebus, Memoriali magno cap. 3. pag. 34. narrans Hiſtoriam fundationis prædictorum Admodum Reuerendorum Canonicorum inter Fundatores ponit. *Fr. Gio di Tofo Salimbeni da Siena, queſto ritornò etc.*

Agunt inſuper de hoc Beato omnes Authores Canonici, præcipuè Ioannes Baptiſta Signus, de Ord. ac Statu Canonico lib. 2. pag. 177. numerans Religioſos, qui Ilicetі degebant ante mutationem habitus inter eos 5. loco ponit Frat. Ioannem Chriſtophori de Senis, de eodem etiam alibi facit mentionem in prædicto ſuo Tractatu.

Hic Ioannes (vt dictum eſt) filius fuit, vt in lib. & in monimentis habemus Ilicetanis D. Tophi, D. Ioannis, ſed certè putamus corruptum vocabulum, & legendum, vt legit Signus loco ſupra citato, Chriſtophorus, ex nobiliſſima, ac potentiſſima Familia de Salimbenis, qui Chriſtophorus cum à Republica Senarum tamquam rebellis, & inimicus dictus eſſet propter ſeductionem, & tractam, ita in Inſtrumentis, ſub Fiſco poſtea reducta cuncta eius bona fuere. Cœnobium Ilicet. per hunc Fr. Ioannem, eiuſdem Cœnobij Alumnum inſtitit, petijtq; ea omnia, quæ ad ipſum pertinebat tamquam filium, & hæres dicti Chriſtophori, aliàs Procurator Monaſterij; Filium non debere portare iniquitatem Patris; & ſi in illa corruptiſſima ætate eſſet Lex Reipublicæ Sen. bona rebellium, non valere defendere Mulieres, nec etiam per repetitionem ſuarum Dotium, tamen Viri conſtituti ſuper bonis Rebellium, & Illuſtriſſimi Domini (vti dicunt) Baliæ, audita petitione ſtatuerunt, ac ſuccesſerunt, vt darentur tanta bona immobilia vſq; ad valorem Florenorum Octingentorum, & tredecim pro Dote materna, hac addita conditione, vt ex eodē valore conſtrueretur Portalitiū, aut Turrim, in defenſam loci. Die 24. Menſ. Maij An. 140.

Dictorum Bonorum capitur poſſeſſio per F. Stephanum Ioannis Cionij (hic fuit ille B. Stephanus de quo ſupra) Die 31. ſeptemb. eiuſdem Anni, in lib. Contractuum pag. 85. & 86. ex quorum bonorum precio conſtruitur Turris (vt dictum eſt ſupra in Chronolog. Monaſterij pag. 134.) Artifices in capite fuerunt quidam Ioannes, & Simeon, ſub directione B. Chriſtophori Landuccij, in pecunia numerata dantur tantùm libræ 75. ſold. 11. & vlq; ad integram ſummam compenſatur in tanta commeſtibilia, vt dictum eſt ſupra, pag. 23. Marcuccius pag. 63. & Bonſignorius pag. 18.

Mater huius Beati vocabatur Ioanna de Macchis, iam defuncta, quando hæc acta fuere.

De

LVmine diuino Matthæus illustratus in Patria ameno in Colle ſuper Clanas reſidente, valuit alium cunctarum virtutum ſplendore, quo ipſe micabat, illuminare vmbroſum nempe, Syluã Ilicetanam. Hic inter noſtras Sacras Ilices latitans, prudentiſſimè ebulleſcentem iuuentutem firmauit, & arctiſſimam illius Loci ſubſtinens obſeruantiam, meritò inter præcipuos inſtitutores potuit numerari; Beato fine quieuit. An. M.CCCC.XXXVI.

ADNOTATIO.

CIrcumſpectè, magnificèq; agunt de hoc noſtro Sapientiſſimo Viro, Hieronymus de Bonſignoris Senen. Athanaſius Fulloniceníis in eorum Commentarijs pluribus in locis, præcipuè vbi agitur de B. Iacobo Senenſi, vt videre eſt in Adnotat. præterira pro B. Ioanne Salimbenio, Baſilius Monaldus in Indice Beat. Ilicet. Marcellinus Alteſius elegantiſsimus ſcriptor in aliquibus Adnotationibus pro rebus Ilicetis apud nos m. s. in Bilbiotheca noſtra noua apud Cœnob. D. Mattini sub ſigno † Grad. 8. num. 27.

B. Paraclitus Binus à S. Angelo in Colle in ſua bene contexta ſerie filiorum Monaſterij Ilicetani de B. Matthæo, hæc reliqnit. *F. Matthæus de Lucignano Vir Venerabilis*, neſcit Paraclitus tempus eius ingreſſus ad Religionem, nec nos inuenire nequimus; & ſi adhibita omni diligentia, creditur tamen ſumpſiſſe habitum ſacrũ eodem tempore, quo ſumpſit Chriſtophorus Landuccius, ſimul & Beatus Macharius Barnabæ, Antonius Benedicti, & Galganus de Senis, Fr. Herculanus de Caſtello Plebis, ac Fr. Adeodatus Filius prædicti Fr. Macharij, qui omnes Contemporanei fuere, & ſub eodem Præſule.

Abſolutè tamen dicimus, hunc Dei ſeruum optimum, habitum Sacrum Religionis Eremiticæ accepiſſe è manibus illius Beatiſs. Præſulis noſtri Ilicetani Cœnobij Fr. Nicolai de Mareſcottis, eundemq; ſemper ſecutum fuiſſe Præceptorem, & Patrem, & hoc tantum ſufficeret ad oſtendendam huius Beati integritatem, & ſanctimoniam.

Illum Matthæum Foreſtanum, commendatum à ſanctiſſima doctiſsimaq; Virg. Catharina Senenſi in 2. Epiſtola, quam B. Guilelmo Ilicetano dederat, putant aliqui eſſe hunc Matthæum à Lucignano: ſed ſine dubio errant iſti à via veritatis, nam iſte Matthæus Foreſtanus fuit quidem Senenſis, Foreſtanorum enim Familia, quæ vna cum Cittadinis eſt (vt ſupra diximus) inter ſenenſes Nobilis, ex qua fuit Matthæus commendatus à Catharina pro receptione noſtri habitus, id quod colligitur ex Arbore dictæ Proſapiæ, vt apud D. Iulium Cittadinum, Tabelloniorum in Noſtra hac Patria Senenſi Præfectum, & etiam apud quendã librum Opuſculorum m. s. qui ſeruatur Romæ in ditiſsima Bibliotheca Eminentiſsimi D. Cardinalis Frãciſci Batberini, in cuius Tegmine Arbor dictę Familię apparet, erat enim iam dictus liber P. Fr. Iacobi de Foreſtanis Senenſis Auguſtiniani.

In dicto Oppido Lucignani Vallis Clanarum, nunquam fuit hęc Familia Foreſtanorum. Remittimus noſtrum benigniſsimum lectorem ad ea, quæ narrata ſunt in noſtris Chronologijs de hoc noſtro Beato, eo tempore, quo præfuit Cœnobio Ilicetano; & Congregationi, pag. 25. & 48.

Pater eius vocabatur Franciſcus, vti ex lib. magno Contractuum, In quo multa apparent peracta ab iſto noſtro Beato ad fauorem Cœnobij.

29 De B. MACARIO Senenſi.

Macarius diuinum conſilium audiens .s. Qui non renunciat Patrem, aut Matrem, filios, aut Vxorem, non poteſt meus eſſe diſcipulus; Relicta domo, habitoq; caſtiſſimæ vxoris conſenſu, 12. Januarij, ad Ilices noſtras ſedulo ſe contulit, adiuncto ſibi filio Adeodato, Auguſtinum Patrem magnum, qui ſe Deo cum filio eiuſdem nominis dicauerat, ſequens, Hic Iliceti ſanctè obijt An. 1406. ſed verius M.CCCC.XXXXIV.

ADNOTATIO.

REligioſiſs. Franciſcus Rappius 2. p. Linæ ſpirit. pag. 33. agit de hoc Macario, & hæc refert. *F. Macario di Barnaba da Siena, abbandonato gli honori, figliuoli, moglie, e robbe di licenza della Moglie, uiſſe, e morì molto laudabilmente, come nella vita ſua appare.*

Ex quibus verbis ſatis colligitur F. Macarium nobilem, ac diuitem fuiſſe; at nos, & ſi adhibita omni cura, & diligentia minimè eius geſta à ſupradicto Authore citata reperire potuimus, fortaſſe perijt in illa lachrimabili iactura, quæ facta fuit à Mariano Generali Ord. iuxta Puteolos, vt dictum eſt ſupra in Chronolog. Cœnobij Ilicet. & Congregationis pag. 29.

Non incongruum verò putamus prædictas res geſtas, ſcriptas fuiſſe à B. Agazzario eius coeuo, ſimiliter etiam, ex qua Proſapia inter Sen. fuerit, inuenire nunquã potuimus.

B. Paraclitus Binus in Catal. filiorum Iliceti, hæc edidit de eodem pag. 6. *F. Macarius Barnabæ de Senis, qui in ſeculo habuit vxorem, et filios, et viuente vxore habitum ſuſcepit*, & paulò poſt ſequitur. *Ac deinde Adeodatus filius prædicti Macarii et ſi tempus ingreſſus eorum ad Religionem inuenire nequiuerim, tamen poſt prædictum F. Chriſtophorum Landuccium, vt conieci, habitum Religionis ſumpſerunt.*

Poſt verò aliquos annos Fr. Marcus eiuſdem B. Macarij filius, & dicti Adeodati Fr. habitu Eremitico induitur, & tranſacto anno probationis ſuam ſolemnẽ emiſit profeſſionem die 1. Decemb. An. 1438. in manibus R. P. F. Hieronymi de Bonſignoris Senen. de quo Paraclitus Binus. *F. Maurus alius filius ſupra iam dicti F. Macarii de Senis multis annis, vt puto poſt Patrem Religionem ingrediens, fecit profeſſionem in manibus prædicti Fr. Hieronymi. Die 1. Decemb. anno 1438.*

Poſtremò peruenit ad manus noſtras publicum Anthographum, per quod conſtituitur Macarius Nobilis Senen. à Patribus Monaſterij Iliceti in Procuratorem pro acquirẽda quadã hæreditate, cum facultate, vt de ſuis bonis poſſit alere D. Marianam eius vxorẽ, ac etiam veſtimenta emere pro dicto Adeodato, Die 6. Menſ. Maij 1404. e lib. Veteri Profeſſ. pag. 19. & 25.

In quodã libello rerum notabilium exiſtente in Archivio Ilicetano, hoc habemus monimentum. *A dì 28. di Luglio 1439. fu mandato à Siena F. Macario per gouernare Fr. Chriſtofano Conuerſo, che haueua male alle Ginocchia.* Hic Chriſtophorus Laycus, erat ille B. Chriſtophorus Ioannis Landuccij, de quo in fra Elog. 35.

Poſtea habita facultate Reuerendiſs. Generalis ad Zenodochium S. Mariæ de Scala aduenit, vt quẽdam ægrotum cuſtodiret, ibiq; ſanctiſſimè deceſſit atq; ſepelitur.

Quam facultatem confirmata fuit per Reu. P. Hieronymum Bonſignorium Sen. Vicariũ Gener. Congr. additis aliquibus conditionibus, die 11. Ianuarij An. 1444.

De

30 De B. REGOLINO REGOLINI Sen.

INter Iliceiana Clauſtra bene armatus erat Regolinus, quare abſq; labore Stephani Cioni valuit ſequi eius veſtigia, fundationi ſacræ Cong. Canonic. cooperando; ac poſt Fundatorem eandem gubernando; ea refulſit in rebus agendis prudentia, eaq; nituit morum innocentia, vt Stephano congruenter ſucceſſerit; multùm ſuæ Cong. profuit, contra hoſtem cõmunem decertans, quo deuicto coronatur. An. M. CCCC. XXXXVI.

ADNOTATIO.

HIc B. Regolinus filius fuit D. Angeli D. Philippi de Regolinis Sen. Ciuis. Familia Regolina eadem fuit in Patria Sen. ac Albizeſca, ex qua progenitus fuit Sanctiſs. ille Bernardinus Ord. Min. Reformator, qui à Nicolao V. an. 1451. die 19. Maij in Sanct. Cathal. numeratus fuit: hinc Io: Baptiſta Signius de Ord. ac Statu Canonic. lib. 2. pag. 177. aſſerit Regolinum conſanguineum, nempe Patruelem fuiſſe prædicti S. Bernardini; & Iſidorus Vgurgerius ſac. Theologiæ Lector amicus noſter in Tractatu *Pompe Seneſi*, tit. 11. pag. 258. aſſerit Regolinum fuiſſe ex Nobili, & antiquiſſima Familia Albizeſca; nos libenter præſtamus conſenſum authoritati tanti ſcriptoris, eo magis addito dicto Io: Baptiſtæ Signi; & etiam quia hoc teſtatur Perilluſtris D. Beliſarius Bulgarinius peritiſſimus, ſolertiſſimusq; rerũ antiquarum ſuæ Patriæ indagator, & ſi nos minime hoc ex libris publicis tabuliſq; & Indultis Pontificijs cuſtoditis in Archiuio Iliceti. haurire potuimus.

Quo tempore Regolinus, & ſub quo Præſide Religionem fuerit ingreſſus, minimè poſſumus deducere, cum nec etiam Paraclitus Binus in Serie Profeſſorum eiuſdem recordetur; & ſi mentionem faciat pag. 64. de Andrea Angeli, licet obſcurè, vt infra patebit in Adnotatione pro hoc B. Andrea.

Attamen habemus apud Hieronymum Bonſignorium in Coment. pag. 20. & 21. & apud Athanaſium Fullonicenſem pag. 34. & alibi itidem in Coment. & apud lib. magnum vulgò *Campione de Contratti*, multis in locis, Regulinum Angeli permanere de Familia Iliceti tunc temporis; quando Stephanus receſſit cum alijs, & nouo Canonicorum habitu ſunt induti, inter quos Regulinus, qui conſtantiſſimè Stephanum ſecutus eſt. Hæc omnia concedit etiam Signius loco ſupra citato.

Anno 1431. Regolinus erat Vicarius, & Procurator Monaſterij S. Ambroſij Eugubij in quo Monaſterio prætmortuo Io: Antoni Senen. qui & ipſe erat ex illis qui receſſerunt & Religionis, & conſtantiæ apud Patrem Stephanum non infimum locũ ſemper obtinuit; eo inquam mortuo, non abſq; fama Beatitudinis, ſubrogatur in Officium, quo ipſe fungebatur Prioris prædicti Monaſterij.

An. poſtea 1432. Defuncto Stephano primo Gener. Bononiæ conuenientes Patres electores Regolinum ſufficiunt in Priorem Gener. in quo munere Sanctiſſimè ac prudẽtiſſimè perſeuerans, magno cum incremento huius nouæ Relig. fundatis diuerſis in locis domibus, ſanctiſsimis moribus confirmatis B. fine quieuit; neſcimus tamen qua ratione Excellentiſs. D. Conſtantinus Ghinus ponat obitum eius cum Stephano Die 28. Octobr. An. 1428.

De

31 De B. DOMINICO VGOLINO Sen.

Dominicus ex Nobili Vgolinorum Proſapia ortus, Religionem anhelãs, relictis Opibus, ſuæ Vitæ Sanctimonia, hanc Eremum vberiorem reddens illuſtrauit, ex qua, vt Stephanum ſequeretur, egreſſus, cum eo Auctor fuit ſacræ Religionis Canonicorum; quam, defuncto Regolino, Generalis acclamatus, maximo incremento, & gloria gubernauit, moritur Die 1. Auguſti An. M. CCCC. XXXXVIII.

ADNOTATIO.

DOminicus noſter apud quoſdam etiam Petri retinuit nomen: Forſan quia Petri emulatus ſit zelum, in Iliceti monimentis præcipuè Bonſignorij pag. 20. & 21. & Marcucci pag. 34. vocatur Fr. Dominicus Vghi de Vgolinis. Vgolina enim Proſapia Nobiliſſima eſt in Ciuitate Sen. Vidimus in Archiuio Vallaſprenſe Inſtrumentum, in quo Bernardus Vgolinus Comes donat Rannerio Eremitæ dicti loci quamdam partem territorij, & hoc die 20. Apr. an. 1203.

Dominicus hic de Familia Iliceti degens An. 1408. iam ſacerdos, diuino zelo commotus, alios ſuos confratres, præcipuè Philippum Agazzarium, & Stephanum Cionum ſecutus eſt; de quo Stephano euaſit ſocius in fundatione noui Inſtituti Canonicorũ Regularium. Hinc ſcriptoribus Canonicis, & noſtris occaſionẽ dedit de ſe loquẽdi.

Ioſeph Mozzagrugnius aſſerit Dominicum noſtrum fuiſſe ex Familia Cionia, & ſic ait. *Fr. Dominicus Cioni Regularis obſeruantiæ promptiſſimus zelator.* addens. *Dominicum ad ſtrictiorem ſtatum tranſeundi motum, ad Seraphicam Religionem tranſiſſe in Cœnobio, quod dicitur de Capriola propè Senas, vbi vitam artiſſimã ducunt Ineolæ Religioſi.* at Ioſeph ſicut errat quoad cognomen, ita vacillare videtur quoad egreſſionem, tribuendo Dominico, quod Andreæ de quo ſupra contigit. Sic aduertit Errera Alph. p. p. pag. 200.

Io: Baptiſta Signius inter duodecim Diplomata Pontificia, quæ poſuit in ſuis adnotationibus vult etiam Dominicum hunc eſſe de Cionis, & ad hoc euincendum citat quoddam Inſtrumentum in quo Dominicus declaratur Procurator ad aliqua peragenda pro Cœnobio Eugubino; ſed in monimentis Ilicetanis vocatur hoc nomine *Dominicus Vghi de Vgolinis.* Cognomen forſitan Fundatoris Stephani, Dominico tribuit Signius, errore aliquorum deceptus, qui dixere Stephanum Cionum, & Dominicum fuiſſe germanos Fratres.

Idem Signius, loco ſupra citato lib. 3. pag. 304. aſſerit Dominicum obijſſe An. 1428. & hoc deducit, quia, cum eo anno præeſſet Monaſterio Eugubino, non interfuit Capitulo; ſed eius loco Fr. Petrus Pauli Senenſis, & addit. *Hic itaq;* nempè Dominicus, *ad æternæ vitæ præmia pro laborum ſuorum merita Ilicetanos ſuos, poſt Beatũ Franciſcum, quem ſub eo exilio notauimus deceſſiſſe, omnes præuenit; laborauit enim apud Patrem in aduerſis proſperisq; fideliſſimus Comes, huius fidem teſtantur plures Apoſtolicæ literæ, præter alia multa Inſtrumenta, quibus in obeundis Congregationis negotiis, ſemper vna apud Patrem dilectus Procurator fuit, cui ob ſingularem prudentiam, ſolertiſſimum, religioſiſſimumq; ingenium Pater ipſe iam ſenex, vti ſolido baculo incumbebat. etc.* Nos hanc opinionem coniecturatam non ſequimur ſcilicet quoad obitũ huius Beati, ſed verius obijſſe putamus An. vt ſupra,

32 De B. ANDREA REGOLINO Sen.

ECCE alter Andreas Christi Apostolus, qui vix ad Ilices nostras ingressus, suspensis ad earum stipites terrenis desiderijs, seipsum mundo crucifigens, inter ieiunia, & flagella præces pro sua, aliorumq; salute Domino offerebat. Hic Stephanũ sequutus, nouo Canonicorũ habitu per eiusdẽ manus induitur, sed ad Eremiticũ postea regressus, inter vepres illas, ac senticeta, calcatis mũdi voluptatibus, ad Cœlũ peruenit. An. M. CCCC XXXXIX.

ADNOTATIO.

DE hoc nostro B. Andrea Paraclitus Binus à S. Angelo in Colle in sua iam citata Serie Professorum Ilicetanorum sic affatus est, *Fr. Andreas Angelini*, debet Legi Angeli *de Senis*, *et si tempus receptionis suæ ad habitum non inuenerim, tamen anno Dom.* 1403. *Die* 16. *Augusti in præfato Monasterio fecit Professionem expressam.*

Qui emissa professione, & iam sacro Præsbiteratus ordine initiatus, habitum sumpsit prouectæ ætatis, ab alijs dissentire minime voluit, currens post maiorum vestigia, Philippum Agazzarium, in cuius manibus professus est, & Stephanum alios: consodales sequitur, & vt diximus supra; à Stephano apud Fesulanam Ciuitatem in D. Dominici Cœnobio nouum Canonicalem habitum sumpsit.

Qua de re omnibus scriptoribus locus factus est diffusè de Andrea tractandi. Ghinius Doctor Sacri Patrum Theologorum Senen. Collegij in suo Tractatu, Natalium sanctorum Canonicorum, pluries citato, pag. 80. & 10: Baptista Signius de Ord. & statu Canon. pluribus in locis, præcipuè lib. 2. pag. 177.

Andreas tandem facultate alterius Diplomatis Greg. XII. ad pristinum statum redijt, & ideo *Ilicetani* etiam potuerunt de eodem agere, & ante, & post discessum eius: inter quos præcipue illi duo nunquam satis laudati Viri Hieronymus Bonsignorius, & Athanasius Fullonicensis in eorũ Adnotationibus pro rebus Ilicetanis m. s. primus præsertim pag. 18. & 20. vbi fert ista verba *Andrea d'Angelino di Filippo de Regolini da Siena*, è pag. 21. ait, *Ritornati al luogo* inter quos ponit, *Fr. Andrea d'Angelino di Filippo da Siena*. Secundus verò pag. 34. inter Fratres qui discesserunt primo loco ponit. *Fr. Andrea d'Angelo Regolini da Siena*.

Non explanarunt tamen, aut non animaduerterunt hi duo scriptores, quod cũ Andreas habeat in Patrem Angelum Philippi Regolini, qui Angelus, & Philippus cum sint etiam Parentes supradicti B. Regolini, sequitur Regolinum, & Andream fuisse Fr. Germanos ex domo Regolina, qui vna est cum Albizesca, vt dictum est in Adnotatione pro B. Regolino, hìc nomen sumendo à cognomine, & cognomen à nomine Patris; idcirco aliqui dicunt Fr. Regolinus de Angelinis, vti scribit B. Paraclitus in lib. Professorum, vt visum est supra, cum Andreas de Regolinis esset appellandus à proprio cognomine.

Quare ex hac Illustris Familia Albizesca duo Luminaria magna, prodierunt, quibus ditata fuit nostra sacra Sylua, vnum vt Canonicum statum illustraret, alterum Ilicetanam Opacitatem; quibus additur illa lucidissima Stella nempè B. Bartholomea ex eadem stipite, & Diui Bernardini Amita, de qua infra in Elog. 50.

Andreas, vt dictum est regressus ad nostras Ilices, ibi fructificans suauitatẽ odoris, Beato fine quieuit.

33 De B. FRANCISCO NVTO Sen.

REmanere apparuit inter naturales horrores hæc noſtra Sylua ob diſceſſum Lucidiſſimi syderis Franciſci Seraphici; quare congruum erat, vt à ſydereo lumine alteriùs Franciſci illuſtraretur; qui poſtea à Stephano nouo Canonicorum indutus habitu, expertus eſt tandem moliter veſtitũ non poſſe ſe facile per arctam Cœli viam incedere, vnde ad ſtrictiorem eremiticã vitã reuerſus, ſanctiſs. è viuis diſceſſit. Die 28. Octob. M. CCCC. LI.

ADNOTATIO.

TEmpus, quo hic ingreſſus fuit Religionem minime inuenire potuimus, nec in lib. Antiquiori Profeſſorum noſtri Monaſterij Ilicetani, nec in Recentiori exaratum per Beatum Paraclitum Binam; tamen & ſi Ilicetani Scriptores præcisè de hoc verbũ non fecerint, prætermiſſis Bonſignorio, & Marcuccio, qui locis ſupra citatis, inter eos, qui receſſerunt Iliceto, & redierunt numerant *Fr. Franceſco di Giouanni da Siena*. Verumtamen ſupplementum dederunt scriptores Almæ Congregationis Regularium Canonicorum magnis laudibus, & encomijs Franciſcum extollentes.

Inter quos Io: Baptiſta Signius præſertim pag. 177. numerans ſuos Fundatores, inter eos ponit *Franciſcum Nanni*, s. Ioannis Set Nuti s. de Nutis, & pag. 304. & alibi. Ioſeph Mozzagrugnus in ſuis operibus, & D. Conſtantinus Ghinius pag. 80. Qui omnes vno ore eundem glorioſo Beatitudinis titulo, interq; eiuſdem Congregationis Agmen Sanctorum reponunt.

Mozzagrugnius in Hiſtoria ſuæ Congregat. de eodem hæc verba pronunciauit, *F. Franciſcus magnæ ſanctitatis, et in omnibus exemplar fuit, qui ob eius laudabilem vitã, et conuerſationem, non ſolùm hominibus in vita gratus fuit, verum etiã poſt mortem gratiſſimus extitit*: & inſuper agendo de rebus Monaſterij S. Ambroſij de Eugubio addit. *Conquieuere ſimul Beati Canonici Oſſa, ideſt, Franciſci Nanni, Fratrum pietate ante Aram maiorem eleuato pertexiguo ſaxo*.

D. Conſtantinus Ghinius, loco pluries citato pag. 80. repræhenſentans labores, ac eruinas eorum qui Stephani inſecuti ſint ita loquitur. *Ipſamq; comitantes, nempè Stephanum, varios itinerum labores ſubſtinuerunt, quo aduſq; in S. Saluatoris Cœnobium Fabriani introducti fuere. Quo locò aeris moleſtia afflicti, vnuſq; ex illis Franciſcus ſcilicet in Chriſto defunctus eſt, quare non multò poſt à Deuoto in primis, ac Pio Guidobaldo Vrbinate Montiſeltri Comite benigne vocati, Monaſteriũ, et Eccleſiam S. Ambroſij prope Eugubium in monte petierunt, ſecumque eiuſdem B. Franciſci deuota pignora detulerunt*.

Signius verò lib. 20. pag. 218. loquens de acceſſu ad Monaſter. S. Ambroſij de Eugubio ſuæ Cong. hæc protulit. *Conuenere autẽ huc ex Fabriano à P. Stephano ſecũ adducti F. Ioannes Antonii, F. Dominicus Cioni, et F. Regulinus Angelini omnes Senenſes, qui vbi ſupererant ex Ilicetanis, delatis ſectum ſarcinulis ſuis vnà cum Sanctiſs. Concanonici oſſibus F. Franciſci, qui apud eos, ſub exilio Fabriani diem ſuum extremũ clauſerat, facta de ſe non vulgari apud omnes ſanctitatis opinione*. nos ſequimur Herrera Alph. pag. 226. p. p. & Torellus pag. 294.

Sed hæc non reſpondent his quæ reperiuntur in noſtris Ilicet. monimentis, ex quibus habemus Franciſcum regreſſum fuiſſe ad priſtinum ſtatum, ita Bonſignorius mem. pag. 21. & apertius de eius redditu conſtat in multis Inſtrumẽtis contectis poſt redditum. Marcuccius pag. 36.

De

54 De B. GABRIELE SFORZIA Archiep.

Gabriel Sforzia de Attendulis, & ſi Comitatu Cotenioli, Mediolanenſiq; Principatu fulgeret, clarius tamen flices inter Syluas refulſit, ob rutilos enim ſuæ Sanctitatis radios, 12. poſt annos ab Religione in Mediolanenſem primò, in Cœlicam dein translatus eſt Inſulam, ad Archiepiſcopalem ſedem lugens conceſſit. Die 24. Septemb. An. M. CCC. XLII.

ADNOTANDA.

DE B. Gabriele Mediolanenſi Archiepiſcopo audiuimus ſactam memoriam in Diarijs, & Cõmentarijs eius grandis Vrbis, ſed ad manus noſtras non peruenerunt. Quæ autem manibus contrectauimus, vidimuſq; ſunt Catalogus Profeſſorum Ilicenſi per B. Paraclitum Binum à S. Angelo in Colle exaratus pag. 8. de quo, vt ſequitur. *Fr. Gabriel Sforcia, qui vocabatur Comes Carolus Sforcie Magnifici Comitis Franciſci Illuſtriſſimi Ducis Mediolani die 9. Ianuarii 1442. Ordinis habitu indutus, poſtea, ſicut propria manu ſua apparet, Die 24. Octob. 1443. fecit profeſſionem ante dicto Fr. Hieronymo Vicario. Hic non multo poſt aſſumptus ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem, ibique mortuus eſt in bona ſenectute.* In lib. Vet. Profeſſ. apparet, hæc ſubſcriptio. *Io Fr. Gabriello confeſſo hoggi queſto dì 24 d' Ottobre 1443. hauere fatto profeſſione, e preſo l' Habito etc.* Bonſignorius pag. 32. Athanaſius Fullonicenſ. pag. 38. & 39. diffuſius, Diaria Ilicet, eorum temporum, apud quæ reperiuntur notata ſuppellex, quæ ſecum detulerat ex prædicta Ciuitate ad Ilicetum veniens. Alteſius nobilis Senenſis Ilicec. in ſuis Elogijs m. s. apud nos, de eodem in longum protrhait ſermonem, apud noſtram Syluam Ilicet p. p. pag. 99. & 137.

Epiſcopus Signinus pag. 78. Vgurgerius in Oratione pluries citata, Seripandus in Chronicis. Herrera Alph. Agoſt. pag. 298. diffusè, quem ſequitur Torellus, & alij multi.

Quare apertè deceptus eſt Abraham Bzouius in Annalibus dum aſſerit, hunc Gabrielẽ Sfortiam fuiſſe ex Religione ſeraphica, neſcimus quo diſcurſu pergat.

Donatus Boſius contemporaneus Gabrielis, hunc vocat Virum Sanctiſs. vitæ probatę Bergomenſis in Supplemento, Virum grauiſſimum, ac in omnibus Religioſiſſimum.

Ioſeph Ripamedius in Hiſtoria Mediolanenſi, ſumma cũ reuerentia de eo ſcribit.

Hic antequam habitum Religionis Eremiticę per manus Hieronymi de Bonſignoris huius nominis primi ſumeret enixè petijt non aſtringi per Superiores, vt ſacris initiaretur, ne ve Cœnobio Ilicetano, vel S. Leonardi de Lacu remoueretur, teſtibus cunctis noſtris ſcriptoribus præcipuè Alteſius *Gallaria Letectana* pag. 120.

Antonia D. Cocchi de Salimbenis fuit Mater huius Sãctiſs. Præſulis, cuius Dos fuit Ciuitas Cluſinas, Monsiouius, & Monsnerius &c. putamus hanc Antoniam fuiſſe ſororem D. Chriſtophori Patris noſtri B. Ioannis de Salimbenis de quibus ſupra, & perconſequens Gabriel, & Ioannes Patrueles. Remittimus Lectorem ad Comment. Pij 2. pag. 126. & ad Malauoltam 3. p. pag. 7.

Gabriel quando fuit Archiepiſcopus pronunciatus, erat Magiſter Nouitiorum Ilceti; rexit Eccleſiam Mediolanenſem per tres annos, ſepelitur in Tẽplo Diuæ Incoronatæ ſuę Religionis Die, & Anno vt ſupra.

De

35 De B. XPOPHORO LANDVCCIO Sen.

BEatus Chriſtophorus Laycus, ea enituit humilitate, vt Sacerdotio abſtineret: eaque præſtitit puritate, vt Alexandro Olivæ Ilicetano aliiſq; S. R. E. Cardinal. & quod eſt maximum, Pont. Pio II. cuius illa vox fuit, Huius Fratris animam ſanctam eſſe putamus, admirationi eſſet: 70 propè annis ſeruiuit Chriſto, ob eundē mori non timuit: Die 7. Septembris Anno à Virgineo partu: M.CCCC.LXI.

ADNOTATIO.

IN Serie Profeſſorum Ilicet. pag. 6. B. Paraclitus de hoc ait. *F. Chriſtophorus de Senis tempore præfati Prioris*, nempe Nicolai de Mareſcottis, *circa annū 1390. pro Layco receptus, habitum ſumpſit, qui ferè 70. annos in præfato Monaſterio carnis macerationē, orationis, et meditationis aſſiduitate, caritate, obedientia, ſilentio, prudentia, quadam ſimplicitate admixta maximè inſumpſit, quem D. Alexander de Saxo Ferrato Reu. S. Suſannæ Card. paterno cultu plurimùm venerabatur. Pius etiam II. Pont. Max. ſanctæ eius Vitæ deuotione afficiebatur. Is apud omnes, qui eum agnoſcebant, ſanctitatis nomen obtinebat.*

Herrera Alph. p. p. pag. 140. de hoc ait. *B. Chriſtophorus Ioannem Landuccium, ſiue Landinum, ſiue Landominum, et Caſſandram Lotharingiam Nobiles Senenſes Parentes habuit.* Addit, hunc ortum eſſe an. 1368. & 23. ætat. habitum ſumpſiſſe inter Ilicetanos Laycos ob humilitatem; at verum eſt, Chriſtophorum apud aliquos dici de Landinis, apud alios de Landuccis, illud de Landomijs nunquam audiuimus tale cognomen in Patria, nec extra, cognomen planè nouum.

In Lib. publ. Ilicet. pluribus in locis, & vt plurimùm ſcribitur de Landuccis, ita Bonſignorius, Marcuccius, Timotheus, Riccius, Cathalogus Profeſſ. apud Monaldum, & alibi, Alteſius in Elog. particulari pro hoc Beato propria manu exarato, vt apud nos videre eſt in Sylua Ilicet. p. p. pag. 122. & pluribus alijs locis; verum eſt etiam eundem Alteſium in alio Libello, cuius titulus eſt. *Galleria Ilicetana*, de Landinis dicit, at minimè indagare potuimus, an iſte Libellus, ſit anterior, vel poſterior Elogijs.

Inter exteros Alcibiades Lucarinus in ſuis Impreſijs, D. Ferdinādus Vghellius in Italia Sacra tom. 3. pag. 657. D. Hippolytus Marraccius Lucenſis in lib. ſub Tit. *Religioſi Mariani*, Torellus Cent. 3. pag. 338. in Vita B. Io. Chiſij, Ioannes Ferrarius è Societate Ieſu, & Iſidorus Vgurgerius ex Ord. Prædic. & alij multi.

Ex Arbore Familiæ Landucciæ habemus ſatis frequenter hoc nomen Chriſtophorus, & Landinus, in qua Chriſtophoro aſſignatur hæc propago. Chriſtophorus, Ioannis, Angeli, Giuoli, Pepi, Landini: & Celſus Cittadinus Hiſtoriogr. de eodē, hæc verba apponit, *Queſto fu Frate di S. Auſtino in Lecceto.*

Hic Artifex ne dicamus Auct. fuit nobiliſſimæ molis nempe Turris erectæ pro defenſione Monaſterij, vt dictum eſt in Chronol. pag. 23. & in Adnot. 28. ad quæ redeat Lector benigniſs. & inſpiciat (ſi placet) ea, quæ de hoc noſtro Beato diximus.

Chriſtophorus adeo fuit ſectator ieiunij, & pietatis erga Beatiſs. Virg. vt etiam in die mortis, quæ contigit in vigil. ejuſdem natiu. vellet ſeruare ieiunium.

In eius gratiam Monaſterium poſſedit Prædium dictum Iabella, ſeu Quercetanum.

Imago eius circumfertur hæc ſculpta, Cœliæ Landucciæ Moniali in Monaſt. ss. Cōc. Sen. Abbatiſſæ Sororis noſtrę Germanæ dulciſſimę, à Io: Florimi dicata An. 1632.

De

Speluncas, & Atria Eremitica ſummo amore proſequebatur Alexander noſter: at ille qui de Altiſſimis ſuis humiles reſpicit, omnia diſponendo ſuauiter, inopinanter Auguſtinianam Familiam regentem Alexandrũ ad apices Cardinalatus Sum. Pont. Pius II. Picolomineus aſſumit An. 1460. Sed non minus fœlicẽ inter Iliceti, Beatos, quã inter ſacros Eccleſiæ Principes ſe exiſtimãs, dignitatẽ cõdecorat, & Patrorũ numerũ adauget. M.CCCC.LXIII.

ANNOTATIO.

HVius Eminentiſſimi Viri Oppidum Saxoferratẽſe in Vmbria fuit Patria, & ex honeſtis parentibus ortus eſt An. 1407. etiam in ipſo ingreſſu vitæ à magno diſcrimine interceſſione Deiparæ liberatur; quare ſponte in Eremitana Religione ſe dicauit, ſtudijs incumbens Doctor eximius euaſit. Erat de Familia Iliceti An. . . .

Qui deinde, vt ait Ciacconius Hiſt. Pon. 2. p. non minus ob ſuam ſanctitatem vitæque candorem, quam ob ſingularem ſapientiam ad ſupremum Religionis Magiſtratum, & poſtea à Pio II. ad Cardinalatus apicem euectus fuit; conſtanter aiente Ciacconio. *Alexandrum natum fuiſſe ad maiora*, quod & ſi hoc minimè adimpletum fuit in terra morte præoccupatus, tamen id credere fas eſt adimpletum fuiſſe in Cœlo.

Imminente morte ſæpe dicebat. *Ad nuptias properare.* Obijt Tiburi, eius Cadauer Romam ad Templum D. P. Auguſtini delatum, marmoreum ſepulcrum ſupra Portam ad leuam, cum hoc Epitaphio complectitur.

Alexandro Oliua Saxoferratenſi Theologo eximio Eremitarum B. Auguſtini ab infantia ſpei maximæ alumno. Qui cum eſſet Ord. Generalis, Cardinalis à Pio II. ignorãs creatus eſt. Vixit An. 55. Obiit An. ſal. 1463. Pro eode etiã ſequentes leguntur verſus.

Vt tibi ſola deeſt probitas non gratia ſoli,
Digno Cardineum nomine, ſeque decus,
Sic eadem indignis raptum dum tollit ad Aſtra
Fœlix, hoc inquit Principe Roma foret.

De eodem cecinit nobile Epigramma Pius II. vt in ſuis commentarijs pag. 179. & 605. Agunt de eodem Philippus de Bergomo in ſupplemento Chron. Pamphilus pag. 84. in Chron. Ord. Herrera Reſpon. Pacif. pag. 350. & in Alph. p. p. pag. 16. Orlandus Malauolta p. 3. Hiſt. Sen Epiſcopus Signinus Chron. Ord. Stephanus Vgurgerius in ſua oratione. Andreas Cortonenſis Epiſc. cap. 12. pag. 17. Vita B. Io: Chiſij. Alteſius in Elog. m. s. qui neſcimus qno fundamento dicat Alexandrũ fuiſſe Senis, quandò pronunciatus fuit Cardinalis. & alij per multi.

Franciſcus Rappius in ſua Lima Spirituali p. 2. num. 12. col. 2. loquẽs de B. Chriſtophoro Landuccio ſic ait. *Maeſtro Aleſſandro da Saſſoferrato Generale dell'Ordine; e Cardinale figliuolo adottiuo di detto Conuento lo chiamaua il Santo.*

Ex prima claſſe Alphonſus Ciacconius, Franciſcus Callera, Andreas Victorellus geſtis Pont. Tom. 2. Philelphus in quadam Epiſtola ad ipſum, Corimbertus lib. 3. cap. 15. & lib. 4. cap. 20. Antonius Campanus vir eruditus Alexandri iam familiaris, poſtea Epiſcopus Aputrinus lib. 3. Epigrammatum, & oratione in die ſui funeris.

Interfuit omnibus Congregationibus de obſeruantia Italiæ Anno 1449. & Ann. 1453. ac etiam fuit Vicarius Generalis earumdem obſeruantiarum eiuſdem Italiæ.

37 De B. PETRO DE SCITONIO.

PEtrus altiſſimæ eruditionis ſale conditus, ſponte Patria relicta in Colle ameniſsimo propè antiquam Cluſinam Ciuitatem poſita, relictiſq; etiã nobilibus parentibus ad Sacra Iliceti Antra confugit, ibiq; virtutibus illuſtris in omnes ferè inſignores Italiæ Vrbes diuinum diſpenſauit verbum, quo egregio munere plurimum nobiliſſimã Chriſto Seruatori peperit ſobolem, meritis tandẽ, & inclita prole illuſtris, requieuit An. M. CCCC.LXX.

ADNOTATIO.

TVm M. S. tum excuſa monimenta B. Petrum Scitonenſem collaudant. M. S. enim ſunt. Cathalogus Profeſſorum Monaſterij Iliceti per B. Paraclitũ à S. Angelo exaratus pag. 6. vbi hæc verba apparent. *Fr. Petrus Nicolai de Cetona tempore ſuo in ſermonibus ad populum ita acceptus vbiq; vt ei in Italia equalis eſſet nullus. Die 28. Iulii 1433. fecit profeſſionem, licet, vt de aliquibus ſupra dixi, quando acceperit habitum ignorauerim.* Athanaſius Comment. pag. 39. in calce. Honorius Martinus in Vitis Beatorum Iliceti. Marcellinus Alteſius in Elogiis ſuis, & alij.

Impreſſa verò ſunt Stephanus Vgurgerius Orat. 3. Relatio Beatorum Hicetanorum Columna 3. num. 13. Fulginas ſacri Horrori. Vita B. Ioannis Chiſij pag. 38. Herrera Alph. Auguſt. p. 2. pag. 247. Torellus Cent. 3. pag. 356. & alii permulti.

Hic Beatus profeſſionem ſuam ſolemnem emiſit in manibus B. F. Mathæi de Lucigniano Vallis Clanarum, tunc temporis Iliceti Prioris, vti apparet in lib. veteri Profeſſorũ dicti Cœnobij pag. 91. per ſubſcriptionem ipſius ſic dicentis. *Ego Fr. Petrus Nicolai de Citonio confiteor me profeſſionem feciſſe die 28. Iulii 1433. in Conuentu Sancti Saluatoris Syluæ Lætus.*

Prouectæ ætatis erat Petrus quando profeſſus eſt; ſed adeò profecit, vt & ſi tardè venerit, citò ſe expedierit in via morum, doctrinæ, & perfectionis, ita vt poſt quintum annum à ſua profeſſione in Vicarium Gener. Congregat. meruerit aſſumi, & prædicto Mathæo ſuccedere An. 1438. & denuo eligitur, & reeligitur, annis videlicet 1448. 51. 61. 63. 69. & 70. in quo An. obijt relicto prius Vicariatus onere, tantum officio Prioratus Conuentus S. Mariæ de Monteſpecchio contentus.

Ex inſignoribus Italiæ Ciuitatibus, & præcipuè Bononia, & Mediolano Ilicetum mittit per multos Iuuenes expectatæ indolis ab eo in concionando ad Caulã Religionis reductos, qui plurimum decoris, & honoris noſtræ Congregationi, & Religioni attulerunt, inter alios Doctor Phiſicus Mag. Antonius.

Attamen Petrus aliquando non exigua tribulatione, ac tentatione onnoxius fuit, vt tamquam aurum per ignem probaretur, & vt perfectior, ac melior euaderet.

Anno 1651. cauſa verbum Dei prædicandi fuimus Scitonij, & audiuimus à fide dignis, & præcipuè à D. Hieronymo Toſonio illic Plebano, hunc Beatũ, pro vt fama volat, natalem traxiſſe ab antiqua Familia illius inſigni Oppidi, *facta al buio.*

Vidimus quoq; maximo animi noſtri delectamento, eius sacrã Imaginẽ in Ara B. Mariæ Virg. Annunciatæ in Eccleſia S. Angeli in Foro eiuſdem loci.

Hanc Patriam Scitonenſe, quę vſq; hodie decorem, & maieſtatẽ in ſe habet, maximè ob generoſitatem habitantiũ, cuius nos teſtes ſumus, putant non nulli ex noſtris ſcriptoribus eſſe illam Ciuitatẽ Critoniam ſiuè Cirronã, quæ Colonia fuit Romanorum.

38 De B. AVGVSTINO ARETINO.

NOndum completo 14. anno ſuæ ætatis Auguſtinus ſacrum D. Brigidæ habitum in Patria, inter nobiliores Tuſciæ non infimum locum tenẽte indutus eſt, ſed ad ſupera adſpirans, & id conſequi non poſſe ſibi perſuadẽs leuiter veſtitus, ſub indumento illius cuius nomen retinebat, ſe ſe ad Iliceti conſulit, ſacra fama illectus, quæ iam per totam Italiam volitabat, inter quos cũ ſigna ſanctitatis exibuiſſet, obdormiuit An. M.CCCC.XCIV.

ADNOTATIO.

BEatus Paraclitus Binus in Cathalogo profeſſorum Monaſterij Iliceti diſſerit de noſtro Auguſtino his verbis. *Auguſtinus de Aretio cum eſſet Ord. S Brigidæ, ex diſpenſatione Pontificis habitu ſuo relicto die 9. Nouembris An. 1440. et a prafato F. Bindo Priore indutus habitu noſtro, tempore ſuo fecit profeſſionem.*

Paraclitus hæc quæ dicta ſunt deſumpſit ex lib. veteri profeſſorũ Iliceti pag 26. quę per nos rectè perpenſa, confitemur, humiliter errorem in Chronologia Priorum commiſiſſe, non ponendo in Serie dictorũ Priorum Fr. Bindum de Ptolemęis, qui Prior erat, quando hic Auguſtinus noſter habitu Eremitico indutus eſt per eiuſdẽ Prioris annus, per quas etiam profeſſionem emiſit die 11. Nouembris 1441. Nos hunc Bindum, quia in aliquibus locis, ſuppreſſo non ine Bindi tantum legitur Ptholemæi, alibi Ptholemæus putauimus fuiſſe Fr. Bartholomæum de Ptolemæis, ſed conſiderato loco ſupra citato Paracliti, & etiam Marcucci pag. 38. & cum inueniſſemus in eodẽ lib. veteri profeſſorũ Iliceti pag. 20. F. Bartholemæum de Ptolemæis Priorem, & Fr Bindum pariter de Ptolemæis Procuratorem Monaſterij Iliceti accepiſſe ab Abbate S. Galg. locum ſanctis. Trinitatis de Laterino die 19. Martij 1441. neceſſe eſt dicere, Bartholemæum diuerſum eſſe à Bindo; in ò Bartholomæus poſterior Bindo an. 14. vt aduertit Paraclitus in dicto lib. pag. 6. putamus enim Bartholomæum fuiſſe Fratrem, aut Nepotem ſupradicti Fratris Bindi

Monaldus in *I*ndice Beatorum Iliceti in principio libri, Bonſignorius, & Marcuccius in eorum Cõmentarijs, quæ ſcripſerunt de Ilicetanis, ſummis laudibus hunc Auguſtinum extollunt, eidem concorditer tribuendo hoc ſacrum Beatitudinis nomen.

Hos etiam ſequitur Simplicianus Bononienſis in lib. Centuratorũ pag. 37. qui & ſi aſſerat dictum Beatum eſſe Senenſem, hoc dixiſſe putamus, quia vt plurimum apud Religioſos, locus vbi Cœnobium filiationis eſt pro Patria ſumitur.

Senenſis etiam poteſt dici hic Dei ſeruus, quia Aretij Ciuitas, non diſtat à Senenſi niſi 40. miliaribus; aut quia deſumat Simplicianus Patriam a principaliori Monaſterio Prouinciæ, quod eſt S. P. Auguſtini Senarum, vel quia Senis habitũ Religionis Eremitanæ receperit, & poſtea in Cœnobio Ilicetano profeſſionem emiſerit.

Nos libentiſſimè Patriam noſtram Senenſem hoc ditaremus ſpirituali Theſauro, nempè tanti filij partitione, fœcundioremq; eam hoc partu redderemus, ſi hoc dicere cõſonum eſſet Hiſtoriæ veritati.

Ex dicto igitur B. Paraclitj, & ex his quæ habentur in prædicto lib. veteri profeſſorum, dicimus ortum fuiſſe Auguſtinum noſtrum ex nobiliſſima Ciuitate Aretina; quantum verò ad habitum, & Religionem eſſe Senenſem, eo quia Iliceti in diſtrictu Senarum habitum ſumpſit; at quomodocunq; ſit ſufficiat Senis, Aretio, & Religioni Auguſtinum eſſe Ciuem Cœleſtem.

39 De B. ANTONIO De MONTECCHIO.

BEatus Antonius à Montecchio propè Senas, apud quosdam de Cerretanis, & ſi virginitatis candorem, obedientiæq; foueret alacritatem, paupertatem tamen præcipuè coluit; quare frequens eius erat vox, melius eſt minus egère, quam plus habere; ne igitur ſæculo ſic expeditus curreret in portu ſalutis, ingi ſe meditationi, ſcriptionique deuouit; clarus tandem virtutibus, & plenus meritis obyt die 13. Auguſti An. M. CCCC. XCVII.

ADNOTATIO.

ANtonius filius fuit q. Petri, apud aliquos de Cerretanis, ſed hoc nobis non conſtat, nec huius dicti minimum ſignum habemus in noſtris Monimentis.

Habitum Eremiticum ſumpſit adhuc puer in Cœnobio S. Auguſtini ſen. & ſtatim petiit Ilicetum an. 1440. vbi expleto anno probationis in manibus M.P. Fr. Hieronymi de Bonſignoris viri inculpatæ vitæ profeſſus eſt.

Magiſter Herrera accipit hunc Beatum alph. p. p. pag. 17. pro Antonio Alexandrino de quo ſupra dictum eſt, huic tribuens, quæ competunt Antonio de quo nunc habetur ſermo, perpende (bone Lector) ea quæ diximus de Alexandrino adnotatione 4.

Inuenimus eum Priorem Almi Ilicetani Cœnobij fuiſſe anno 1462. 71. 75. & 90. Vicarium verò Generalem totius Congregationis an. 1459. 66. 85. & 93. Dum officio Vicariatus Generalis fungeretur, cum ſocio ſemper Diuinas laudes perſoluendo pedeſter incedebat dum viſeret Cœnobia.

Nunquam carne veſcebatur, ſemper à Vino ſe abſtinuit Virginitatē non tantum corpore, ſed etiam mente ſumma vigilantia cuſtodiuit.

De hoc (vt creditur) ſit ſermo in ſupplemento Hiſtoriæ Biſdomini pag. 134. 2. fac. ad An. 1472. vbi hæc habentur verba. *Venne in Siena il Romito della Croce, il quale predicò, e fece Proceſſioni, e parecchi miracoli colle ſue Orationi, Roſe, e fiori portò roſe da Lecceto doue habitaua.*

De hoc Antonio putamus certe loqui, quia Imago eiuſdem ſemper pingitur, vt pluries vidimus, manibus Crucem deferens.

Agunt de eodem Bonſignorius in ſuo Memor. pag. 38. diffusè, cum Athanaſio à Monte fullonico in ſuo Memor. pag. 37. vbi refert quoddam ſibi per quietem mirum eſſe viſū dum eiuſdem Antonij oſſa detegeret: Franciſcus Rapplus Lima ſpirit. *Alteſius* Elog. m. s. apud nos in noſtra Sylua Ilicet. p. p. pag. 97. Fulginas. *Sacri Horrori Leccetani*, & poſtremò Torellus Bononienſis in ſuis Centurijs, & Paraclitus Binus, in ſerie Profeſſorum pag. 8. vbi hæc dictauit. *Fr. Antonius de Montecchio prope Senas Pater venerabilis; ab ineunte ætate ſimplex, humilis, obediens, continens, numquam octoſus, parcitatis, et paupertatis amator, horis Canonicis præcipuè nocturnis aſſiduus, miſericors, omnibus compatiens, omnibus amabilis, omnibus hilarem ſe præbens; in cantu plano diſſertiſſimus ſcriptor, et miniator pulcherrimus; Latinæ linguæ non ignarus, licet puerulus recepiſſet habitum Senis in Monaſterio S. Auguſtini poſteà tamen ad nos venit Anno Dom. 1446.* & fecit profeſſionem in noſtro Cœnobio, vt ipſe propria manu teſtatur in lib. veteri profeſſorum pag. 91. *Io F. Antonio di Pietro da Montecchio ho fatto profeſſione nel Conuento di Lecceto e di detto Conuento sò Profeſſo.* Et cum rexiſſet annos circa 30. modo Prior, modo Vicarius Gener. Cong. tandem die 13. Auguſti 1495. migrauit à ſæculo.

ANſelmo, & Claræ communis Patria fuit; iſta duo luminaria Monſfalco in Vmbria protulit, eodẽq; inſtituto in Eccleſia Dei mire rutilaxunt. Anſelmus vt Clauſtralẽ normã apprehenderet ad Ilicetanũ Collẽ adſcendit, ex quo vi extractus ad totius Religionis Magiſterium aſſumitur. Romã accerſitus Innoc. 8. nutu Dogmata Io. de Mirãdula confutauit, ibiq; mundi honoribus ſe abdicando ad æternos peruenit die 7. Sept. M. XDVII.

ADNOTATIO.

ANſelmus Lolli de Mandeltris Peruſiæ die 19. Maij habitum ſumit ab Alexandro Oliua illic Lectore Primario Philoſophiæ, & ad Ilicetum miſſus, ibi ſub educatione B. Gabrielis Sforciæ anno completo ſuæ probationis ante Hieronymum Bonſignoriũ Vic. Gen. & Priorem Ilicetí Auguſtinianam Regulã ſolemni voto profeſſus eſt 1448. In lib. veteri Profeſſorum Ilicetí pag. 26. hæc habentur. *Il dì 19. di Maggio 1447. meſſi à Capitolo ſecondo l'vſanza F. Anſelmo da Montefalco Nouitio, il quale mi mandò Maeſtro Aleſſandro da Saſſoferrato ſe ſi douеſſe riceuere, e furono tutti contenti, e lui accettò.* ſunt verba Mag. Hieronymi primi de Bonſignoris Vicarij Gen. & Prioris Monaſterii Ilicetani ſua propria manu exarata; Ideò neſcimus quo fundamento Herrera Alph. pag. 18. dicat Anſelmum filium fuiſſe Monaſterij Peruſini, dum actum profeſſionis, non autem ingreſſum ad Religionem attendere debeamus.

Cunctarum ſcientiarum peritiſſimus fuit, vitæ, ac morum integritate adeò enituit, vt à multis Beatiſſimus appellaretur. Per 4. an. continuos Cong. Ilicetanã rexit, vt Vicarius General. nempè an. 1479. 80. 81. & 82. vt in Chronol. pro Cong.

Præfuit toti Relig. vti Vicarius Apoſt. & poſtea Senis electus fuit Prior Gen. die 4. maij 1486. & an. 1491. die 22. Iunij confirmatur; ſponte ſe abdicauit officio, vt dictũ eſt.

Hic tantæ fuit facundiæ, vt dum haberet concionem omnes accurrerent clauſis Apothecis omnibus, & hoc accidit ſæpiſſimè, & præſertim Senis.

Athanaſius Fullonicenſis in ſuo Memor. magno pag. 40. Bonſignorius diffuse agit de eo pag. 31. Baſilius Monaldus eius ſcripſit geſta. Vgurgerius orat. 3. Alteſius de eodem ſcripſit Elogium. Rappius Lima ſpirit. pag. 33. Signius. Seripandus. Ambroſius Coranus. Herrera. Torellus, & multi alij antiqui, & Recentiores ſcriptores.

B. Paraclitus in ſerie alumnorũ Ilicetí pag. 9. hæc notauit. *F. Anſelmus de Montefalcone ſacræ Theol. Profeſſor egregius, ita vt ſuo temp. per paucos ſibi pares inueniſſet, et vita integer, vt non modo à ſuis, verum etiã ab aliis quibuſcumq; Religioſis, et Sæcularibus, imò à Prælatis, et Cardinal. et quod maius eſt à ſummis Pont. tamquam Pater coleretur. Die 19. Maii 1447. receptus, licet à Mag. Alexandro de Saxoferrato Nouitius ad nos miſſus temp. probationis expleto fecit profeſſionẽ Priore, et Vic. F. Hieronymo ſuprad. Mortuus eſt autẽ Romæ apud S. Mariã de Populo Prior Gen. Reuerendiſſ. totius Ord. die 7. Sept. 1495. et iuſſu ſuo in Monaſt. Ilicetí ſepelitur.*

Opera, & impenſis Card. AEgidij transferuntur Cadauera Anſelmi, & Mariani, & in Eccleſia Ilicetí à cornu Euangelij iuxta maiorem Aram ſepeliuntur ſub marmoreo monumento hac inſcript. *Anſelmo Montefalcon. et Mariano Genazan. Auguſtiniani Ord. P. Generalibus, illi Religione, ac literatura, huic facundia concionãdiq; ſcientia ſingulari. AEgidius Viterbienſis vtrumq; æmulatus eiuſdem dogmatis, et Magiſtratus hæres ob pietatem. P. M. P. An. D. 1513.*

De

De B. GABRIELE GHINVCCIO Sen.

Gabriel Ghinucciorum Senenſiũ genere natus annis duobus quadrage-
rio maior ex humanis ſublatus eſt. Hic Antonianum Cœnobium in eã
inſignem formam, quæ iam ſuſpicitur redegit: Ilicetanorũ redditibus præte-
rea auctis, conſpicuisq; ornamentis ad maieſtatis diuinæ cultũ, & quod præci-
puũ eſt prudentiſſimo regimine, ſuæ ſanctitatis fama exornauit magiſtratũ,
quo meritis completo. Obijt Die 24. Marty An. M. CCCC. XCVIII.

ADNOTATIO.

HIc noſtræ opaciſſimæ Syluæ dulciſſimus fructus, antè ingreſſum ad eam Salimbenes Adriani Nobilis Ghinucciorum Proſapiæ vocabatur: ad habitum Eremiticum admiſſus Iliceti die 31. Menſis Maij Anno 1478. per manus B. Antonij de Montecchio.

Hic Gabriel ſecutus eſt ad Religionem Fr. Thomam Galgani Bartholomæi de Ghinuccis, qui iam die 16. Iunij 1446. Ord. habitus indutus profeſſus eſt. Ghinuccia Familia eadem eſt cũ Zanzedaria inter Senenſes Nobilis. Vterq; præfuerunt Ilicetano Cœnobio; Thomas An. 1487. & Gabriel 1495. maximo loci incremento.

Gabriel etiam ſub ſua ſpeciali dictione habuit Cœnobium S. Antonij ad nemus, ſeu ad Lacus Ambroſianos, & adeò illud ad meliorem, & elegantiorem reduxit formam, vt potius fundator, quam reparator poſſit appellari. A ſecretis fuit in regimine Religionis Auguſtinianæ Reuerendiſſimi Anſelmi de quo ſupra An. 1486.

Præcipuam mentionẽ de hoc B. Gabrielo Ghinuccio Zanzedario facit Hieronymus Bõſignorius in ſuis Comment. m. s. pag. 39 Athanaſius Fullonicenſis itidem in ſuo magno Comment. pag. 12. Gregorius Fulginas ſacri Horrori Leccetani. Alteſius in ſuis Elogiis. Et tandem Paraclitus Binus, de eo ſic affatus eſt. *Fr Gabriel, qui prius Salimbene Mariani de Ghinuccis de Senis dictus eſt, die vltima Maii* 1478. *ab eodẽ F. Antonio habitu accepto; die 1. Iunii* 1479. *eidẽ Priori profeſſus eſt. moritur* 1498.

Quidquid dicit Paraclitus conreſpondet his quæ apponuntur in lib. veteri Profeſſorũ Iliceti pag. 43. vbi hæc leguntur. *Poſtmodum verò Salimbene de Ghinuccis, et Baptiſta Iacobi Mini de Picolomineis pridie calendas Iunii noſtræ ſacræ Relig. habitu ſunt induti à F. Antonio de Montecchio Iliceti Priore in die Dominico, et Salimbene nuncupatus eſt Fr. Gabriel, Baptiſta verò Fr. Raphael Vicario Generali Cong. Fr. Hieronymo Bonſignorio. Qui Fratres elapſo An. probationis ſuſcepti ſunt ad profeſſionem, Fratrũ Capituli nemine refragrãte, hodie 1. die Iunii, qui eſt 3. Pent.*

Hic forſan non erit odioſum ſcire quomodo poſt 3. dies ab ingreſſu Religionis, octo cõſanguinei prædictorum Baptiſtæ, & Salimbenis armis muniti aggreſſi ſunt Ilicetum, & vi extraxerunt Religioſiſſimos duos Iuuenes, enaſq; perduxerunt. Quos tamen in pio conſilio perſiſtentes reliquerunt, & ad Cœnobiũ reduxerunt, & die Dominico eiſdẽ raptoribus præſentibus, flentibus, & contritis denuò ſacro habitu induuntur, & primus Gabriel, ſecundus verò Raphael vocati ſunt, & verè duo Angeli Ilicetani Cœli.

Paulò poſt Gabriel ad Religionem traxit Laurentium eius Fratrem Germanum, qui per Patrem Magiſtrum Marianum habitum Religionis ſumpſit mutato nomine Laurentij in Dionyſium die 12. Menſis Iunii Anni 1485. ſequitur in Religione hos prædictos Ghinuccios Frater Dionyſius eiuſdem Familiæ, qui habitum percepit die 11. Maij Anno 1486.

De B. ARNALDO GALLO.

BEatus Arnaldus Neracenſis Raimundi filius auito relicto domicilio, ex Pariſiēſi Doctore, humilitatis gratia, Iliceranorum Patrū ſit diſcipulus; Iliceti inſtituti, virtutumq; elemēta iterum adiſcens pro Chriſto repueſcere ſtuduit, & ita profecit, vt ipſo mortis articulo recitata Nona Breuiariū infirmario readens dixerit. Accipe Fr. Veſperas enim in Cœlo hodie cū Angelis recitabo, quod contigit die 20. May An. M. to. VII.

ADNOTATIO.

OMnes noſtri ſcriptores mentionem faciunt de hoc Beato, & primò Athanaſius Fulconicenſis ſuo Comment. m. s. pag. 44. vbi aſſerit lauream Doctoratus Pariſijs eum accepiſſe. Stephanus Vgurgerius orat. 3. Franciſcus Rapinus Lima ſpirit. 2. p. pag. 33. & 34. Andreas Cortonenus in ſuo Theſauro deuotionis B. Mariæ Virg. cap. 8. pag. 72. Relatio Beatorum Iliceti. Torellus Cent. 4. pag. 422. Hieronymus Roman. Hiſt. Religionis m. s. Vita B. Io: Chriſij pag. 44. cap. 5. Et tandem B. Paracletus in Serie Profeſſorū Monaſterij Iliceti pag. 19. & 20. ſic ait: *Fr. Arnaldus Raimundi de Herach Oppido Galliæ, et ſi Ciuitate Agennot recepiſſet habitum, tamen apud nos probatus per annum die 11. Iulii 1494. fecit ſolemnem profeſſionem in manibus Fr. Paracliti Prioris ſupraacti, et per proximum Capitulum poſtea confirmatus fuit filius Monaſterii Iliceti. Obiit 20. Maii anno 1507.*

Herrera Alph. Auguſt. p. p. pag. 18. refert Hieronymum Romanum teſtem oculatum in Clauſtro Veteri hoc vidiſſe monimentum. *Hoc in Sepulchro iacet Fr. Arnaldus Bachis, qui obiit 20. Maii An. 1512.* ſunt 46. anni quod habitu Religionis induti Iliceti ſumus, & nunquam tale ſcriptum vidimus; forſan perijt quando dictum Clauſtrum dealbatum fuit. Apud nos verò in p. p. Syluæ pag. 30. omni cura ſeruatur Epiſtola Generalis Anſelmi à Montefalco, cuius virtute hic Beatus venit Iliceti, & eſt à tergo. *Venerādo, et nobis in Chriſto dilecto F. Paraclito Priori Conuentus noſtri de Iliceto Sacri Ord. Fratrum Eremit. S. Auguſt.* intus verò. *Ven. et nobis in Chriſto dilecto ſalutem in Domino. Venit ad nos Lector Fr. Arnaldus Frangigena, qui vt ab eo accepimus quatuor annis in Religione tetit, et in ſtudio Toloſano pluribus annis in Iure Canonico ſtuduerat. Cupit Deo ſeruire, et regulārem degere vitam; vt igitur votum ſuum adimpleat, et veſtro exemplo, quæ religionis ſunt diſcat, mittimus ipſum ad te, videtur enim nobis quod ſit ſatis doctus, licet ipſum experiri nō valuerimus; ac etiam quod ſit vir non aſtutus, ſed bonæ ſimplicitatis, nec de eo diffidimus quin bonus euadat. Habet inſuper in Banco Mariani Cheri quamdam quantitatem pecuniarium, quæ volumus vt intactæ vſq; ad annum ſuæ probationis ſeruentur, nec volumus quod minuantur, niſi pro Camiſeis laneis, et honeſta Cappa ſibi faciendis. Speramus enim quod vobiſcum perſeuerabit: ſi autem contingat ipſum recedere, volumus tunc, vt dictæ pecuniæ ſibi reddantur. Qui ſi bonis, et religioſis moribus imbutus à vobis diſceſſerit, poterit multorum eſſe cauſa ſalutis, non ſine laude, et merito veſtro. Commendamus igitur ipſum vobis, vt eum caritate eum recipiatis, et pertractetis. Benè vale. Romæ 12. Iunii 1493. Fr Anſelmus de Montefalcone Prior Generalis.* Ex hac Epiſtola, & huius noſtri Beati, & Iliceranorum Patrum, & ſcribentis pietas vndiq; relucet. Sepelitur Iliceti propè ianuam Eccleſ. á cornu Euāg.

43 De B. XPOPHORO PETRONIO Sen.

BEatus Christophorus Nobilissima excisus Domo Petronum, se prò nudo, D. Martinum Episcopum Turonensem imitatus, veste nudauit, vt gloriæ stola induceretur à Christo, qui mox eadem cõtectus clamide Christophoro apparens, eam se pensaturum pollicitus est. Hic itaq; vir vnica licet frueretur Tunica, ad ignem tamen, etiam rigida hyeme, numquam accessit. Obyit in Cœnobio Ilicetano Die 2. Januarij An. M. D. XIII.

ADNOTATIO.

CHristophorus prius vocabatur Iacobus D. Petri de Paltonis, quæ est vnà cum Petronis; hoc cognomine vtitur his temporibus hæc Nobilissima Prosapia; habitũ suscepit per manus R. P. Gregorij de Senis Vicarij Generalis totius Congregationis, & postea suam solemnem emisit professionem ante B. Antonium à Montecchio Priorem Ilicetanum.

Hæc cuncta clarè apparent in lib. veteri Professorum Ilicei in quo pag. 36. acceptatur ad habitum, & pag. 41. hæc habentur. *Item ricordo come à dì 2. di Ferraio 1474. cioè lo dì della Purificatione Fr. Gabriello delli Scarpi da Siena raunò tutti li Frati à suono di campanello, vt moris est, et in mano di F. Gregorio da Siena Vicario Generale nella Compagnia di Lecceto etc.* & paulò inferius. *et in nel medesimo dì fu vestito co li soprascritti Frati Iacomo Paltoni, e postoli nome Fr. Christofano.* & posteà pag. 42. hæc leguntur. *Ne fortè obliuioni tradatur nouerit Lector quòdie pridie nonas Februarii Anno à saluberrima Domini Incarnatione 1475 F. Christophorũ Domini Petri filium de Paltonibus Senensem suam fecisse Professionem cunctis Fratribus Monasterii Ilicei ex more collectis, ac eiusdem susceptioni annuentibus, præsidente Reuer. Patre Fr. Antonio de Montecchio dignissimo Priore, qui quidem Fr. Christophorus fuit Iacobus in sæculo nuncupatus.*

Beatus Paraclitus Binus in libro nouo Professorum Cœnobij Ilicetani pag. 13. essentialiter non dissentit à supradictis, sed tantùm per errorem calami, vt putamus, variatur dies in qua habitu Religionis induitur Christophorus noster.

Hic antequam Professionem suam emisisset de omnibus bonis ad se spectantibus disposuit, & Ilicetano Monasterio iure legali reliquit, sub fide Ser. Simonis Not. Sen.

Rerum gestarum à Christophoro testem habemus Athanasium Fullonicensem in suo Commentario m. s. pag. 42. verè fide dignum, cum eius scripta omnino correspondeant omnibus, quæ alibi vel vidimus, vel comprobauimus, nec quidem tantillũ veritati aduersantur.

Porrò non desunt alij scriptores, non solum in Religione Augustiniana, verum etiam extra, qui de hoc nostro Beato Christophoro scripserunt, inter quos Fracíscus Rappius Religiosus Sæcularis deuotissimus nostri Cœnobij Ilicetani, iam sæpissimè citatus perdoctus, eruditus, & pius parte 2. suæ Limæ spiritualis pag. 33. Author Relationis Beatorum Ilicetanorum num. 16. Author Vitæ Beati Ioannis Chilij pag. 38. Aloysius Torellus Bononiensis. Thomas Herrera Alph. Augustiniano p. p. pag. 143. & alij per multi tam intra, quam extra Augustinianam Religionem.

Petronum Familia in Ciuitate Sen. tam in dignitatibus Ecclesiasticis & Sæcularibus, quã in sanctitate conspicua semper fuit, vt videtur apud Vgurg. in lib. *Pòpe Sanesi.*

De

44 De B. VALERIO SPANNOCHIO Sen.

BEatus Valerius conſpicuo Spannochiorum ſtipite progenitus, venerabiliqueque habitu Ilicetanorum à Beato Paraclito Eleæmoſinario cohoneſtatus vtriuſque dignitatem, prudentia regiminis, num fide in pauperes, clementia in vniuerſos, diuini ſolertia cultus, animi ſublimitate, operum nitore, vita pie tranſacta, obdormiuit in Domino. Die 28. Auguſti. M. CCCCC. XVII.

ADNOTATIO.

Primum fuit huic nomen Hieronymus D. Georgij de Spannochijs inter nobiliores Senenſes cooptatus. Hic per manus, vt dictum eſt, B. Paracliti de Binis habitu Eremitico indutus eſt, per eumdemq; etiam profeſſionem emiſit. De eodem in libro veteri profeſſorum pag. 48. ſic loquitur: *Die 22. Iulii 1493. Hieronymus Georgii de Spannochis Senenſis congregatis Fratribus, vt moris eſt, cunctiſq; conſentientibus à Fr. Paraclito Priore præfato Religionis habitu indutus, Fr. Valerius vocatus eſt. Die 23. Iulii 1494. Fr. Valerius prædictus cunctis Fratribus annuentibus fecit expreſſam, et ſolemnem profeſſionem in manibus Fr. Paracliti Prioris.*

Hic antequam profeſſionem emiſiſſet, eadem die in qua profeſſus eſt, vltimum ſuum condidit teſtamentum coram Patribus Monaſterij Ilicetì. & cuncta ſua bona reliquit D. Bartholomæo Fratre Germano, addita conditione, vt Monaſterio Ilicetano ſolveret florenos centum, additis alijs conditionibus.

Ex quibus relatis concludit Beatus Paraclitus Binus Eleæmoſinarius in lib. profeſſorum pag. 18. *Fr. Valerius cui nomen fuit Hieronymus Georgii de Spannochiis de Senis. Die 22. Iulii ab eodem Fr. Paraclito Priore Habitu indutus An. 1493. profeſſionẽ fecit in manibus eiuſdem Prioris die 23. Iulii An. 1494.*

Fuit vtiq; vir ſingularis, tum in actiua, tum in contemplatiua vita, dum vnò oculorũ terrena reſpiciebat, altero verò cæleſtia meditabatur.

Multa rexit Cœnobia noſtræ Ilicetanæ Congregationis præcipuè S. Leonardi de Lacu; quo gubernante prædictum Cœnobium ab Ilicetano ſeparatum fuit An. 1516.

Fuit etiam Procurator dicti Ilicetani Cœnobij, cum non vulgari incremento reddituum, ſicuti euidenter apparet ex multis & diuerſis Contractibus; vt videre eſt in libro, qui nuncupatur Campione Grande pag. 230. & 243.

Hic B. Valerius cum fuerit ex recentioribus Ilicetanis luminaribus, pauciores ſuorum illuſtrium facinorum habuit obſeruatores, inter quos antiquorum putamus Athanaſium à Monteſullonico, qui in ſuo Memoriali pag. 43. verba infraſcripta reliquit. *Nell' Anno 1493. fu veſtito dell' Habito noſtro Fr. Valerio Spannochi; queſto Padre per quanto inteſi da noſtri Padri fu huomo di molto ſpirito; morì ſantamente nel Conuento di San Leonardo.*

Obtinet à Patribus Diffinitorij Epiſtolam, per quam commendatur aliquibus Monialibus ſua Nepos ex Fratre Germano nata nuper defuncto; vt apparet in primo Regeſtu noſtræ Ilicetanæ Congregationis pag. 47.

Habuit Valerius noſter in prædicto Monaſterio Ilicetano ſanguine coniunctiſſimos Fratrem Bernardinum Virum inrepræhenſibilem Artium, & Medicinæ Doctorem, qui habitum noſtrum recepit die 20. Auguſti 1477. & alterum Fratrem Bernardinum, qui habitu noſtro Eremitano indutus fuit die 20. Iulij 1482.

De eodem agunt Fulginas. Alteſius. Auctor vitæ B. Io: Chiſij. Torellus. Herrera.

45 De B. PARACLITO BINI.

PAraclitus Binus nõ ab re hoc inſignitus eſt nomine Eleemoſynarij, etenim modo Ilicetj, modo Geminiani Priorem agens, atq; vtrobiq; grauante fame plenam aperiens manum modico admodum tritico, & ſibi creditis Fratribus, quorum redditibus longe maior erat numerus, & innumeræ ad eum ceù publicum ſolamen confluentium Turbæ ſatis occurrit, & ſic dignum ſibi Eleemo ynarij concilianit agnomen, moritur die 19. Nou. M. D. XXI.

ADNOTATIO.

ET ſi ille percelebris, & numquam ſatis laudatus vir Marianus à Genazzano nil aliud noſtræ ſacræ Ilicet. Reipublicæ honoris, ac ornamenti dediſſet, hoc ſatis eſſet, ei dono dederit illud præclariſſimum lumen, de quo modo eſt ſermo, nempe Paraclitum de Binis à S. Angelo in Colle Oppido in Senẽſi ditione pergrãde ac conſpicuo.

Huic fuit nomen Ioannes, & Pater apud quoſdam Benedictus de Binis, quo relicto, & Matre; Religioni adherens Præsbyter Sæcularis effectus eſt, ſed cum ad ſtrictiorẽ adſpirans ad Ilices noſtras ſe contulit; de eodem habetur ſermo in lib. veteri Profeſſorũ pag. 44. *Congregato il Capitolo a ſuono di Campanella ſecondo l'vſanza fu propoſto Ser Giouanni Prete ſecolare da S. Angelo in Colle, ſtette a proua 9. di, e fu veſtito il* 10. *Ottobre* 1484. *per le mani del Reu. P. Maeſt. Mariano da Genazzano Vic. Gen. della Congregat., e Priore Fr. Antonio da Montecchio, e gli fu poſto nome Fr. Paraclito,* & pag. 45. *Ricordo come a dì* 12. *d'Ottobre* 1485. *a ſuono di Campanella come è vſanza fu da Fr. Antonio da Montecchio della Maſſa di Siena Vicario della Compagnia, e da tutti li Frati del Conu. di S. Saluadore di Selua di Lago riceuuto ad Profeſſionem expreſſam, et incorporato al detto Conuento Fr. Paraclito da S. Angelo.*

Ipſe verò propria manu lib. nouo Profeſſorum pag. 15. hæc reliquit. *Frater Paraclitus quondam Ioannes Bini Præsbiter de S. Angelo in agro Senen. die* 10. *Octobris* 1484. *indutus à præfato Magiſt. Mariano de Genazzano tunc Congreg. Reu. Vicario die* 11. *Octob.* 1485. *Fr. Antonio ſæpè dicto Priori expreſiè profeſſus eſt.*

Huic Priori poſtea ſucceſſit in regimine An. 1491. 1501. 1516. & 20. & Mariano in Officio Vicariatus An. 1492. 95. 98. 1506. e 12. Ad quos An. remittimus Lectorẽ in Cronol.

Sub illo Cœnobium ss. Trinitatis de Viterbio, iam ab Vrbano Quarto fundatum, ac erectum Religioniq; traditum capiunt Patres Ilicetani in poſſeſſionem die . . . 1508

Similiter & Cœnobium s. Auguſtini de s. Geminiano die . . . An. 1496. quo tempore illud memorabile ſucceſſit, vt panis vinumq; multiplicaretur. Craſſante fame innumerabiles ad eum confluunt turbæ, inde ſibi acquiſito eleemoſynarij nomine, præerat enim Cœnobio illo tanquam Prior. Multum profuit Monaſterijs quibus præfuit, præſertim Geminianenſi, Ilicetano, ſancti Galli Florentino, & Monialium s. Mariæ Magdalenæ, multa bona cõparando, & in eius gratia elargita. Vt in lib. Contr. pag. 357

AEgidius intimè eum adornauit. Ex Epiſt. illi miſſis apertè colligitur: huic mittit Panegyricum illud tam ſæpè citatum: in Epiſtola 10. ſcripta eidem ab AEgidio confitetur ipſum AEgidiũ ad apicẽ Cardinalatus euectũ fuiſſe eius meritis, & interceſſione.

In regeſto p. Congreg. pag. 4. ſunt aliq; Epiſtolæ Burgheſij de Petruccis huic ſcriptæ maximę exiſtimationis. Omnes ſcript. Religionis, & Cong. de eo diffusè agunt. Alteſius Elog. m. s. in noſtra Sylua pag. 110. Herrera pag. 248. In Eccl. Ilicetj eſt eius Icon quę panẽ ægenis diſpenſat à perito depicta: erat Prior Ilicetj, & 1. Diffinitor quãdo obijt.

De

46 De B. MICHAELEANGELO Gemin.

BEatus Michaelangelus Geminianenſis Gamucciorum clarus ſanguine, ſacro Leuitarum inſignitus Ordine Chriſti cauſam contra infideles agẽs, coniecto à Barbaris palo confoſſus eſt, Quod nefarium necis genus eumdem palum efflorẽſcere fecit; non mirum dum triumphali Martiris ſanguine irrigatum floreſcat; deinde fructus immarceſcibiles recepit Empirei, quibus in terra potiri incepit An. M. D. XXIV.

ADNOTATIO.

DE hoc in victo Chriſti Martyre in lib. veteri profeſſorum, & monimentorum Monaſterij S. Auguſtini de S. Geminiano pag 7. hæc habentur verba. *Fr. Michaelangelus olim Raphaelis de Gamuccis, qui in ſæculo vocabatur Nicolaus, recepit habitum noſtræ Religionis et Congregationis in Conuentu S. Leonardi à F. Angelo de Aretio tunc temporis Priori dicti Loci ſub An. Dõ. 1523. die 8. Menſis Maii, et poſt Annum et diem probationis ſuæ, ſuam fecit profeſſionem in manibus Ven. P. Baſilii tunc tẽporis Prioris Iliceti; vbi dictus F. Michaelangelus per Capit. locatus fuerat.*

Qui Michaelangelus antequam profeſſionem emiſiſſet renunciauit omnibus iuribus ſuis, & reliquit cuncta ſua bona Fratribus & Sororibus ſuis; quæ renunciatiõ confirmata fuit per Capitulum prædicti Monaſterij, occaſione cum Eliſabeth ſoror eius Germana deſponſaretur Nobili Viro Michaeli de Mainardis, conditione quod ſi ipſa decederet ex hac vita abſq; liberis, tunc prædicta bona redirent ad Monaſterium; hæc omnia approbauere Patres ſub fide Ser Ioannis Petri de Noris die 4. Maij 1531.

In alio verò lib. recenſiori pag. 4. legitur *Fr. Michaelangelus Raphaelis de Gamuccis qui percepit habitum An. Dom. 1523. Die 8. Maii, et elapſo An. emiſit profeſſionem in manibus Prioris Baſilii tunc temporis Iliceti. Obiit per manus Turcarum cum multa conſtantia in fide, habeo vt Martyr Chriſti credendum ſit.*

In Altare Familiæ Gamucciorum, quæ eſt inter nobiliores illius Patriæ Gieminianenſis, de qua infra in adnotatione ad Elogium Reuerendiſsimi Dom. Auguſtini de Tinaccis Epiſcopi explanabimus aliqua, de eodem noſtro Beato hæc narrantur *Niccolò figliuolo di Raffaello Gamucci ſi fece Frate Agoſtiniano di anni 14. l'anno 1523. e ſi chiamò Fra Michelangelo, e fatta la profeſſione fu mandato in diuerſi Conuenti, e fu buoniſſimo Predicatore, e buon ſeruò di Dio, et alla fine andò fra gl' Infedeli à predicare, doue fu da quelli martirizzato.*

In prædicto Oppido Imagines Michaeliſangeli plurimæ reperiuntur, & publicè, & priuatim, in domibus, & in Eccleſijs hũc Beatum Iuuenem palo confoſſum repræſentantes. Aſſeritur, ex continuata traditione, palum quo confoſſus fuit ſtatim floruiſſe; & ita in Imaginibus palum germinaſſe apparet; ita conſpiciuntur in Eccleſijs Ilicetana, S. Martini Senarum, S. Stephani Florentiæ, ac S. Auguſtini ſuæ Patriæ.

Agunt de eodem noſtro Martyre ſapientiſſimus Pater Herrera Alphabeto par. 2. pag. 61 Mag. Aloyſius Torellus Bononienſis Centuria 4. cap. 64. & Authores vitæ B. Ioannis Chiſij admirabili calamo conſcriptæ pag. 39. vbi de eodem B. Martyre Michaeleangelo ſic ſcripſerunt *B. Michaelangelus de Gamuccis Diaconus, Chriſti cauſam contra Infideles agens Martyrium complenit, diriſſimè ab illis palo tranxfiſſus, qui palus momento efflorvit, et martyrium reddidit glorioſum.* Felix igitur Patria quæ talem parturijt filium, qui ſuo ſanguine etiam Ilicetanam Congregationem illuſtrauit.

47 De B. IOSEPHO GEMINIANENSE.

Beatus Joſeph in Insigni Geminianenſi Oppido progenitus, iuxta ſui nominis arcanum ab ineunte ætate ad extremos vſque dies Diuinis ſe iunxit conſilijs, cælestibuſque præceptis; hinc non timuit cum Beato ſuo Conciue Michaeleangelo Gamuccio, aliſque Coeremitis Ilicetanis per Turcas apud quos Christi fidem diſſeminabant proprio cruore firmare, locupletare, illuſtrare. Hoc enim accidit Anno Dom. M. D. XXIV.

ADNOTATIO.

DE hoc noſtro B. Ioſepho Geminianenſe, & ſi non certũ diem ſuæ receptionis ad noſtrum ſacrum Eremitanum Inſtitutum, cum in hac parte liber in quo deſcribuntur Filij & Alumni Illuſtriſſimi Cœnobij Geminianenſis in vetuſtate temporis mancus & mutilus, tamen certos Indices & ſatis per antiquos, cum appellatione Beatitudinis ad hunc noſtrum Ioſephum habemus. Inter quos ex recentioribus adeſt Index Simpliciani Bononienſis pag. 34. Cronica Ordinis noſtri Auguſtiniani per Ioſephum Panphilum compoſita pag. 134. Cathalogus Sanctorum & Beatorum Ordinis. Gregorius Fulginas ſacri Horrori Leccetani. Raphael Paſinus lib. 3. Iconum cum Imagine ſub qua appoſuit hæc verba. *Ioſeph de S. Geminiano ab ineunte ætate crebras Demonii tentationes ſuperauit.* In vita B. Ioannis Chiſij pag. 39. hæc appununtut verba. *B. Ioſephus de S. Geminiano ab ineunte ætate ad vltimos vitæ dies Diuinis iunxit Diuina Conſilia, quæ apud Turcas proprio cruore confirmauit An.* 1524.

Thomas Herrera p. p. alph. Auguſt. pag. 395. hæc appoſuit verba. *Ven. Ioſeph in Oppido Geminiani nõ obſcuro exortus genere, vna cum B. F. Michaeleangelo de Gamuccis et aliis Ilicetanis per Turcas penes quos Euangelium diſſeminabat circiter annũ* 1424. *Martyr effectus, Stolam ſuam quam in stagni ſanguine dealbauerat proprio cruore purpurauit, vt à Chriſti ſanguine candidus, et à proprio rubicundus, Sponſo ſimilis in oculis Sponſi gratiam inueniret.* Aloyſius Torellus Bononienſis hoc idẽ teſtificatur Cent. 4. cap. 65. pag. 451.

Et ſi omni diligentia vſi fuerimus, minimè tamen hucuſq; inuenire potuimus ex qua Familia ortus ſit hic noſter B. Ioſeph, profectò ex Nobili, ſi conſiderẽtur ipſius Herreræ verba, ſcilicet. *in Oppido Geminiani non obſcuro exortus genere.* Et poteſt eſſe vna ex extinctis quæ ſunt Saluucci, Ardinghelli, Gheſi, Corſi, Piccheni, Abbracciabeni, Nori, Marcheſi, Catani, Buonaccorſi, Caſucci, Gentiluzzi, Gerini, Poſchi, Strelli, vel vna ex viuentibus ſcilicet, Moronti, Mainardi, Vſeppi, Lupi, Ficarelli.

Inſuper inuenire curauimus nomina Religioſorum illorum Ilicetanorum, qui cum Michaeleangelo, & Ioſepho martyrium ſubierunt ex ſententia ſupradictorũ ſcriptorum, & prætermiſſa coniectura quadam alicuius miſſionis circa hæc tempora nil aliud certius inuenire potuimus.

Imago huius B. Ioſephi in Arbore Ilicetana multis ab hinc annis depicta, apparet in Capitulo Iliceti præſeruata; poſtea per nos aucta cum Elogijs æneis tabulis impreſſa, ac etiam alijs in Locis, & publicis & priuatis in Patria apud ſuos Conciues, necnon in multis Eccleſijs noſtrę Religionis colitur.

Quæ vſque modo dicta per nos ſunt colligimus ex monumentis, & publicis Tabulis in authenticam formam, vt apud noſtram Syluam Ilicetanam 2. p. pag. 8. & ex illis etiam apparet quanta ſit fidelium deuotio erga Ioſephum noſtrum.

De

BEatus Nicolaus Natione Gallus Ilicetanorum fama iam vbique diffusa ad Ilicetum accurrit; vbi inter infirmorum præsertim cuiusdam Adeodati Aretini vlceribus vndique scatẽtibus curam subyt, manibus lauat, lotionem bibit, quorum opere formar stomachum, carnem domat, internalem orcum pellit, cor suum abluit, animam ditat, sibi sedem in Cœlo aternat Anno Domini M. D. XXVII.

ADNOTATIO.

NIcolaus Iacobi ex Nobili Parillionium Familia apud Ciuitatem Metensem in Gallia natus; in Patria habitu Eremitico Augustiniano indutus, Augustiniq; Sanctissimi Præceptoris instituta professus est: sed desiderio fragrans sanctiùs, & in omnimodam obseruantiam viuere, vt magis magisque Deo Optimo Maximo placeret, sædulus ad Ilicetum nostrum pergit. Vbi denuo tanquam Nouitius receptus, elapsoq; suæ probationis Anno nouam etiam emisiit professionem; & per Generale Capitulum Congregationis vnitur eidem Congregationi, & declaratur filius nostri Cœnobij *I*licetani sub regimine Vicariatus Generalis Reu. P. Fr. Basilij de Monaldis.

Perpendantur, bone lector, verba B. Paracliti Bini à S. Angelo in Serie Professorum Monasterij Ilicetani pag. 20. quæ sunt. *Fr. Nicolaus Iacobi de Parillionibus de Ciuitate Metensi et Prouincia Franciæ in Patria Professus, postea apud nos per annũ probatus, Anno Dom. 1503. die vltima Aprilis per Capitulum Congregationis vnitus est Congregationi, et factus Filius Ilicetj Reu. P. Fr. Basilio Vicario, et F. Paraclito prædicto Priore.* In regestis verò Congregationis Illius temporis pag. 8. hęc habemus verba. *Item receperunt et incorporauerunt Reuerendum Patrem Magistrum Augustinum de Interamnis, et Fr. Nicolaum de Frantia, et fecerunt filios Conuentus Iliceti, dantes eis votum in Capitulo in omnibus, et per omnia sicut aliis Fratribus nostræ Congregationis.*

Incomparabilem nec non egregia facinora huius Beati Nicolai testantur Relatio Beatorum Ilicetanorum, Stephanus Vgurgerius in 3. Oratione, Authores vitæ B. Ioannis Chisij pag. 39. Gregorius Fulginas sacri Horrori Leccetani, Thomas Herrera Alph. August. 2. p. pag. 174. Aloysius Torellus in suis Cent. & alij.

Franciscus Rappius Sen. Pijssimus Presbyter diffusius in sua Lima Spirituali Typis tradita Senis 13. Septemb. 1535. Coeuus nostri Beati pag. 33. narrat Nicolai mirabilia gesta. *F. Niccolò di Iacomo de Pariglioni della Città Metense della Prouintia di Frantia professiò in sua Patria, tirato dal nome della Santità di Lecceto, il dì vltimo di Aprile stette à prouta come Nouitio, fu fatto figliuolo di dettò Lecceto doue visse molto santamente, e per breuità lassando molte cose ammirabili, che di lui si possino dire, solo diremo della suprema carità, che haueua all'Infermi, etc.* Et narrat potũ lotionis vlcerati Adeodati ad instar S. Catharinæ Senen. & paulò post addit. *Nella sua vltima infirmità stato in transito dieci dì senza cibo alcuno, e senza parlare e sentimẽto, ritornato in se disse all'Infermiero essere stato molto tormẽtato, etc. ma che quella beuanda l'haueua difeso dal nimico, etc.* & concludit. *Il Sabbato sera domandato, et hauuto che hebbe la estrema vntione, e raccomandatione dell'Anima, innanzi mezza notte rendè l'Anima al suo Creatore, come già haueua predetto.* Quæ supra narrauimus sunt propria verba ipsius Rappi exarata ex sua Lima Spirituali.

De

49 De B. IO: BENEDICTO MONCETTO.

IN Patria Castilionensi mundo dato vale, habitum August. sumit Moncettus, quo induto, simul omnes scientias & normã benè viuendi apprehẽdit. A secretis Ducũ Mantuæ fuit, sed ad Cœlũ adspirans, nostræ Syluæ sese obtulit, vbi docto calamo multa dictauit; corpus in seruitutem spiritus redigens ieiunijs & disciplinis; tandem positis genibus, eleuatis manibus & oculis ad Cælum petijt An. Dom. M. D. XXXVIII.

ADNOTATIO.

IOannes Benedictus Moncettus de Castilione à nonnullis Aretino, à multis verò Florentino nuncupato propè flumen Clanium, Vir fuit altissimi Spiritus, & profundissimæ doctrinæ, non tantum scientiarum quæ magis Religiosis Claustralibus conueniunt; sed etiã Mathematicarum, Musicæ, Oratoriæ, & aliarum quæ hominẽ exornãt.

Post multa peracta, & in Religione & extra laudabiliter, etiam apud Magnates, & præcipuè apud Serenissimos Mantuanos, & Mediolanenses Duces, apud quos, præsertim apud Mantuanos elapsus aliquo vitæ discrimine, à quo bracchio Pontificio erutus, vale omnino dicens rebus terrenis ad nostros Ilicetanos declinauit.

Iliceti denuò Nouitiorum numero aggregatus, ad Professionem admissus, hanc humiliter comprobauit, receptus etiam per Capitulum Generale Congregationis in filium, & præcisè Cœnobio Ilicet. fuit ascriptus Die 11. Aprilis, An. 1540. vt in regesto Cõgregationis illius temporis pag. 58. apparet, ibiq; hæc verba. *Item receperunt, et incorporauerunt Reuerendum P. Mag. Io: Benedictum Castilionensem assignantes ei locum immediate post venerandum Patrem Bernardinum, etc.*

Quantæ existimationis hic fuerit apud Magnates, & Principes deducitur ex Priuilegijs ipsi concessis, quorum exemplaria, vti audiuimus, reperiuntur in Archiuio Cœnobij S. Augustini Castilionensis Prouinciæ Senatum; apud nos tamen conseruatur exemplar vnius dictorum Priuilegiorum Sylua Ilicetana f. 2. pag. 201. per quod multas immunitates, & gratias eidẽ ab Imperatore Maximiliano semper Augusto tribuuntur; erat enim tunc temporis Io: Benedictus Vicarius Generalis, & Cõmissarius Apostolicus totius Ordinis Eremitarum S. P. Augustini.

In nostra noua Bibliotheca, pro qua excitanda plurimum insudauimus, inter libros ad nostrum vsum concessos à Religione apparet tractatus Aureus AEgidij Romani de formatione corporis humani sub litera L. Gradu 3. Num. 23. in cuius libri fronte hęc verba leguntur. *Correctus, reuisus, renouatus, et auctus per sacræ Theologiæ Doctorem Excellentissimũ Magistrum Ioannem Benedictum Moncettum de Castilione Aretino totius Franciæ, Angliæque Vicarium Generalem, ac vitæ Regularis Reformatorem, ac Commissarium Apostolicum dignissimum Ordinis Fratrum Eremitarii S. Augustini. Ad Serenis. Regem Angliæ fortissimum, liberalissimum, iustissimum, et sapientissimum. Parisiis die 9. Februarii* 1515.

Testimonium reddunt de hoc nostro Beato omnes scriptores præcipuè ex recentioribus Thomas Herrera: Tom. 1. pag. 397. Torellus Cent. 4. Cap. 90. pag. 491. Episcopus Signinus pag. 101. Altesius apud nos pag. 146. et in lib. Hieronymi Bonsign. pag. 2. diffusè. Ex supradictis clarè apparet quam doctus, quam pius, quam Religiosus Moncettus noster fuisset, cum tot Magnates, totq; nostræ Religionis Superiores eius doctrinam, eiusq; Religiositatem tam maximè existimauerint.

50 De B. BARTHOLOMAEA ALBIZESCA

Silentio prætereunda non eſt fortiſſima hæc mulier, quæ ſacram Ilicetanã Syluã reddidit admirabilem. Bartholomæa abſoluta à vinculo matrimonij quo iuncto Troliardo Ptolomæo erat, induta ab Ilicetanis habitu Eremitico tertij Ord. ſic deum dilexit, vt nõ magis ore, quã corde nomen Jeſu proferens animã videretur exalare, edocuitq; Amita & Magiſtra adoleſcentem Bernardinũ tã Sanctũ & terribile nomen venerare Ob. M.CCCC.LXXX.

ADNOTATIO.

NOn te pigeat, benigne lector, ea quæ de hac Pia fœmina ſcripſerunt Aloyſius Lipomanus, Syluanus Razzius, & ſapientiſſimus Voragines in vita S. Bernardini Senen. aſſerantes adeò hanc S. Mulierem nomen ſanctiſs. Dei dilexiſſe, vt in illud proferendo cor eius ob amorem & dulcedinem diuideretur.

Ex ſententia dictorum Authorum hęc Nepotem Bernardinum Albizeſcum orta eſt, vt ſe in Religionem, & Ilicetanam diſciplinam traderet; ſed aliter Deus diſpoſuit. Hæc ſunt verba Lipomani Tom. 3. pag. 119. *Fuit hæc Bartholomæa cum primis veneranda, ſpiritualis, et Deo deuota fœmina, quã etiam multi pro ſancta haberẽt, etc.* & paulò inferius, *hortabatur eum ſemper*, loquitur de Bernardino, *vt Monaſticum inſtitutum complecteretur præſertim Eremitarum ſub Reg. D P. Auguſtini Chriſto militantium in Cœnobio Religioſo quod de Liceto vocant, in quo erant Patres Venerabiles, et Spirltuales etc.*

Quos ſupracitatos Authores ſequitur etiam Bzouius qui cum prædictis diſcipuli in hac parte fuerunt Antiſtitis S. Antonini Florentini, qui hæc verba reliquit relata à dicto Bzouio. *Placebantq; ei vſq; adeò mores illorum, vita laudabilis, vt probabilis coniectura fuerit eum Monaſticum habitum apud illos induturum fuiſſe, niſi illum retinuiſſet*, loquitur de Bernardino, *amor erga hanc Bartholomæam, quam dum eſſet in humanis, vt matrem dilexit, neque eam deſerere voluit*. Qua occaſione placuit Deo, vt Bernardinus Seraphici Ordinis eſſet Reformator.

Multi alij ſcriptores de Bartholomæa agunt, apud quos pro ſancta habetur. Realdus eius Imaginẽ poſuit in ſuo pulcherrimo ſtemmate Hæroum, Hæroinarumq; Raphael Paſinus Venetus lib. 3. *Iconum* cum Imagine. Hieronymus Rom. Cent. 11. pag. 85. ad an. 1450. de ea ſic ait. *Por eſto tiempo floreſcio por ſanctidad de Vida la ſanta y May Religioſa Matrona Bartholomea en la Congregacion de Illiceto, etc.*

Bartholomæa insuper ſoror Germana fuit Dom. Tolli de Albizeſchis, quæ Senis eſt Familia, vt dicunt, *delle grandi*, ſed modo extincta, ex Tollo ortus eſt Bernardinus, & ſic Bartholomæa Bernardini Amita fuit, vxorque Dom. Troliardi de Ptolomæis; poſt cuius mortem tertio habitu Eremitico Auguſtiniano per Ilicetanos Patres Induta, cum eo conſtantiſſimè perſeuerauit vſq; in finem nonagenaria obijens.

Ex quibus quantum ſe decipiat, quantumq; erret Author quidam incognitus, qui inſcribendo vitã & geſta S. Bernardini Albizeſchi Sen. aſſeruerit hanc noſtram B. Bartolomæam fuiſſe ex Congregatione Canonicorum Regularium S. Saluatoris, ea ductus ratione, quia aliquando Monaſterium noſtrum Ilicetanũ fuerit eiuſdem Religionis, ſiue Congregationis ſupradictorum Canonicorum Regularium; ſed ille non animaduerit illas particulas, ſcilicet, il per paucos menſes illam Congregationem illic permanſiſſe, vt dictum eſt in Chronol. & hoc ſucceſſit An. 1408. & non 1400.

De

ELOGIA,
ET ADNOTATIONES
PRO ALIIS PATRIBVS, QVI PIE, ET RELIGIOSE VITAM DVXERVNT IN COENOBIO, ET CONGREGATIONE ILICETI.

De GVILELMO MEDIOLANENSE. Antonio Hiſpano, & Ioãne à Burgo S. Sepulchri.

PRæter eos de quibus in ſuperioribus Elogijs facta eſt mentio, reperiuntur, & alij Ilicetani, qui titulo Beatitudinis à multis condecorantur, inter quos primum locum tenet ſuprad. Guilelmus, qui apud omnes, in optimæ famæ, & ſanctitatis opinionem fuit; hic doctus, ſed ſic humilis, vt ad Sacerdotium aſſumi noluit. Prædicator eximius extitit, & de ipſo in libro veteri profeſſorum pag. 1. legitur. *Queſto dì 22. di Aprile 1473. venne qui à Lecceto per ſtare vn famoſo huomo di ſanta vita, haueua nome Guglielmo da Milano, famoſo Predicatore, poniamo che nõ haueſſe ordini ſacri, veſtiua di cilicio vergato rigato, e teſſuto di verge bigie, e bianche.*

Secundus fuit Antonius, qui iam ſub tertio inſtituto Seraphici Franciſci vitam ducebat, humilitatis dono præditus erat, ſed ad maiorem adſpirans humilitatem, ad Ilicetanos venit, petens, vt infimum miniſterium ei committerent, ſic legitur in ſuprad. lib. & pag. *A dì 22. Luglio venne F. Antonio Spagnolo, era veſtito del terzo Ord. di S. Franc. e vẽne à ſtare con eſſo noi per raccomãdato à fare la Cucina, et altri biſogni.*

Tertius fuit Ioannes cuius prudentia, & deuotio ex eod. lib. pag. 42. deſumitur. *Anno 1476. in Menſe Octob. circa finem Ven. Senex F. Io: de Burgo S. Sepul. Conuetus Ilic. antiquus, et deuotus filius; vniuerſæ carnis viam ingreſſus eſt, vir rectus et timens Deum, cũ cõmoraretur in S. Leonardi Monaſterio eiusd. loci ſungeni Vicar. Officio.*

De ANDREA LVCENSE. Paulino Nolano, Honofrio, & Stephano Senen.

ISti omnes de Familia Iliceti degentes, adeò reuerẽtia, & extimatione proſequebatur Sanctiſs. Sponſa Chriſti Catharina Sen. vt ab ea inſigne Elogium Seruorũ magnorũ Dei pluries obtinuerunt, vt patet ex epiſtolis tum eis, tum alijs miſſis, præcipuè ex illa B. Guilelmo Anglo cõmendando ei Mathæum Foreſtanum Religionem ingredi, Ilicetiq; permanere deſiderantem, & in alia B. Antonio idem habetur; quarum prima in lib. ſuarum Epiſtolarum in Bibliotheca Martiniana in ſcamnu ſub litera C. gradu 3. n. 40. eſt 136. altera verò 141. in Epiſtola Antonio ſcripta circa finem hæc habentur verba. *Non hanno fatto così Fr. Antonio da Lucca, ne Fr. Paolino grandi ſerui di Dio antiqui, e poco ſani, eſſendo ſtati tanto tempo nella pace loro, ma ſubbito con loro fatighe, e malageuolezza ſi meſſero in via, e ſono venuti all'obbidienza.*

Alij ſcriptores de ſupradictis Patribus agunt, maxime de Paulino, & Andrea. Magiſt. Herrera Alph. Aug. p. p. pag. 10. & 2. p. pag. 244. Mag. Aloyſius in ſuis Cent. pag. 278. Iſidorus Vgurg. Pompe Sanẽſi, eoſq; Beatos appellãt. Floruerunt circa An. 1380. quo tempore D. Catharina Sen. ſub Vrbano VI. tantum pro Eccleſia Dei elaborabat, & ſuprad. Ven. Patres pro eadẽ Eccl. elaborare ſatagebat. Magnũ decus igitur huius noſtri Cœnobij ex quo prodiere tamquam ex æquo Troiano viri tã mundo perutiles.

De

De HIERONYMO BONSIGNORIO Sen.

Titulo Beatitudinis condecoratur à quam plurimis ſcriptoribus tum noſtris, tum exteris Hieronymus Nicolaij Barthalini de Bonſignoribus inter Senenſes nobiliſſimus. Hic ſuſcepto habitu Eremitano in Cœnobio Ilicetano, expleto tempore ſuæ probationis ſolemnem ſuam emiſit profeſſionem, vt ipſemet propria manu teſtatur in libro Profeſſorum prędicti Cœnobij Iliceti pag. 91. videlicet. *Ego Fr. Hieronymus Nicolai Barthalini Confiteor me feciſſe profeſſionem die 30. Octobris 1433. in Conuentu Sancti Saluatoris Syluæ Lacus.*

Huic Seraphica virgo Sponſa Chriſti Catharina Senen. Epiſtolã ſcripſit, quæ apud nos eſt loco ſupra dicto pag. 161. & incipit *A voi diletti ſſimo, e cariſſimo Padre, e Figliuolo in Chriſto Ieſu, io Caterina ſerua, e ſchiaua, etc.* In qua Epiſtola Præco verbi Dei appellatur Hieronymus noſter ab ipſa Seraphica.

Dolebatur Hieronymus quia Cœnobium S. Annæ extra Pratum ſuæ curæ commiſſum à non vulgari vexatione vexabatur, incenatus & inſomnus quadam nocte iacebat, quando Anna S. Monaſterij Patrona alicui Nouitio apparuit, præcepitq; Priori dicere Cœnobium ei commiſſum non paſſurum nec minimum detrimentum: ex authenticis monimentis dicti Monaſterij, vt in 2. p. noſtræ Syluæ Ilicetanæ pag. 18.

Fuit Hieronymus, ab ingreſſu Religionis Pius, Simplex, Doctus, Præceptor omnium ſcientiarum, Periciſſimus in iure Pontificio, Profundiſſimus explanator ſacræ ſcript. Laxiorẽ viuendi modum reuocauit da ſeuiorem diſciplinam; miſſus à Generali Ord. inſtantibus Vrſino & Florentino Cardinalibus; & præcipuè in Cœnob. Brachiani; & Corneti. Reformauit etiam noſtras Conſtitut. vt apparet in Regeſtis Generalium.

Die 17. Martij 1466. eligitur in Priorem Cœnobij S. Mariæ de Populo; & die 3. Aprilis 1471. Prior S. Annæ Pratẽſis deſignatur, id petentib. Card. Papienſi, & Ducisſę Mediol.

De noſtro Hieronymo agunt omnes ferè ex noſtris ſcriptoribus, præcipuè Hieronymus Bonſig. huius nominis & Cognominis ſecundus, ſuuſq; Nepos in ſuo Memor. pag. 33. Athanaſius pag. 37. Torell. pag. 369. & Herrera p. p. Alph. pag. 334. Beat. eũ vocat.

Tandẽ plenus meritis die 11. Iun. an. 1495. mẽte integra, ait Paraclit. obdormiuit in dõ.

De BARTHOLOMAEO SALVIO, Franciſco Ioannis, Io: Antonij Sen. & Io: à Stagio.

PRæter eos qui ſecuti ſunt B. Stephanum Cionium, & ſocij eius eſſe voluerunt in fundatione ſacræ Congregationis Canonicorũ Regularium S. Saluatoris de quibus ſupra, & in Chronol. Cœnobij Iliceti pag. 24. & in Elogijs Beatorum ſpecialis facta eſt mentio; non eſt prætermittenda ſupradict. quatuor Religioſorum memoria; qui ſicut ab Ilicetano Cœnobio tantum zelo religionis ducti abierunt; ſic ad tollenda ſcandala & diſſentiones ad priſtinum ſtatum Eremitanum eodẽ in Ilicetano Monaſterio remigrati ſunt, propenſionem eorum voluntatis ad honorem Dei, & ad bonum Religionis & Congregationis ſemper oſtendentes. Piè & Religioſè poſt eorum regreſſum vitam ducentes inter noſtras ſacras Ilices commorãtes cum illis qui permanſerunt, ad ęternam Patriam diuerſis tamen temporibus euolarunt. Et quamquam de eorum obitu certum diem non habeamus, hoc enim accidit ob euentum incendij quo paſſum eſt Ilicetanum Cœnobium, vt ſupra pluribus in locis pluries diximus; in quo omnes ferè ſcripturæ & monimenta Monaſterij ſuorumq; Alumnorum perierunt. De eis tamen pertractant Ioannes Baptiſta Sighius pluribus in locis, Hieronymus Bonſignorius in ſuis commentarijs, & tandem Athanaſius Fullonicenſis in ſuo magno Memoriali ad quos pium Religioſum, & curioſum Lectorem remittimus.

De GALGANO GORIO Sen.

DE hoc Religioſiſſimo Viro B. Paraclitus Binus à S. Angelo in Serie Profeſſorũ Monaſterij Ilicetì pag. 25. apertè loquitur ſub hac verborum forma. *F. Galganus Antonii Gorii Sen. et in ſæculo Creſcentius per Ven. P. Priorẽ F. Paraclitum habitu noſtro fuit indutus, et pro Clerico receptus die* 20. *Nouẽbris* 1519. *et Anno ſuæ probationis elapſo profeſſionẽ ſuam fecit* 21. *eiuſd. Menſis* 1520. *in manib. eiuſd. Prioris.*

Doctiſſimus etiam P. Thomas Herrera Alph. Auguſt. p. p. pag. 288. mentionem facit de hoc noſtro Conciue ſic dicens. *Galganus de Goris Ilicetanus inter Viros Sanctos Eremi Ilicetanæ computatur, et An.* 1519. *traditur obiiſſe.* Benè dicit Herrera, *An.* 1519. *traditur obiiſſe*; quia re vera Galganus noſter mortuus nõ eſt eo anno, equiuocat enim ipſe; ſumit namq; annum mortis pro anno quo mortuus eſt mundo, ſcilicet quando Religionem in Cœnobio Ilicetì ingreditur; mors verò naturalis in eo ſucceſſit circiter annum 1550.

Goria Proſapia ex qua ortus eſt Galganus in Senarum Patria Nobiliſſima eſt; ex ea nãque emanarunt Viri in omni genere præſtantiſſimi. Syluius Gorus vtriuſq; Iuris Doctor, Eminentiſs. Cardinalis Franciſci Cennini Ferrariæ Legati ea in Legatione Auditor fuit; ſed morte præuentus Io: Baptiſta ſuus Germanus Frater in eius loco ſucceſſit, qui poſtea Vrbani VIII. Parci maioris Abreuiator, deinde Eminentiſs. Card. Baldeſchi, & Sachetti Bononiæ Legator. Vicelegatus extitit; inſuper sũmus Inquiſitor in Inſula Melitæ, & à Magno Etruriæ Duce ad Regiem Hiſpaniarum vti Orator miſſus fuit: tandem ab Innocentio X. Craſſeti Epiſcopus ordinatus eſt. Hic cum eſſet Bononiæ à celebre Pictore huius ſæculi Guidone Rena Icon in qua depicta eſt Circumciſio D. N. I. C. pro Cappella in Eccleſia noſtra S. Martini Sen. iam per ſuos Fratres magno ſumptu extructa pingere curauit.

De MANFREDO A LEONISSA.

REligionem ingreditur habitumq; Auguſtinianum recepit Manfredus de Iudicibus à Leoniſſa in Prouincia Vmbriæ 12. Menſis Iulij 1534 qui in ſæculo Io: Benedictus dicebatur; per manus Reu. P. Nicolai Collenſis Prioris Monaſterij noſtri Ilicetani; & completo ſuæ probationis Anno coram admodum Reu. P. F. Siluestro Aloyſij pariter Collenſe Vicario Gener. Congr. ſponte ſuam emiſit profeſſionem ita aſſerit Paraclitus Binus in Serie Alumnorum Ilicetì pag. 26. Et Religioſiſſimus P. F. Seraphinus Iſraelita Prior Ilicetanus de Manfredo loquendo in lib. Veteri Profeſſorum pag. 15. ſic ait. *Obteſtor in Dom. Fr. Manfredum fuiſſe maximæ Religionis et Sanctitatis Virum, et ſupremæ humilitatis, honeſtatis, ſobrietatis, paupertatis, et pœnitentiæ profeſſorẽ.*

Hic pro noſtra Congr. Leoniſſæ ſuæ Patriæ conſanguineorum ſumptibus conſtructo Cœnobio ſub inuocatione s. AEgidij Abb. quod à Patribus Diffinitorij Die 19. Aprilis An. 1565. acceptare decretum fuit, vt in Regeſtu pag. 85. his verbis. *Item receperunt, incorporauerunt, Congregationi noſtræ perpetuò aggregauerunt Locellum ſeu Conuentum S. AEgidii de Leoniſſa, hac tamen lege, et conditione, vt in quatrimeſtre ab harum notitia ſuis expenſis Breue Apoſtolicum in manus Reu. P. Vicarii Congr. præſentetur, vt cum cæteris aſſeruetur.* In hoc Cœnobio cum edificatione populorum manſit Manſredus de licentia Patrum Diffinitorum, vt in dicto Regeſtu pag. 91. apparet. *Item confirmauerunt vt Fr. Manfredus de Leoniſſa habeat eam l. licentiã in ſcriptis manendi im Locello ſeu Eremo noſtra S. AEgidii cum omnib. clauſulis per alia Capit. ſibi à Patribus conceſſã, et P. Vicarii ſigillo ſignatã.* Ibiq; moritur, vt idem Seraph. teſtatur loco ſuprad. *Cum ſuis Confratribus Religioſiſſimè Vitã duxit in quo quidem loco laudabiliter et cum lachrymis tum ſuorũ Confratrũ, tum totius Religionis, tum Patriæ et adiacentium deceſſit An.* 1567.

De

De MARIANO TVRCHIO Senen.

MArianus Turchius, qui in ſæculo Iulius Petri de Turchis nominabatur, per manus P. F. Saluatoris de Viticcis Prioris Cœnobij S. Martini Sen. habitum Eremiticum Ilicetanum die 17. Iulij An. 1523. recepit, & elapſo anno probationis ſuam emiſit profeſſionem ante eumd. P. Viticcium. Ipſe enim fuit primus Alumnus & filius d. Cœnobij S. Martini poſtquam Ilicetanæ Congreg. fuit vnitum; quanta fuerit eius Pietas quantaq; eius Religioſitas patet ex eo quod ſcriptum eſt de ipſo in Serie Alumnorum ſuprad. Monaſterij pag. 4. vbi hæc formalia verba ſunt notata. *Poſt ſenis ergo annis cũ integro ſæculo Diuino affulgente Paracleto-ſummisq; Eccleſiæ Principibus Auguſtino et Martino, Seriem hanc huius almæ AEdis Patrum ac Fratrũ conſcribendam nobis reſumentibus primus, nec immeritò ſit obuius F. Marianus cognomento de Turchis, Chriſtianiſsimus tamen atq; opere Religioſiſſimus. Hic cum eſſet inter Laycos Iulius Petri de Turchis vocitabatur die 17. Iunii An. 1524. hoc in Cœnobio Auguſtiniano habitu indutus, ac elapſo probationis Anno ſuam emiſit profeſſionem in manib. P. F. Saluatoris Viticcii huius Prioris Conuentus, per quem et habitum ſuſcepit, eòq; venit prudentiæ ac probitatis, vt ter Archicœnobio terq; Societati vniuerſæ præfuerit ſemperq; profuerit.* Inſuper præfuit ſemel Monaſterio S. Martini Senarum; bis S. Antonij Valliſpræ, & S. Stephani de Florentia, ſemelq; S. Mariæ Gratiarum extra Mœnia Ciuitatis Collenſis, & Montiſpecchi; ex hoc infertur eius prudentia in gubernando.

De hac Proſapia Turchia quæ Nobiliſſima extitit in Ciuitate Senarum, in præſentiarum vna ſola ſupereſt Fœmina quæ mortua extincta remanet hæc conſpicua Familia.

Marianus noſter poſtquam plurimum defaticauit pro ſua Religione & Congregatione, tandem quieuit in pace Anno Dom. 1588. die 20. Maij in Monaſterio S. Martini Sen. vt apparet in lib. mortuorum Eccleſiæ Parochialis ſupradicti S. Martini pag. 121.

De ANDROMACO ex COMITIBVS Ilcij.

IN Serie Profeſſorum Monaſterij Ilicetani etiam numeratur Andromacus ex Comitibus Ilcij, nõ quod ſit Alumnus dicti Loci cum pro Monaſterio Martiniano de Senis profeſſus ſit, ſed quia, vt putamus, ipſe ſua ætate eidem Cœnobio magnum contulerit ſplendorem; dum genericè loquendo etiam Ilicetanus dicebatur: de eo leguntur pag. 30. verba vt infra. *Fr. Andromacus Comes Ilcinenſis inter Eremitas S. P. Auguſtini cooptatus eſt An. Dom. 1567. ſuſcepit habitum Senis in Conuentu S. Martini, et ſequenti Anno profeſſionem emiſit Iliceti; hic Vir planè Religioſiſſimus fuit Illuſtri genere, Illuſtrior ſanctitate. Obiit Romæ An. 1593.* Sed latius eiuſdem merita extollũtur in Cathalogo ſeu Serie Alumnorũ Monaſterij S. Martini Sen. pag. 7. vbi hæc habentur verba. *F. Andromacus Senenſis Auitæ abrenuntians Nobilitati; Antoniũ enim ex Ilcii Comitibus Genitorem ſortitus eſt, ſæculari retento nomine die B. Ioannis Columbini ſacra An. 1567. Ilicetanam induens Stolam decorem eius plurimum adaxit, in qua optima de ſe excitata ſpe, poſt annum Ilicetanæ Societati nomen dedit. Huius Viri eximias virtutes ac merita longum eſſet recenſere. Sat itaq; eum dixiſſe animarum aucupem, ſeu venatorem; Oratoria enim Diui Bernardi Senis inter Martinianas ædes, Crucifixi Florentiæ intra Stephaniadas, et Diui Sebaſtiani Pratti intra Anniadas, non tam lapidibus, quam operibus excitauit. Obiit Romæ An. 1595. in Monaſterio S. Mathæi in Merulana ſepelitur.*

Pro Andromaco pergat Lector ad noſtram Syluam Ilicetanam Senis impreſſam An. 1633. Flore 8. & ad Herreram p. p. pag. 18. & ſi erret circa Patriam huius Viri cum eũ faciat Comenſem, re vera Sen. eſt, & ex Nobiliſs. Proſapia Pannochieſca ex Comitibꝰ Ilcii.

Apud nos aliquæ extant Epiſtolæ huius Serui Dei, quæ vndiq; redolent ſanctitatem.

Multa audiuimus mira per Andromacũ patrata, multaq; ſpiritu Prophetico enũciaſſe,

De IO: BAPTISTA BVRGHESIO Sen.

DE hoc integerrimo Viro in Serie Profeſſorum Iliceti pag. 29. ita loquitur. *Fr. Io: Baptiſta in Sæculo dictus, et in Religione tali nomine nuncupatus, filius D. Herculis Sen. Burgheſij die 21. Decemb. 1543. poſt longam probationem quam gratiſſimè receptus fuit ad habitum pro Clerico, et per eumdem V en. Priorem indutus eſt, qui etiam anno elapſo in manibus eiuſdem, conſenſu omnium fecit ſuam ſolemnem profeſſionem. An. 1597. obiit Senis die 21. Decemb. priſcia obſeruantiæ cultor eximius.*

De eodem etiam fit mentio in lib. Veteri profeſſorum pag. 56. ſub his verbis. *Die 21. Decemb 1543. poſt longam probationem fuit quam gratiſſimè receptus ad habitum, imò indutus fuit habitu noſtro Dominica prima de Aduentu poſt Matutinas Ioannes Baptiſta filius Herculis Burgheſii Sen. à V en. ſupradicto Priore pro Clerico, et ſæculi nomen ſibi conceſſum fuit.* Ab Athanaſio Marcuccio in ſuo Memoriali pag. 56. cap. 3.

Hic poſtquã in ſtatu perfectiſſimo Monaſticæ Vitæ benè firmatus fuit, ad Commorandũ Senis vocatur, vt ab eo ea Martiniana Domus, quæ in incunabulis erat aleretur foueretur; ſicut de facto contigit; nam eius particulari induſtria diruta veteri Eccleſia, hanc nouam & elegantiſſimam, pro vt conſpicitur, conſtruere curauit; & magnificentiſſimè etiã maiorem partem Cœnobij. Pluries, & prudentiſſimè præfuit Monaſterio, & Eccleſiæ vt Prior, plurieſq; in eodem munere confirmatus fuit. De hoc Io: Baptiſta Burgheſio pium & curioſum Lectorem ad ea remittimus, quæ ſupra diximus in Chronologia ab anno 1558. vſque ad diem ſui obitus, vbi perpendenda ſunt, præſertim, ea quę de eodem ponuntur verba Reuerendiſſimi Prioris Generalis Thadæi Peruſini pag. 68. Qualis ſit Burgheſia Proſapia in Ciuitate Sen. ſuperfluum eſt dicere, cũ notum ſit toti orbi eius Nobilitas eiuſq; Excellentia ob fælicem memoriam Summi Pontificis Pauli V. & Eminentiſs. Cardinalis Petri Mariæ.

De ASCENTIO BALESTRIERO Sen.

ASCentij geſta recenſentur in Serie Alumnorum ſeu Fliorum Monaſterij Ilicetani pag. 28. vbi hæc ſunt exarata verba. *F. Aſcentius Barnabæ Sen. et in ſæculo Antonius Maria dicebatur Anno Dom. 1538. die verò 18. Septemb. relicto prius noſtro habitu quem ſuſceperat, et Eremitico quodam habitu, tamquam liber per menſes quoſdam, ſpiritu bono tamen hinc inde diſcurrens, reuerſus eſt ad priſtinum noſtrum habitum, quem illi poſuit Reu. P. F. Paraclitus Dati tunc Prior, et cum bona gratia omniũ, in manibus eiuſdem elapſo anno fecit ſuam profeſſionem, et anno 1599 die 4. Octob. quæ eſt dies S. Franciſci genuflexus, et ſupplices ad Deum preces fundendo vitam cum morte commutauit. Obiit Iliceti in poſtremo cubiculo ad dexteram feneſtræ viam Senenſem reſpicientis: quod cum prius non nihil ingrati afferret odoris, eo defuncto ad plurimos annos in ſuauiſſimum roſarum ſpiritum commutatus.*

Poterit etiam pius, & curioſus Lector inſpicere & legere ea, quę diximus de Aſcentio in ſupradicta noſtra ſacra Sylua Ilicetana flore 9. addentes eius cadauer clauſum, eſſe iuſſu Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Camilli Burgheſij Sen. Archiepiſcopi in Arca Cipreſſina, & cuſtoditur in Sacrario Cœnobij & Eccleſię Iliceti.

Peritiſſimus erat Aſcentius in Muſica, onuſque Magiſterij Cappellæ pluribus in Ciuitatibus, & præcipuè in Metropolitana Sen. retinuit, multas in lucem dedit compoſitiones, & præſertim ſupra 12. Articulos fidei, vt vulgò dicitur. *Credo grãde con il contrapunto.* Ac etiam illas quatuor Antiphonas B. M. V. quæ recitantur poſt Completorium ad breuiores reduxit notas.

Authores vitæ B. Io: Chiſij de Aſcentio ſic pag. 46. locuti ſunt. *B. Aſcentius Sen. Vir innocentiæ admirabilis, orans animam Deo reddidit.* Herrera Alph. p. p. pag. 26. de eodem ſic ait. *B. F. Aſcentius Barnabæ Baleſtrieri de Senis olim dictus Antonius.*

De

De SAVINO SAVINIO Senen.

IN Cathalogo Profeſſorum Iliceti pag. 30. infraſcriptâ habentur verba. *Fr. Sauinus Sauinius Nobilis senenſis inter Ilicetanos aſcitus eſt 17. Calendas Maii 1557. et ſequenti anno ſuam emiſſit profeſſionem.* Erat perfectæ ætatis Sauinus quãdo habitum recepit, ſcientiſque ſatis imbutus, & sacrę Theologiæ Lector pronunciatus. Præfuit Monaſterio s. Auguſtini de s. Geminiano, Diffinitorq; fuit noſtræ Congregationis, & perſæpè Thirocini Ilicetani Magiſter, ſub cuius ſuauiſſima directione nos aliquandiù permanſimus, cuius vitæ integritatis, columbinæq; ſimplicitatis nos teſtes ſumus, dum inter Nouitios cooptati in eodem Thirocinio permanſimus.

Sauino proprium erat orare, diù noctuque meditari; cui conuenit Adagium illud. *vi ha fatto il callo.* Nam eius genua propter aſſiduam precandi conſuetudinem adeò concalluerunt, vt mortiferum in abſceſsum computauerint alter Iacobus Chriſti Domini noſtri Frater & Apoſtolus.

De Sauino in regeſtis Ioannis Baptiſtæ de Aſte Ordinis Prioris Generalis ſub pridiè nonas Octobris Anno 1608. hæc ſunt adnotata verba. *Mirificè locus ille ſanctiſſimus*, loquitur de Iliceto, *omnes delectauit, et antiquorum, atque præſentium Patrum religioſam vitam laudabant, præſertimque nobiliſſimi cuiuſdam Patris Fratris Sabini de Sabinis Senenſis miram ſimplicitatem, probitatem, et pietatem commendabant.* Sauinus cum eſſet in extremis, tanquam è ſomno ſurgens circumſtantibus ait, *Gaudeamus, gaudeamus Fratres cariſſimi, en Pater aduenit*, & ſtatim inopinanter, & de improuiſo comparuit Religioſiſſimus ille Dei ſeruus Ioannes à s. Guilelmo, à quo Sauinus amplexatus dixit, *Erimus in Paradiſo æterna Beatitudine fruituri*; Petijt deinde Sacramentum extremæ vntionis, & maxima tollerantia, & hilaritate ſpiritum Deo reddidit die 6. Apr. Fer. 3. hora 10. An. 1617. Herrera pag. 386. Torellus pag. 675

De BARTHOLOMAEO dicto BRANDANO.

SVb educatione aliquorum ex ſupradictis Patribus vitam religioſam duxerunt nonnulli alij serui Dei, præcipuè ſub Io: Baptiſta Burgheſio vitam Eremiticam profeſſus eſt Bartholomæus Caroſius vulgo Brandanus, de quo in eadem noſtra Sylua flore 7. tractatur; de eo etiam agunt Herrera Alph. pag. 108. Torellus pag. 496. Marcus Antonius Vianus, & Paulus Vadouita in Theatro sanctorũ, & Beat. Auguſtinianorum, Fulgentius Gemma in vita Catharinæ Mediceæ Duciſſæ Mantuæ.

Eius auſteriſſima vita, & mira geſta ſcripta fuere à R.P.F. Io: Baptiſtâ Fonteblanda dictata ab ipſomet Barthol. cuius exemplaria m. s. conſeruantur in noſtra Bibliotheca Cœnobij s. Martini Sen. ſicuti etiam in Arca Archiuij d. Cœnobij aſſeruatur Veſtis linea qua induebatur, & Clanium hominis quod ſemper ſecũ ferebat præſertim dũ concionabat; de qua veſte nos ipſi prodigia in mulierẽ obſeſſam à Demone vidimus, & vſq; in hodiernũ diem ſuauiſſimũ emittit odorem. Obijt Senis die 23. Maij An. 1554. ſpiritu Propheſiæ clarus; ſepultuſq; fuit in Eccleſia s. Martini hoc cum Epitaphio.

Bartholomæo Brandano in repræſentatione Paſſionis D. N. I. C. Latronem à dextris agenti, ſingulari spiritus sancti gratia illuſtria, per triginta annos, celeberrima, ac sanctiſſima totius Europæ loca, cum incredibili ſuorum delictorũ contritione peregrinanti, ſuumq; corpus ieiunio, verberibuſq; grauiſſimè affligenti, et paſſim Populos et Nationes à peſtilentia, fame, et bellorũ incendiis àffectos ad pœnitentiam reuocanti, et admirabili caritate pro pauperibus et egenis aſſiduè eleemoſynas quærenti. Dius Martini Religioſi, ac Pii Sacerdotes poſuerunt. Quod Epitaphium periit quãdo dicta Eccleſia s. Martini diruta, & denuo reædificata fuit. Erat Bartholomæus quando Deo ſe dicauit, & mundo Aue dixit Mediarius Dominorum Landucciorum in loco dicto *Palazzo di Manacia* in Comune Montis Fullonici Sen. Dominij

PERORATIO

PERORATIO.

PAtientiſſimus Iob optimè quidem poſteros erudiuit, quando in capite 8. ſuarum Lamentationum eos docuit per oculos habere quidquid prædeceſſores in hac mortali vita pro Dei egerunt amore. *Interroga enim generationem priſtinam, et diligenter inueſtiga Patrum memoriam.* Et profectò indignum valde eſt à memoria hominum excidere, qui iuſtitiæ præclaris operibus ac geſtis dignè memorabilibus virtutum exẽplaria poſteris protulerunt: Exempla .n. iuſtorũ ſunt habenda ante oculos, ſic cecinit Pſalmiſta Pſalmo 11. *In memoria æterna erit iuſtus.* Sanè enim nobis loquitur Pſalmiſta cum inter omnes Religioſorum Prouincias, & Congregationes Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini olim, & hodie fuerit, & ſit in agro Sanctæ Eccleſiæ, virtutum ſeminibus ac ſanctitatis exuberantibus fructibus in ſuis Fratribus copioſè per Dei gratiam fœcundata noſtra Ilicetana Congregatio: Ne igitur exempla dictæ noſtræ Congregationis à Patribus ac Fratribus in obliuionis nubilum deducantur, ſed potius in æternã memoriã recondantur, ſtuduimus Fratrum ac Patrum ſingulorum geſtorum, nobiliorum meritorum eiuſdem Congregationis, geſtaque pro quanto ad noſtram peruenit notitiam in vnum colligere, & circa hoc originem progreſſumque eiuſdem Congregationis, ſimul & omnes eius obſeruantias, pro vt nobis Deus dedit referre. Interrogate enim dicam vobis cum patientiſſimo Iob, generationem priſtinam, legite ſcilicet, perſpicite, & optimè conſiderate religioſitatem, obedientiam, paupertatem, caſtitatem, modeſtiam, patientiam, amorem erga Deum, virtuteſque omnes noſtrorum prædeceſſorum, qui in hac noſtra ſacra Ilicetana Congregatione dum hac mortali carne induti erant, virtute prædiți fuerunt; & diligenter inueſtigate, dicam vobis cum eodem Iob, Patrum memoriam, quæ egerint ſcilicet, quæ fecerint, quæque tandem vt Deo placerent, Religioni, Congregationique noſtræ Ilicetanæ inſeruirent. Supradictos omnes alij multi comitantur, qui humili ſimplicitate, vt maximi eſſent in Cælo, prudẽtiſſimi fuere, ab humanis curis omnino auulſi orationibus, corporiſq; afflictionib' dediti; nec nõ maximæ ſanctitatis ſpecimen Religioni Auguſtinianæ, Congregationi Ilicetanæ, Ciuitati noſtræ Senarum, ac tandẽ ferè toti orbi dedere, mirum in modum ſalutem non ſolum animarum ſuarum, ſed aliorum quærentes. Alij fuerunt, de quibus in hac Chronologia nulla facta eſt mentio, eo quia aqud viuentes non remanſerit eorum memoria. Pauca igitur vtcunq; mihi cognita conſcripſi, & quidem ſi non omnia miraculoſa & prodigioſa videantur, non ſunt paruipendenda, non enim ſolum noſtra in hoc opere deſudauit intentio, vt referamus miracula & prodigia; ſed potius vt ex geſtis prẽteritorum ædificationem pareamus futurorũ. Faxit Deus interim, vt poſtquam cum emulatione delectati fuerimus tanto honore nobis à maioribus noſtris collato, eorum veſtigia ſequamur, vt verificetur quidquid dixit Hieronymus ſanctus in lib. qui de Vit s Patrũ inſcribitur. *Opus aggrediens non tam ex ſtylo laudare querens, quam ex narratione rerum profuturarum legentibus ſperans, dum geſtorum vnuſquiſq; inflammatur exemplis.* Et non obliuiſcamur geſta, factaq; ſapientum Patrum, etſi in doctrinis & dignitatibus eos ſequi non poſſumus, ſint tamen exemplaria nobis quoad mores, religioſitatem, timorem, & amorem erga Deum optimum maximum. Sequamur igitur veſtigia eorum de quibus facta, & facienda eſt mentio, Deiparę Virginis, Parentum Auguſtini, & Monicæ, omniumq; cæleſtium Ciuium opere ſuffulti; vt in Cœlis, cum eis gaudiemur in Domino, patientiſſimo Iob obtemperantes *diligenter inueſtic. Patrum memoriam.*

ELOGIA

ELOGIA

VIRVM QVI DIGNITATE, ET DOCTRINA Ilicetanam Congregationem illuſtrarunt.

1 De AEGIDIO CARDINALI VITERB.

AEgidius Canitius Viterbienſis Theolog. Maximus, Apex trilinguis, oratorque Chriſtianus aſtrictioris obſeruantiæ cupidus Anno 1503. inter Ilicetanos abſcitus eſt, quorum mox clauũ ſui Ordinis tenens, inter triginta & vnum à Leone X. An. 1517. ad Cardinalatum euehitur, quã dignitatẽ Veneta, Neapolitana, & Hiſpanica Legatione, & ſapientiæ ſuæ monimentis decoranit die 12. Nouembris An. Dom. M.D.XXXIII.

ADNOTATIO.

CArd. AEgidius hunc ſibi vindicat locũ ratione dignitatis, nam ratione tẽpo, is debebat poni poſt ſecundũ Hieronymum Bonſig. vt infra pag. 141. de eo libentius conſcripta fuere illuſtria facinora quo humili Eremitarũ pãno Purpura præſtat, non enim Ilicetana miſſio adeò afferre poterat hominem, quã Romanum faſtigium, nam plures Cardinalem AEgidium quàm Eremitam AEgidium conſecipſere.

De eo Paulus Iouius in Elogijs virorum illuſtrium, Iacobus Sodoletus, Petrus Bembus, Arnoldus Ferronus Burdegallenſis, Ianus Vitalis Panormitanus inſignis Poeta, Philippus Bergomenſis in ſuppiemento Chronicarum, Ioſephus Veronenſis Epiſcopus Signinus pag. 111. Stephanus Vgurg. Orat. B. Io: Incontrij, Franciſcus Rappius Lima Spirituali par. 3. pag. 35. Pierius Valerianus dicando ei Codice de Ereomia qui eſt 17. Hieroglificorum ſuorum, B. Paraclitus in ſerie profeſſorũ Ilicetì pag. 19 Hieronymus Bonſig. in ſuo Comm. pag. 26. Athanaſius Comm. pag. 29. Theatrum ſanct. & Beat Auguſtinianorũ delineatum Romæ 1614. opera Marci Antonij Viani Bonon. & Pauli Vadouita Poloni, Herrera Reſponſione pacifica, & Alph. Auguſt. p. p. pag. 421. Alteſius in ſuis Elog. m.s. in noſtra Sylua Ilicet. pag. 124. & 144. Alphõſus Ciaconius, Frãciſcus Cabrera, Andreas Vittorellus tom. 2. geſtorũ Pontificum in quadam Epiſtola ad ipſum, Corimbertus lib. 3. cap. 5. ſupradicti omnes de noſtro AEgidio tractant.

Degebat Viterbi in Cœnobio Ss. Trinitatis An. 1503. 4. & 6. Præſule Seraphino Florent. tunc enim ſub iuriſditione Ilicetana erat Cœnobium illud, vt in Regeſtu Congr. ad dictos annos, ipſeq; erat Alumnus d. Cœnobij, vt apparet in Serie Profeſſorum Ilicetì pag. 19. his verbis. *F. AEgidius Viterbienſis ſacræ Theol. peritiſſimus profeſſor, et declamator ſingularis, vt nullus ei cõparandus eo dicendi genere videatur. Hoc an. 1500. cum Senis maxima acceptatione declamaret Congregationi noſtræ iunctus ſe ſe, et Conuentum Viterbienſem perpetuò dedit, quippe qui Ord. Vniuerſi D. Auguſt. Vicarius, atq; ſub inde Prior Gen. effectus Cong. noſtrã præcipuo affectu proſecutus.*

Omnes dignitates obtinuit AEgidius in Religione & Eccl. S. Dei, Regens, Concionator, Vicarius Apoſtol. Prior Gener. Confeſſor, & Orator Pontificius, Legatus Sum. Pont. Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarca, Cardinalis, & tandem Ciuis Cœleſtis.

De

2 De AVGVSTINO GEMINIAN. EPISC.

AVguſtinus in S. Geminiani Oppido natus ſpretis mundi pompis inter Eremitanos ſe ſe addicauit; Vir doctiſſimus, Eccleſiaſtes, & ad omnia admirabilis, Exemplar & decus ſuæ Religionis, & Patriæ. AEgidij Albernotij Card. Suffraganeus fuit; deinde Epiſcopus Narnienſis; plurimũ pro Eccleſia Sancta Dei defaticauit; tandem plenus meritis requieuit in Domino Anno fere M. CCC. LXX.

ADNOTATIO.

ETiam hic Sanctæ Eccleſiæ Narnienſis Antiſtes hanc ſibi vindicat locum, debebat enim ratione temporis reponi poſt Generalem Cardonem; ſed ratione dignitatis hic ponendum curauimus; de eo igitur, & præcipuè de loco vbi natus ſit, & de eius Proſapia diuerſimodè conſcribunt ſcriptores. Non nulli enim vti Pater Herrera tribuunt ei Cognomen Finacci ortus in villa in agro Geminianenſi quæ vulgo dicitur *Alto paſcio*. Alij verò aſſerunt à Monte S. Sabin originem habuiſſe, ſed re vera ex nobili Tinacciorum Familia inter primarias, nobiliores, & antiquiores ſupradicti Oppidi S. Geminiani in ditione Florentina poſiti natus eſt.

Oppidum hoc antiquitùs Syluia appellabatur, à Syluio Romano Conſule nomen ſumens, poſtea verò Sangeminianum dictum eſt, eò quia ſub protectione ſancti Epiſcopi Geminiani ex miro euentu, vt accuratè notat admodum Reuer. P. Mag. Theodorus Ferronius iam Vicarius Generalis Congregationis, Prædicator eximius, & Cœnobij Auguſtiniani dicti Oppidi Alumnus in vita B. Finæ de dicto loco cap. 1. pag. 35. eius habitatores ſe ſe dedicarunt.

Et fortaſſe de Altopaſcio appellatur Auguſtinus noſter, eo quia Proſapia hæc ſeù Familia Tinaccia in dicta Villa Altipaſci antiquitùs dominabatur, ideòq; ſic dictus.

Piſſimus hic Auguſtinus Tinaccius à Peruſino Legato ſummi Pontificis Florentiâ miſſus publicis concionibus, & orationibus ad Senatum habitis, eam Ciuitatem ne dum ſummo Pontifici reconciliauit; verum etiam multa ab ea auxilia impetrauit quibus ipſe Tinaccius Landum Ceſenæ Comitem expulit, eandemq; Vrbem Apoſtolicæ Sedi pacatam reſtituit An. 1353. ſic Scipio Bonin ſig. & Math. Villanus in eorum Hiſtor. Summi Pontific. iuſſu in ſuprad. Ciuitate Florentina iam per ipſum S. Sede conciliata, Cruciatam contra infideles, miro pietatis ardore euulgauit. Herrera p. p. pag. 38.

Vidimus nos, & per ſæpè præ manibus habuimus & legimus membranaceum quoddam Chirographum in quo apparet hunc noſtrum Auguſtinum Epiſcopum conſecraſſe Eccleſiam apud quam erat Monaſterium S. Auguſtini in loco quo dicitur di Racciano, quod diruturn ob iniura temporum, intra Mœnia predicti Oppidi S. Geminiani poſtea reædificatum ſub inuocatione eiuſdem S. P. Auguſtini.

Inter Ilicetanæ Congregationis Alumnos in præſentiarum cooptamus hunc Antiſtitem Auguſtinum, non quia cum eſſet in humanis verè fuiſſet de Ilicetana Congregatione, erat enim tunc temporis Cœnobium illud S. Auguſtini de S. Geminiano ſub iuriſdictione Prouinciæ Senarum; ſed quia Alumnus erat dicti Monaſterij, quod nunc ſubeſt obedientiæ Vicarij Generalis dictæ noſtræ Ilicetanæ Congregationis. Non dedigneutur igitur quæſo Patres Senarum Prouinciæ, ſi tam celebrem antiſtitem inter noſtros illuſtres Ilicetanos Viros in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos reponemus.

Parcant ergo, & Deo nobiſcum gratias agant qui decorauit noſtram Relig. tali Præſule.

De

De IOANNE BVCCIO EPISCOPO.

IOannes Buccius Senenſis recepto habitu Eremitico inter Ilicetanos Filios numeratur, hoc eo depoſcente ſolitudinis deſiderio fragrante; at cum Ilicetum peteret Pontifex non minus nomine, quam re Pius huius nominis 2. cognita Io: integritate inter ſuos intimos familiares habere voluit; & de eius dexteritate tam proprijs oculis conſcius, primū ad Inſulam Tiſernatem, deinde ad Maſſanam in Maritimis Sen. tranſmittit. Ob. An. M.XD.III.

ADNOTATIO.

LOcum huius Antiſtitis in præſenti Chronologia hunc certè ratione temporis non erat, ſed benè immediatè poſt Epiſcopum Auguſtinum, & Generalem Guidonem ratione enim dignitatis præponitur ipſi Guidoni: inter Ilicetanos aſcribitur Die 11. Aprilis 1451. vt in Serie Alumnorum Monaſterij Ilicetì apparet. De hoc igitur S. Romanæ Eccleſiæ Præſule, variè ſunt ſcriptorum ſententiæ; alij de Ciuitate Caſtelli eū fuiſſe aſſerunt, hac, vti putamus ducti ratione, quia Nepos erat ex Sorore Rodulphi eiuſdem Ciuitatis Epiſcopi, cui Ioannes in Epiſcopatu ſucceſſit; alij Senenſem vocant, ſed inter ſe diſcrepāt de Cognomine, Doctiſſimus, accuratiſſimuſq; Author Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellus Abbas Ciſtercienſis vocat eum de Ianderonis Senenſem, quem ſequitur Iſidorus Vgurgerius Pompe Saneſi, titulo 7. pag. 173. hoc certum eſt ex quacumq; ſit Familia Virum Senenſem eſſe & Nobilem.

Pauli II. & Sixti IV. ſummorum Pontificum extitit Referendarius; in Commentarijs Pij II. diffusè de Ioanne noſtro loquitur. Reſpublica Senarum multis & diuerſis Principibus Epiſtolas ſcripſit commendando eis Ioannem noſtrum. Fuit etiam Confeſſor, Sacriſta, & Bibliothecarius ſummorum Pontificum Pij II. Pauli II. & Sixti IV. Dilectus erat, non tantum ſuis Conciuibus, ſuiſq; populis ſibi commiſſis, ſed etiam multis Principibus; ita tamen ſi mors inimica ſuum non clauſiſſet diem ad Purpurā Gardinalitiam peruenisſet, hoc enim optatum erat à multis ſacri Collegij.

Dum præfuit vti Epiſcopus in Ciuitate Caſtelli multum profuit Religioni, vt aſſerit Ioſeph Pamphilus in Chronica Ord. Eremitarum S. Auguſtini pag. 85. his verbis. *Monaſterium Ciuitatis Caſtellanæ Dormitoris, Cubiculis Peryſtillis, Officinis, aliiſq; fabricis cura, et impenſis Ioannis Senenſis Panitentiarii, Sacriſtæ, et Bibliothecarii ſummorum Pontificum.* Vnde Reuerendiſſimus Pater Prior Generalis illorum temporum, gratitudinis ergo elargiebatur ei quidquid poſtulabat, ſic refert Pater Herrera Alph. Auguſt. pag. 435. his verbis. *Die 13. Maii 1462. concedit Reuerendiſſimo Dom. Dom. Ioanne Epiſcopo de Caſtello quod poſſit ſecum tenere duos Fratres noſtri Ordinis, et collocare in Conuentu ſuæ Natiuitatis vnum Fratrem, et hoc faciamus propter affectionem, quam ad Religionem gerit.*

In ſupradictis Commentarijs Pij II. pag. 646. loquendo de ipſo ſummo Pontifice quādo exijt Roma Anconam profecturus ad bellum contra Turcas parandum de Ioanne noſtro ſic diſcurritur. *Delegit ſibi huiuſce nauigationis comites Dominicum de Dominicis Torcellanæ, et Agapytum Camertinæ, et Ioannem Tiſernatis Eccleſiæ Præſules, quorum Dominicus, et Agapytus de ſupplicationibus referre ſolsti erant: Ioannes Sacrarii Apoſtolici curam gerebat etc. Ancona decedens è vita Pius inter Aſſiſtentes ad eius obitum Ioannes Epiſcopus noſter vnus ex illis fuit, ſic ipſe ſummus Pontifex mandauit, vt in eiſdem legitur Commentarijs pag. 656.*

4 De GVIDONE STAGIENSE GENER.

GVidonis Stagienſis quanta fuerit ſcientia, quanta bonitas, quantaque Religioſitas ex eo argumentari poteſt, quod poſt Lanfrancũ Mediolanenſem primum poſt Vnionem Priorem Generalem, in eius locum ſucceſſit, Ordinemque noſtrum Auguſtinianum Eremitanum prudenter, & ſanctè rexit, & gubernauit vſque ad mortem, quæ contigit Anno quinto ſui Magiſtratus, redempti verò mundi An. M. CC. LXX.

ADNOTATIO.

STagio Patria Guidonis inter Ciuitates Senarum, & Florentiæ eſt Oppidum, ex Gratijna Familia multi aſſerunt eſſe Guidonem, ſed nos hoc vnquam reperire potuimus, circa miliarium à Stagio percelebre & antiquũ eſt Monaſterium & Eccleſia Deo Optimo, & D. Abbati Antonio dicatum; huius Cœnobij Alumnum fuiſſe Guidonem ſuſpicari non licet, ideò enim Antonianus appellatur.

Propè Monaſterium tres ſunt Lacuſculi, quorum in vno, qui vulgò vocatur, *Lago oſcuro*, illud mirabile factum Ambroſio Mediolanenſi Archiepicopo sancto dum ad Limina Romam peteret accidit, quod ſcilicet, cum adueſperaſceret in Diuerſorio cum ſuis ſe ſe retulit, & cum à Caupone audiſſet numquam ſe paſſum malum, ſed omnia proſpera ei euenisſent, recedamus Fratres Cariſſimi, recedamus à loco iſto inquit, Deus enim hic non habitat; & diſceſſi ſtatim Caupona illa à Terra deglutita fuit, & ſupradictus Lacuſculus circumnatus fuit, ideoque ab ipſo sancto Archiepiſcopo Lacus Ambroſianus dicitur.

Guido igitur natus in ſupradicta Patria, & Alumnus dicti Cœnobij, nuncupatus eſt Guido Stagienſis Antonianus ad Lacus Ambroſianos, tãta .n. fuit eius bonitas, eius ſapientia, eiuſq; Religio, vt defuncto Lanfranco Mediolanenſe primo Ordinis Eremitarum Priore Generali, indicta Synodo Auguſtiniana Romę in Cœnobio S. Mariæ de Populo ipſe Guido electus fuit in Priorem Generalem, rexitq; Ordinem Annis quatuor, & mortuus eſt Pontificia Sede vacante ob mortẽ Vrbani IV. sanctè & prudenter adminiſtrauit Ordinem Guido, & non ſine magnæ ſanctitatis odore ex humanis exceſſit Bononiæ, & in eleuato Sarcophago ſepultus; Herrera hunc non vidiſſe aſſerit, idem nos confitemur non vidiſſe cum Bononiæ fuiſſemus.

Supradictum Cœnobium, etſi Prouinciæ Senarum per aliquod tempus aſcriptum fuit, numquam verò in pacifica poſſeſſione, cum à diuerſis Religioſis, etiam ſæcularibus occupatum fuiſſet, Ilicerani autem, auxilio Ambroſij Corani Generalis Ordin. capta poſſeſſione, & ſi in principio turbati fuerint, tamen dexteritate, & diligenti ſolertia illud pro Religione, & Congregatione conſeruarunt; id circo non immerito nõnulli, vt refert doctiſſimus Herrera, Guidonem Ilicetanorum Alumnum vocant.

De ipſo Henrigus de Hurimaria ait. *ſecundus fuit Guido*, loquitur de Prioribus Generalibus Ordinis, *vir vtiq; ſtrenuus et diſcretus etc.* & in Conſtitutionibus Ordinis noſtri Romæ Anno 1551. impreſſis in folio, quæ extant in noſtra Bibliotheca s. Martini Sen. in ſcamno ſub litera K. gradu 6. num. 17. in fine vbi ſunt Commentaria Ord. de Guidone ſic loquitur. 1265. *Fr. Guidus de Stagio prouinciæ Senenſis, poſt mortẽ Fr. Lanfranci ſecundus rexit Ordinem annis quatuor*. Omnes etiam ſcriptores Religionis, & Congregationis de eodem tractant, & in omnibus Arboribus tam totius Religionis, quam Ilicetanæ Congreg. reperitur eius Venerabilis Imago.

5 De MARIANO à GENAZZANO Gen.

MArianus Eremita Auguſtinianus, Sacræ Theologiæ Profeſſor eximius, Prædicator Apoſtolicus, toti Orbi, veluti ſol perfulgens; præcipuas Italiæ Cathedras gloriosè calcauit, nobiliora ſuæ Religionis Cœnobia prouidè gubernauit, ad ſupremum Magiſtratum ſui Ordinis acclamatus aſcendit, & ad maiora aſcenderet, niſi mors inimica illi inuidiſſet, corpore parvus, meritis maximus moritur Anno Dom. M. CCCC. IIC.

ADNOTATIO.

EX Parentibus humilibus humili in loco naſcitur Marianus, defuncto eius Patre, ab Auunculo Auguſtiniano commendatur, ſed ad Matrem reuertitur eo abeunte. Nutrix Cardinalis Reatini Mariani Auia, nepotem ſuum ei commendauit, qui cognita Mariani optima indole alendum ſuſcipit, Magiſtroq; Fr. Auguſtino Tiburtino Auguſtiniano inſtruendum tradidit.

Ita profecit Marianus doctrinis, & virtutibus, vt abſq; difficultate 16. an. ſuæ ætatis mereretur ad habitum Eremitanum admitti, & emiſſa poſt annum probationis profeſſione, Perusiæ, ac Paduæ ſtuduit, & Lauream doctoralem publico apparatu digniſſimè recepit.

Neapoli, Florentiæ, Bononiæ, Mantuæ, Ferrariæ, Mediolaniq; Verbum Dei ita feruidè prædicabat, vt multi nobiles ad clauſtralem Eremiticum ſtatum induceret, obſtupeſcente Italia, quæ tantæ eloquentiæ fulgorem ſubſtinere non valens, confines ſuos egreſſus barbaras nationes ad verum cultum inducit, Hæreticos confundit, Iudæos ad Chriſtianam fidem vocat, zelo domus Dei ardens, martyrium optans bis Ieroſolimam acceſſit, & reuerſus inter Ilicetanos Alumnos haberi voluit, & Cœnobij Ilicetì filius adſcriptus fuit anno 1482. & ſequenti ad Vicariatum Generalem aſſumptus eſt, ſimiliter & anno 1487.

Laurentio Medicco tam charus fuit Marianus, vt in eius gratiam Cœnobium ædificauit iuxta mœnia Ciuitatis Florentiæ ad Portam Sancti Galli, Ipſumq; Religioni noſtræ Auguſtinianę, & Congregationi Ilicetanæ donauit.

Anſelmus à Montefalcone Ordinis noſtri Prior Generalis ſenex & infirmitate confectus, Marianum noſtrum ſuum curauit eſſe ſucceſſorem, primum vti Vicarium Generalem Apoſtolicum, deinde in Capitulo Generali Romæ habito ſub Alexandro VI. anno quinto electus fuit in Priorem Generalem.

Multis Legationibus functis, plenus meritis, chariſſimus omnibus Romæ deceſſit è vita, eius Cadauer ad Ilicetum transfertur, & in marmoreo Sepulcro iuxta Aram Maiorē à cornu Euangelj clauditur, vt dictum eſt in Elogio pro Anſelmo.

Quam plurimi ſcriptores antiqui de Mariano loquuntur, Erculanus Perusinus, Anſelmus à Montefalcone, Bergomenſis, & Angelus Politianus ſacro Hymno inter duorum numerum veneratur. Sunt etiam & alij ſcriptores recentiores qui de Mariano locuti ſunt, ſcilicet Magiſter Thomas Herrera Alph. Auguſtin. p. 2. pag. 79. & alij noſtri Doctores: ſed ſi tu curioſus Lector aliquid aliud de Mariano ſcire deſideras, retrahere ad ea quæ diximus ſupra in breui Chronologia pro Monaſterio & Congregatione Ilicetì ad annos ſupra poſitos, vide & conſidera qualis, quæ, & quanta fuerit Reuerendiſſimi, & Religioſiſſimi Mariani noſtri integritas in honoribus & oneribus humeris ſuis diuerſis temporibus ſuperpoſitis.

6 De AVGVSTINO FACIONIO Gen.

A Deò bonis literis incubuit Auguſtinus, vt nobiliora Gymnaſia Eremitana Italiæ vti Regens regeret; at in Cilicio piumociũ quærens, tempore Comitiũ Gener. Ilicetũ accarſitus, enixé petijt inter Ilicetanos numerari; at Deus tantã Margaritam in Sylua latère nolait, ſed ad gubernium totius Ordinis Eremitani, primum vt Vicarius Apoſtolicus, deinde vt Prior Generalis aſſumptus eſt, in quo munere obijt An. M. D. VI.

ADNOTATIO.

INteramnæ in Vmbria ex nobili familia Facionia Auguſtinus ortus eſt; Vir quidem doctiſſimus ac prudentiſſimus & in optima œconomia eſperientiſſimus, præcipua enim noſtræ Religionis Gymnaſia ac Academia ſumma cum laude & diſcipulorum fructu illuſtrauit; ſed ad ſuos rediens ſummo cum applauſu ad Prouincialatum Vmbrianum acclamatus eſt: quo peracto onere ob grauiſſimis Religionis negocijs Hiſpaniam mittitur, inde reuerſus, Ilicetanorum fama illectus Ilicetum accerſiuit, humiliter Patribus, ad eligendum Vicarium Generalem congregatis, petens vt inter ipſos, eorum benignitate numeraretur, eius precibus aſſentientibus ipſis, vt patet in Reg. Congregationis illius temporis ſcilicet anni 1503. *Item receperunt et incorporauerunt Reu. P. Mag. Auguſtinum de Interamnia, et F. Nicolaum de Frãcia, et fecerunt Filios Conuentus Ilicetj, dantes eis vocem in Capitulo in omnibus, et per omnia ſicut Filii et Fratres noſtræ Congregationis.* ad quæ integerrimus P. Marcellinus Alteſius addidit, *Vterq; iſtorum hanc reddidit glorioſam receptionem, Auguſtinus fuit Generalis Ord. vterq; autem ſanctitate pleni.* Hoc fundamento, vt reſpondeatur Torello, inter Ilicetanos connumeramus Auguſtinum Facionium, qui cupiens in opacitate noſtræ Syluæ mundo latère, vt glorioſius appareret in conſpectu Domini; at ſicut in tenebris magis lux lucet, ita ſe ipſum Auguſtinus mundo celans, Deo & hominibus eo magis patuit, quia paulò poſt adnumerationem ſuam inter Ilicetanos, Indulto & mandato ſum. Pontificis Iulij II. an. 1504. vti Viſitator Apoſtolicus per Religionem Auguſtinianam mittitur.

Deceſſit è vita Gratianus Fulgineus, & à ſuprad. Iulio II. Vicarius Generalis Apoſtolicus Auguſtinus noſter dictus fuit, & ſequenti Anno ad Prioratum Generalem Peruſij aſſumptus; ſed quando Auguſtiniana Religio ſub eius regimine ſperabat magis magiſq; incrementum ſumere, pro dolor, è viuis tollitur, cum tanto per menſes Religionẽ rexiſſet; ſed etſi orbata fuit Religio ſui tam optimi Superioris, conſolatur tamen, eo quia ad Cœlos animam eius euolaſſe non dubitauerit, cum magnum dediſſet mortalibus ſanctitatis odorem, ſic aſſarunt Herrera Alph. p. p. pag. 18. & Torellus in ſuis Centurijs pag. 422. apud quos titulo Beatitudinis condecoratur Auguſtinus noſter.

Lachrymabatur Ilicetana noſtra Congregatio ob tanti ſui Filij & Patris amiſſione, ſed per Patres Electores Religionis Conſolata fuit, dum Neapoli congregata Synodo ad Apicem Generalatus AEgidium Viterbienſem alium ſuum perbenevolum Filium aſſumpſerunt; & ſic Ilicetana Congreg. ſuiq; Alumni ſucceſſiuè per multos annos totã Auguſtinianam Religionem rexerunt, Anſelmus à Monteſalcone ſcilicet ab an. 1491. vſq; ad an. 1497. cui ſucceſſit Marianus à Genazano, qui 4. annos Religione gubernauit, huic tantum per annum ſucceſſit Gratianus Fulginas in cuius loco primum Auguſtinus Interamnenſis, deinde AEgidius Viterbienſis ſubrogati fuere.

De

De Alio HIERONYMO BONSIGNORIO.

HOſtis humani generis, illecebriſq; mundi reiectis Hieronymus voluptatibus ad ſacram Eremum Ilicetanam, veſtigia Patrueli ſecutus, confugit, receptoq; habitu Eremitico, ſtrenuè pugnauit, vicitq; demonẽ, mundũ, & carnem, Religionis amplexatus virtutes, ſedulus indagator fuit Rituum Ilicetani Cœnobij; Monaſteriũ S. Martini Sen. ſuæ Congreg. vniri curauit, ob cuius curam Fundator proclamatur; deceſſit è vita An. M. D. XXIII.

ADNOTATIO.

Hieronymus qui in ſæculo Marianus de Bonſignoris vocitabatur Auguſti An. 1485. per manus Reuerendiſs. Mariani à Genazzano iam Vicarij Generalis Congregat. noſtræ Ilicetanæ, poſtea Prioris Generalis totius Ordinis habitum recepit Eremitanũ, Diuini cultus obſeruans præcipuus fuit, Congregationem Ilicetanam ſanctiſſimè gubernauit, pluries Cœnobia Ilicetanum, & Sangeminianenſem maximo eorum incremento rexit, eius induſtria ac diligentia Cœnobium S. Martini Sen. inter Monaſteria Congregationis præcipuum acquiritur, vnà cum Bernardo Monaldo, vt infrà in eius Elogio narrabitur. In cuius Templo S. Martini Nicolaus nepos noſtri Hieronymi ad perpetuam memoriam eius Patrui Aram Maiorem ſacratiſſimã erigi mandauit hac inſcriptione. *Nicolaus Marci de Bonſignoris, vt R. P. Hieronymi Patrui amãtiſſimi memoriã in Dei honorem reſtitueret, cuius præcipua induſtria Cœnobiũ hoc annis ab hinc 70. fuit Ilicetanæ Congregationi aſcriptum, Aram hanc ſacratiſſimam erigi mandauit, cuius pia iuſſa Fabius Bonſignorus Hæres exequi curauit an.* 1591.

Nos etiam, vt tanti Viri poſteris & Conciuibus noſtris æterna eſſet memoria, eam excitare curauimus verbis vt infra poſitis ſub eius Imaginem ſitam in Porticu ante Sacrarium noſtræ Eccleſiæ S. Martini, quam hoc anno ex pecunijs quas ſacra noſtra Religio & Congregatio ſua benignitate nobis noſtro vſu elargitur, aptare decreuimus, verba itaq; ſunt. *Religioſiſſimo, ac Sapientiſſimo Viro Magiſtro Hieronymo Bonſignorio ſecundo Senenſi huius præclari Cœnobii Anno* 1522. *Fundatori conſpicuo. Magiſter Fr. Ambroſius Landuccius Conuentus Alumnus grati animi ergo ponendum curauit* 1650.

Multum profuit Hieronymus noſter Cœnobio, & Congregatione Ilicetana, maximè dũ Commentaria ſua manu ſcripta de rebus Ilicetanis non tantum ob puritatem & ſimplicitatem illius temporis, ſed etiam ob doctrinam ſuam incomparabilem ſatis perſpicua redduntur, quæ Commentaria per ſæpè à nobis citata fuerunt.

Extat apud nos in noſtra Sylua p. p. pag. 2. vltima eius proteſtatio ab ipſo propria manu ſcripta in fine ſuæ vitæ, miræ integritatis eſt, & candoris animi, & profecto aptiſſima eſt vt à piorum Lectorum oculis lacrymas excitet.

Optimus ſcriptor Notarum & Magnarum literarum fuit Hieronymus, hoc patet in Hymnario Chori S. Auguſtini de S. Geminiano in cuius fine hæc ſunt verba. *Explicit Hymnarius ſecundũ Ord. Rom. ſcriptum, et notatũ per F. Hieronymum Sen. domo Bonſignora Ord. Erem. S. Aug. ad proprietatem huius Conuent. S. Aug. de S. Geminiano tempore quo eram ibi Prior licet indigne An. Dom.* 1511. *vigente in hoc Conuentu Regulari obſeruantia Ilicetì, et tu ſi dignus ſum hora prome.* Nil ſecundus Hieronymus à primo degenerauit, ſicut enim ſuo nomine in Religione appellari voluit, ſic etiã omnium ſuarũ virtutũ hæres fuit, & nobis ſit exemplũ imitandi veſtigia antenatorũ.

8 De BERNARDO MONALDO Sen.

BErnardus Monaldus, etsi prouecta ætate Religionem ingressus, omnium scientiarũ tamen amatorẽ & inuestigatorẽ fuit, & ex eo deducitur quod multa exarauit, quæ non tantum ad bonos mores, sed etiam ad inuestigandum ea, quæ iam iam per nostros antecessores in Congreg. patrata fuere, attinent; & præsertim non nulla dictauit de Viris Illustribus Iliceti, quod pluries gubernauit, & Congregationem à qua decessit An. M. D. XXXXVII.

ADNOTATIO.

NIcolaus Hieronymi de Monaldis Senensis Bernardus noster in sæculo vocitabatur, habitumq; recepit per manus B. Paracliti Bini à S. Angelo sub die 22. Aug. 1506. & elapso Anno probationis apud eumdem Binum suam emisit professionem, vt in Serie Professorum Iliceti pag. 16. & in lib. Veteri apparet vt infra. *Die 22. Augusti 1506. congregato Capitulo Fratrum nostri Conuentus S. Saluatoris de Iliceto de communi concordio, absente tamen Priore, Reuerendo P. Vicario Gener. Congregationis præsente, fuit receptus ad probationẽ, et habitu indutus pro Clerico Nicolaus quondã Hieronymi de Monaldis de Senis, et vocatus est F. Bernardus, quem induit Reu. P. Vicarius Congregationis Fr. Paraclitus. Anno vero elapso fecit professionem per manus eiusdem Patris Vicarii*, & propria manu ipsius Fr. Bernardi sunt notata in calce supradictæ attestationis infrascripta verba. *Dio sia laudato sempre, sò vivuo di 73. anni, e fin quì vissuto Frate 44. Dio mi dia gratia che mi salui.*

Reu. P. Fr. Batilij de Monaldis prænepos fuit Bernardus, qui Basilius maximum nostræ Congregationis splendorem attulit, maximè cum per Reuerendissimum Patrem Marianum à Genazzano ad regendum Iliceti Collegium fuerit assumptus, maxima dexteritate pluries Cœnobium, & Congregationem Ilicetanam rexit.

Multa egregiè scripsit Basilius, multaq; dictauit, & præcipuè quæstulum, etsi paruum mole, maximum tamen virtute: sub nomine Basilij Cottæ scripsit super septem Psalmos Pœnitentiales, hoc enim fecit humilitatis gratia; reperitur hic liber in nostra Martiniana Bibliotheca in Scamno sub litera B. Gradu IV. num. 12.

Secundus verò Monaldus scilicet Bernardus de quo in præsentiarũ habetur sermo, multoties & Cœnobium & Congregationem Ilicetanam rexit; multum simul cum secundo Hieronymo Bonsignorio defaticauit, vt Monasterium S. Martini Sen. Congregationi nostræ vniretur; quod successit vt patet per literas Apostolicas sub Adriano VI. de die 22. Februarij An. 1522. quæ literę conseruantur in Archiuio dicti Cœnobij sancti Martini Senarum.

Maxima cum diligentia in Archiuio Monasterij Ilicetani custoditur inter alios Libellus m.s. per ipsum Bernardũ, qui glorioſa gesta multorum Beatorum Cœnobij & Congregationis Iliceti continet; apparet equidem hoc in libello antiqua, necnon singularis scientia, & doctrina nostrorum prædecessorum, & ea maximè vsi sunt nostri Scriptores & Oratores Augustiniani, & Ilicetani.

Tandem Bernardus noster, postea quam plurimum defaticauit pro Religione, & Congregatione sua seruanda, & augenda, plenus meritis decessit è vita Anno 1547. ad perfruendum in Cœlis cum suo Propatruo Basilio Deum optimum maximum, & parentem Augustinum; faxit ei, qui videt omnia, vt nos eos sequamur in Cœlo, sicuti secuti sumus in mundo, in Religione scilicet Augustiniana Ilicetana.

9 De TIBERIO PICCOLOMINEO Sen.

Tiberius Piccolomineus proiectis illecebri Mundi pompis & deliciis inter Ilicetanos Eremitas cooptari voluit; fuit equidem vir incorruptis moribus, virtutibus omnibus præditus, humilitate excelsus, quæ duce nisi præcepto obedientiæ sacris Ordinibus initiari voluit; Ilicetanam Domum & in Spiritualibus & in Temporalibus adauxit, amplificauit, exornauitq; è viuis sublatus est die 28. Januarij M. D. LXXXII.

ADNOTATIO.

MArcellus Salomonis Piccolominei in sæculo vocabatur Fr. Tiberius noster, habitū Eremiticum Ilicetanum recepit per manus Reu. P. Fr. Siluestri Collensis Vicarij Generalis Congregat. vt in lib. Alumnorum Cœnobij Iliceti pag. 27. his verbis. *Fr. Tiberius Salomonis de Piccolominibus in sæculo vocatus Marcellus die 30. Ian. 1535 receptus fuit ad habitum et Religionem pro Clerico à Fratribus Conuictus per manus Reu. Vicarii Congreg. F. Siluestri Collensis presentibus Fratribus, et Prior, et Prior s. Martini cum suo suppriore; qui post annum elapsum et sex menses suam solemnem emisit professionem die 2. Februarii 1536. in manibus Prioris Fr. Gregorij; Vicario tunc existente Fratre Bernardo Senense.*

Piccolominea Prosapia quæ nam sit superfluum est discurrere, iam per omnes mundi partes Fama volat, inter alios Nobilissimos ac pænè innumerabiles insignes suos partus Tiberius noster vnus fuit, qui vix sacro Eremitico habita Augustiniano indutus erat, quod perfectissimus apparuit; de eo accuratissimus doctissimusq; Mag. Thomas Herrera Alph. August. p. 2. pag. 460. his verbis loquitur. *Tiberius Piccolomineus Sen. Cœnobii Ilicetani Alumnus die 30. Iunii Anno 1535. habitum Augustinianum induit, Vir optimis moribus præditus, dignitatum contemptor, humilitate excelsus, ea qua in sacrum Sacerdotii ministerium reuerentia, vt non nisi suaui obedientiæ vinculo adstrictus voluerit initiari; ædificia materialia, et spiritualia sacræ illius Domus auxit, et amplificauit; correspondent dicta doctissimi Herreræ his quæ supra diximus in Elogio.*

Nepos fuit Tiberius noster Patris Fratris Lactantij Piccolominei, cuius præclara gesta magis vincere, quam imirari curauit.

Electus fuit in Præsulem Cœnobij nostri Ilicetani Anno 1549. recusabat ipse, eo quia indignum se esse dicebat præesse in Cœnobio illo in quo tam perfecti Religiosi præfuerunt; sed cognita à superioribus eius maxima humilitas administrationem, & superioritatem suscipere coactus fuit; in quo Magistratu ante oculos semper illi erat quidquid in Regula sanctus Pater noster Aurelius Augustinus Fratribus suis dicit, imò præcipit loquendo superioribus Cœnobiorum suæ Religionis. *Ipse verò qui vobis præest non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem.* Existimabat igitur Tiberius noster tunc se verè esse fœlicem, quando suo Magno Patri obediendo Fratribus suis subditis maxima cum humilitate inseruiebat.

Condecorauit igitur Piccolomineus noster sua nobilitate, sua humilitate, sua charitate, suaque probitate non solum Congregationem nostram Ilicetanam, Patriam suam Senensem, Religionem Augustinianam, sed etiam totum ferè orbem terrarum, dum per quadraginta & septem annos militauit sub vexillo Magni Patris Augustini in Congregatione, & Monasterio Ilicetano.

De

De ATHANASIO à M. FVLLONICO.

Athanaſius Fullonicenſis in Eccleſia S. M. V. Aſſumptæ ſua in Patria, ſacro habitu Eremitano indutus, cum vita profecit, vt ab omnibus ſui tẽporis omnium virtutũ exemplar haberetur, non ſolum enim diuinarũ literarum præclarus, ſed vitæ integritate admirandus fuit. Multa ſcripſit opuſcula, & ad Theologiã & Economiã ſpectantia, pluries Congregat. & Ilicetanum Cœnobium gubernauit. Obijt Senis die 6. Octob. M. D. LXXXXIV.

ADNOTATIO.

Athanaſius qui in ſęculo Marcus Iuliani vocabatur habitu Ilicetano Auguſtiniano indutus fuit in Eccleſia B. V. Mariæ Aſſumptæ extra mœnia Oppidi Montis Fullonici per manus R. P. F. Innocentij Squarcialupi Vicarij Generalis Congreg. & in dicto Oppido tempore Quadrageſimæ Concionatoris die 16. Aprilis 1542. & elapſo an. ſuæ probationis ſuam fecit profeſſionem apud P. F. Brunettum de Leoniſſa Priorem S. Martini Sen. Quantæ dexteritatis fuerit Athanaſius deducitur, vt præter Pratenſẽ, Geminianenſem, Senenſem, ſepties repetierit Magiſtratũ Ilicetì, bis Vicariatũ Gener.

Sed dicamus aliquid de eius Patria: eſt enim Mons Fullonicus Oppidum in ditione Senenſi antiquiſſimum; ædificatum enim fuit à quodam intimo familiari Regis Porſennæ, & eiuſdem, vt fertur, fuit ærarium, ibi purgabatur aurum, ideo Mons Fullonicus dictum. Circa Centeſimum annum poſt huius Mundi Redemptionem dominabatur hoc Oppidum vti Marchionatus à Domino Opizzone de Brazzis cum alijs Oppidis in Epiſcopatu Cluſino; Rodulphus Brittanicus Comes Belargi in Anglia, qui filiam dicti Opizzonis in vxorem duxit ipſum Oppidum cum alijs hereditauit.

In Monte Fullonico pluries pacati fuerunt Senenſes cum Florentinis, & Politianis; & de hoc eſt memoria in Pariete Eccleſiæ S. Bartholomæi dicti Oppidi, vbi hæc ſunt verba. *Populus ſancti Bartholomæi fecit hoc opus* 1253. *Menſis Madii facta pace Reipublicæ*, quæ pax, vt notant Iugurta Tomaſius, & Orlandus Malauolta Hiſtorici Senarum Ciuitatis, ſucceſſit inter Senenſes, & Florentinos poſt cladem Montis Aperti.

Supra Portam quæ dicitur *del Criano*, eſt alia perantiqua memoria ſcilicet. *In nomine Domini Amen, Anno Domini* 1294. *Brunacci Riſtorii Operarii Comunis Senarum*. Quæ Porta, & mœnia circa eam, quę reſpiciunt Ciuitatem Montis Politiani turiſſima ſunt, & conſtructa ob bella inter Senenſes, & Politianos.

Dominatur in præſentiarum hoc Oppidum ab Illuſtriſſimo & Eccellentiſſimo Domino Franciſco Cappulo Peruſino Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ Cameræ Præfecto titulo Marchionatus, ſub quo conſeruari & augeri ſperat.

Extra mœnia igitur huius Oppidi eſt Eccleſia ſub titulo S. Mariæ Aſſumptæ, quæ vnita eſt huic Sancti Martini Senarum, & eſt antiquiſſima, ſupra eius maiorem Portam eſt inſcriptio, ſed ob iniuria temporum non intelligibilis, ſolum hæc bene leguntur. *M. C. VIII. D. . . . intrantes laudate ſanctam Mariam.* Alia eſt memoria in Eccleſia à cornu Euangelij, & dicit. *A. D. M. CC. LXXV. tempore D. Stephani Abbatis hoc opus factum.* In hoc templo habitum Eremitanum Ilicetanum recepit Athanaſius, & tanto profecit in Religione, vt non ſolum præfuit multis Monaſterijs, ſed etiam multoties Vicarius, Diffinitor, & Viſitator fuit. Multa ſcripſit ad ſtatum Cœnobiorum, ad Theologos Morales, & ad Concionatores neceſſaria. Huic noſtra Congregatio plurimũ debet ob curam ſuam in colligendis memorijs Monaſteriorum.

De

11 De STEPHANO VGVRGERIO Sen.

STephanus Vgurgierus ſcriptor illuſtris, in humanis literis tam maximè eruditus, vt alter Cicero, ſed Chriſtianus diſertus ſit, in diuinis perdoctus, in ſacris ſcripturis explanandis doctiſſimus, opuſcula typis data teſtantur, quæ omnia cognita à M. P. Jo: Baptiſta Aſte Ianuenſe Priore Ge. totius Ord. Eremi à ſecretis, poſt multa diſcrimina rerũ, apud ſe eũ vocitat; q. o. r. minato onere in Cœnobio S. Leonardi de Lacu mortl. die 10. Sept. M. DC. XXIII.

ADNOTATIO.

IN Cœnobio noſtræ Ilicetanæ Congregationis Sanctiſs. V. Mariæ dicato, quod vulgariter dicitur Monteſpecchio, Habitu Auguſtinianæ Religionis Indutus fuit Stephanus Vgurgerius noſter, & anno 1569 ſed Ilicetì tempore euoluto ſuæ probationis ſuam emiſit profeſſionem, vt in ſerie Profectorum Iliceti apparet his verbis. *Fr. Stephanus Vgurgerius sen. in Conuentu S. Mariæ Montis spetiali Sacrum Religionis habitum induit 1569. ſed Iliceti profeſſionem ſuam emiſſit 1570 et anno 1592. Magiſtrali laurea eſt coronatus. Vt tolletur omnis dubitatio de filiatione dicti Patris Anno Dom. 1607. per Patres Diffinitorii declaratus fuit Filius huius Conuentus Ilicet; ita teſtor ego P. Camillus Florentinus Vicarius Gener. Am autem 1608. die 7. Iunii electus fuit à noſtro P. Mag. Io: Baptiſta de Aſte Ianuenſi Priore Generale dignissimo à ſecretis, et ſcriptor totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini; obiit die 10 Decembris 1623.*

Quam doctus eſſet Stephanus noſter ex his patet quæ typis dedit, & exiſtimatione, ex ſola fama, ſupradicti Reuerendiſſimi Patris Prioris Generalis, qui per omnes ferè mũdi partes ſecum eum duxit viſitãdi cauſa totam ſibi commiſſam Religionem; & præcipuè tanti magni faciebant noſtrum Vgurgerium Patres Hiſpani, vt eum Ciceronẽ Chriſtianũ appellarent; regreſſus in Italiam, & iam ſuo onere abſoluto, requieſcere cupiens, non tam animõ quam corpore, ad Monaſterium S. Leonardi de Lacu de licentia Superiorum ſe ſe tetulit, & vt magis, magiſq; mente, & animo à noxis & curis eſſet detentus, humiliter & ſuppliciter ab Alumnis Ilicetanis petijt, vt eum abſoluerent a filiatione Cœnobij Ilicetani; vt in Monaſterio ſupradicto S. Leonardi aſcribi poſſit, quod obtentum, ne tanto beneficio ingratus ſe oſtenderet, non intentiſſima dona dicto primo ſuo Cœnobio reliquit, idemq; fecit Monaſterio S. Auguſtini de S. Geminiano, pariter gratitudinis gratia. Tandem poſt accuratam, & exactam gubernationem prædicti Cœnobij S. Leonardi, & totius Congregationis in qua etiam fuit Vicarius Generalis, iam plenus meritis & annis, & ferè lumine oculorum priuatus, in ſupradicto Monaſterio S. Leonardi obdormiuit in pace.

Qualis ſit hæc antiquiſſima Proſapia Senis de qua ortus eſt Stephanus, ſuperfluum eſt dicere; ſed ſi pius Lector aliquid ſcire cupiat, pergat ad Malauoltam, Thomaſium, & Azzolinum Hiſtoricos Sen. & proprijs oculis perſpiciet quibus dignitatibus, honoribus Eccleſiaſticis, & Secularibus condecorata fuerit hæc nobilium a Familia, cui nõ minus decoris fuit Mag. Stephanus noſter, qui cum Senex iam eſſet, ſciens ad vltimos ſuos dies peruenisſe, alium ſibi ſimilem Stephanum, ſed ex Familia Neria in dicto Cœnobio S. Leonardi relinquere curauit; qui Nerius etiam Lauream Magiſtralem obtinuit, & Monaſteria Iliceti bis, S. Martini Sen. S. Annæ Præten. S. Mariæ Gratiarũ, & S. Leonardi, & tandem totam Congregationem accurate & diligenter gubernauit

